

Regiæ Celsitud. dono R. P. Petro Monodo, Soc. Iesu

PETRI

PITHOEI

OPERA,

SACRA, IVRIDICA, HISTORICA, MISCELLANEA.



PARISIIS,

EX OFFICINA NIVELLIANA.

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, via Iacobæa, ſub Ciconijs.

M. DC. IX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



Illustrissimo amplissimoque viro,

IAC. AVGVSTO THVANO

SACRI CONSISTORII CONSILIARIO, ET IN SENATV PARISIENSI Præsidi,

CAROLVS LABBAEVS S. D.

EX antiquitatis venerandæ monumentis, vir Illustrissime, discimus, Pitheum Thesei auunculum, propter vitæ morumque sanctitatem, sapientiam & scientiam, quibus cæteros omnes sui seculi principes viros antecellebat, ea bonæ mansuræque famæ præsumptione perfruitum, vt sapientiores quique & doctiores maxima cum reuerentia & cura dicta ipsius excerpserint & coaceruarint, iisq; tãquam exemplis laudatissimis illustrari seculum suum

arbitrati fuerint. Pithoeum noſtrum, parem virum, (maiorem dicemus, ſi verum amamus,) idem meritum fuiſſe, eundem honorem a præcipuis tam in aula quam in curia viris reportaſſe, eaque mente ab illis dicta ipſius & ſcripta collecta fuiſſe vt ijs non ſolum illuſtrari ſed etiam reſtaurari poſſe ſeculum ſuum crediderint, nemo inficias ierit, niſi qui, quid ſint pietas, probitas, ſapientia & ſcientia, quibus ille ſe totum ab ineunte ætate dedidit, penitus ignorauerit. Hoc vt probis huius & ſequentium ſeculorum hominibus melius innoteſcat, præſtabunt ipſius Opera; quæ nunc tibi offerimus vt cuius vitam, & mores probaſti, illius dicta ſcriptaque approbes &ab improborum morſibus vindices. In his Sacra, Iuridica, Hiſtorica, & Miſcellanea reperies, quibus nihil ſanctius, grauius, doctiuſque; vt non vnus homo ſed ſcientiæ ipſæ omneſque bonæ artes in vno homine ſummum periculum adiiſſe videantur. Plura poſteritati reliquiſſet (& vero quædam dereliquit quæ nanciſci non potuimus) niſi aliena ſuis præpoſuiſſet, imo ſua pro derelictis habuiſſet vt curam antiquorum Scriptorum ſuſciperet, in quibus exquirendis & vel a mendis vel ab interitu vindicandis meliorem ſui temporis partem poſuit: quod quidem teſtantur plurimorum veterum Auctorum edi-

tiones, quibus nullæ politiores limatioresque antehac extitere nec vnquam extabunt, quasq; labore & studio ipsius dignas tum splendor ipsarum tum hoc maxime præstat, quod credibile sit optimas esse, quas ille tales existere voluerit & nominis sui fulgore splendescere permiserit. Neq; de his neq; de illis pluribus apud te dicam, vt tibi commendem, quæ aliis propter sanctitatem, doctrinam & scientiam Auctoris commendare & laudare nunquam dubitabis. Bene vale, vir amplissime, & me semper ama. Lutetiæ Parisiorum XIII. Kal. April. CIↃ IↃ CIX.

CATALOGVS EORVM QVÆ IN HOC VOLVMINE continentur.

In obitum P. Ronſardi.

P. Pithoei v. c. *Vita, Teſtamentum & Tumulus.*

P. Pithoei v. c. *Elogium ex lib.* CXVI. *Hiſtor.* v. c. *Iac. Aug. Thuani.*

Eiuſdem elogium ex lib. IV. *Elogiorum Scæuolæ Sammarthani.*

P. P.

DE LATINIS
SS. BIBLIORVM
INTERPRETIBVS
SENTENTIA.

NICEPHORI CP. PATRIARCHÆ
CANON SCRIPTVRARVM.

CVM

ANASTASII S. R. E. BIBLIOTHECARII
LATINA INTERPRETATIONE.





NIC. FABRO S.

CVM nuper de Latinis ſacrorum Biblio-rum Interpretibus mentio incidiſſet, ſubijt recordatio eorum, quæ ante annos aliquot de quæſtione iactata excuſſáque toties, necdum, quod ſciam, ſatis definita, inter ſchedas ſparſim adnotaram. Quæſiui, collegi, deſcripſi: atque vt ab ijs, quorum præcipuè de re ea iudicium eſt, recenſerentur, in pauca exemplaria transferri paſſus ſum. Te vero cuius non ſolum doctrinæ & eruditioni ſummæ, ſed & pietati ac probitati ſingulari multum merito defero, eis interim ſequeſtrem vel patronum potius deſtinaui. Et vt ne noſtra hæc ſua ſolitudine terrerentur, ſed miſtura magis ſtarent, comitem adiunxi Nicephori Patriarchæ CP. Canonem ſcripturarum, quo velut capite, in vetuſtiſsimo codice Regio Chronologia eius ſic clauditur, vt à doctiſsimis hominibus, qui reliquo operi manus antea commodarunt, vitio exemplarium prætermiſſum appareat. Defectum etiam aliqua parte Regij illius Medicei, cuius vſum Io. Baptiſtæ Benciuen-

nij Abbatis humanißimi liberalitati acceptum referre par est, ex Latina Anaſtaſii Bibliothecarij interpretatione, quæ in noſtro quodam integriore ad finem Eccleſiaſticæ ex Georgio ac Theophane hiſtoriæ extabat, ſupplere conatus ſum, ea fide vt indiculo potius locorum, vnde recenſeri iſta atque emendari poſſent, quam certis aut probabilibus coniecturis locum darem. De Græcis autem Interpretibus nihil nunc quidem adijciendum putaui ad ea, quæ in Procopium ſuum Curterius noſter præfatur pluribus: cui ſane eſt & quod gratulemur mortuo amplißimum breuiatorem contigiſſe. Tu vero B. V.



DE LATINIS SACRORVM BIBLIORVM INTERPRETIBVS P. P. sententia.

APVD Latinos [a] olim sacrarum Scripturarum pæne tot fuerunt exemplaria quot codices, cum vnusquisque pro arbitrio suo adderet, subtraheretue quod ei visum esset. De quo & B. Augustinus conquerens, Qui ex Hebræa (inquit [b]) lingua Scripturas in Græcam verterunt, numerari possunt: Latini autem nullo modo; sed vt cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum sibimet facultatis vtriusque linguæ habere visus est, ausus est etiam interpretari. Inter eam tamen interpretationum infinitam varietatem, quod & idem [c] subijcit, Italica cæteris præferebatur, vt verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Ea autem videtur fuisse, quæ & Vetus & Vulgata dicitur Hieronymo [d], Orosio [e], Gregorio [f]: quam & tanti fecit Ambrosius [g], vt omnibus Græcis quasi minus corruptam, aliquando præposuerit. Ex ea putantur esse quæ in Speculo Augustini nomine, de vtriusque Testamenti voluminibus referuntur, quamuis cum nostra communi nonnihil conueniant. Sane quæ in eo de Psalmis leguntur, esse ex interpretatione illa ad Hebraïcam veritatem, quæ B. Hieronymo adscribi solet, nemo inficias ierit.

a *Hiero. præfat. in Iosue.*

b *L. 2 de doctr. Chr. c. 11. & Isid. de Eccl. off. l. 1. c. 12.*

c *C. 15. & li. 18. de ciuit. cap. 43.*

d *In c. 14. & 46. Esaiæ.*

e *Apologia de arbitrij libertate c. 5.*

f *In præf. Moralium.*

g *In c. 5. ad Rom.*

Idem Hieronymus vetus Testamentum in Latinam linguam bis conuertisse videtur. primum quidem ex Græcis, siue ex LXX. additis obelis & asteriscis: cuius translationis ipse meminit præfatione in Iobum, & lib. I. in Rufinum, itemque epist. ad Augustinum, & Augustinus epistola ad ipsum. Deinde vero ex Hebræo siue iuxta Hebraïcam veritatem, sicut idem de se scribit in libro de Tractatoribus. Quod primum illum ex Latinis præstitisse Augustinus testatur lib. 18. de ciuit. Dei.

Eod lib. de illust. script. & in præfat. Euāgeliorum ad Damasum.

Nouum Testamentum ipse etiam se Græcæ fidei reddidisse ait, calamo ita temperato, vt ijs tantum quæ mutare sensum videbantur, correctis, reliqua manere pateretur vt fuerant. Itaque emendationem tantum noui Testamenti appellat epistola ad Augustinum.

In præf. Mor. & l. 20. c. 24.

Vtraque editione, id est, & antiqua illa, & Hieronymiana, temporibus Gregorij P P. I. Ecclesia Romana vsa est, quod ipse Gregorius testatur, ita tamen vt præ Hieronymiana, vetus illa non omnino obsolesceret.

Epist. ad Sophronium.

Nos hodie, quod ad vetus Testamentum attinet, Psalterio vtimur, non illo quod Hieronymus ex Hebræo transtulisse se ait rogatu Sophronij, quodque inter eius opera hodie legitur, & ab ipso Enchiridium appellatum fuit sed nec illo ex Græcis, siue ex lxx. aut ex Origenis hexaplis, cuius in epistola ad Suniam & Fretellam meminit, quod Romani nomine à Io. Fabro Stapulensi editum est: verum alio quodam communi & vulgato ex Græca communi ac vulgata Luciani martyris editione, aliquantulum diuersa ab hexaplis, & lxx. Quod Psalterium idem Hieronymus bis emendauit, vt eadem epistola testatur. primùm quidem Romæ positus, quod Romanum ob id melius dici existimo: postea in Bethlehemitico secessu, cuius emendatio, vt plus aliquando lucis, sic minus nouitatis habere visa est. Hoc ipsum est, quod Gallicum Psalterium appellatur: credo, quod eo Galli primum ac potissimum vsi sunt: apud quos hodieque nonnulla exemplaria extant, Hieronymianas notas, id est lineas, obelos, asteriscos retinentia, quæ tamen in plerisque alijs temporum iniuria in-

curiáque ſcriptorum adijci tandem deſierunt. A Gallis illud non Romani ſolum, ſed & Hiſpani tandem ſub Gregorio VII. acceperunt, de quo non ſine iniuria Rodericus Toletanus Archiepiſcopus conqueritur. Cæterum eam editionem primum a Georgio Florente Gregorio, Turonenſi Archiepiſcopo ex partibus Romanis in Gallias allatam vnus, quod ſciam, Vvalafridus Strabo prodidit libello de reb. Eccleſiaſt. Romanum vero Pſalterium etiam Romanæ ipſi Eccleſiæ in vſu eſſe deſijt poſt tempora Gregorij P P. I. præterquam in officio Romano, id eſt in introïtibus, gradalibus, ſecretis ſiue ſuperoblatis, præfationibus, & communionibus, poſtcommunionibuſque ſeu completis vel concluſionibus Miſſarum, ſi quæ ex illo ante deſumpta fuerant, & in vnico Pſalmo inuitatorio, qui etiamnum ad Matutini initium ex Antiphonario integre vſurpatur. Ex quo apparet non abs re Sacramentorum lectionarioſque & antiphonarios libros, ordinis quidem Ro. à walafrido cæteriſque officiorum Eccleſiaſticorum ſcriptorib. Gregorio Papæ tribui, quamuis à Grimoldo abbate, Albino Flacco, qui & Alcuinus, Karoli magni præceptore, Amulario Treuerenſi, alijſque poſtea auctos conſtet. Ante eoſidem ille Turonenſis Gregorius de curſibus (vt ipſe loquitur) Eccleſiaſticis librum condiderat, & Miſſas à Sidonio Apollinari compoſitas coniunxerat, addita operi præfatione: quod de ſe ipſe teſtatur in libris hiſtoriarum. Ambroſianos etiam (quo nomine Mediolanenſis Eccleſia ſignificatur) alia quadam tranſlatione Pſalterij, eaque propria vſos Radulphus Tungrenſis Decanus propoſitione 8. de Canonum obſeruantia tradit.

Lib. 6. hiſt. Hiſp. c. 26.

Vide Radul. Tungrenſ. Decan. de canonum obſeruantia propoſ. 8.

1. & 10.

Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici & Machabæorum, ſed & Eſdræ Scribæ tertium, ſeu potius Prophetæ primum (quem doctiſſimi quidam viri, memoriæ credo potius quam ignorationis vitio, Græcè extare negarunt: alij etiam in Græcorum Bibliorum editione ſiue conſilio ſiue incuria omiſerunt) habemus ex antiqua tranſlatione mera, qua & Tertullianus, & Cyprianus, alijque patres Hieronymo antiquiores vſi ſunt: cuius auctor hactenus ignoratur. Sed nec in eos libros

vllæ præfationes extant Hieronymi nomine, à quo etiam pro apocryphis habitos nullus, puto, negauerit. Sane quidem, vt & hoc obiter dixerim, quod apud Ioſephum lib. II. contra Appionem, in Græco exemplari Baſileæ edito, ex Eccleſiaſtici cap. XLII. in mulieres dictum legimus, aliunde irrepſiſſe, præter argumenti ipſius & tractationis rationem, vetuſtior Rufini interpretatio facit vt extra calumniæ ſuſpicionem facile admittam. De illo vero qui tertij Machabæorum nomine à nonnullis Ioſepho, ab alijs Philoni Alexandrino longe probabilius ex ſtyli ſimilitudine adſcribitur: nec iſtam coniecturam temere reijciendam cenſeo, librum eſſe videri illum qui à B. Hieronymo in prologo, quem ſcholaſtico Rhetorum vocabulo, Galeatum, quaſi communem inſcripſit, inter veteris Inſtrumenti reliquias Tobiæ ſubiungitur Paſtoris nomine, ἀπὸ τῆς παστάδος, nempe à nota loci, in quo Simeon cum ſuis pio & magno animo obieciſſe ſe Ptolemæo ingredi Sanctuarium volenti eo potiſſimum ſcripto narratur. quod tamen annis plus minus L. ante quam in Iudæa Machabæorum nomen audiretur, factum oportuit: id eſt, circiter Olympiadem CXL. vt & Euſebius in Chronicis notauit. Certe Hieronymi verba ad Hermæ diſcipuli ſiue Paſtoris librum Tertulliano, Origeni, alijſque laudatum referre, præter communem ſenſum non immerito cenſeatur. Sed ad rem propius.

Quartum Eſdræ librum, & Manaſſæ regis orationem, qui Latine tantum editi ſunt (quamquam orationis quidem vnum atque alterum exemplar Græcum extare dicitur) ex antiqua eſſe tranſlatione plura illa conuincunt, quæ ex eodem Eſdræ libro ab Ambroſio referuntur iiſdem omnino verbis. Nam Tertulliani & Cypriani quæ videntur inde etiam tacitis nominibus mutuata, vereor ne alius aliò referat. Hieronymus quidem vt tertium, ſic quartum Eſdræ ſomnia cenſuit. vtrumque tamen Græcos ſua lingua habuiſſe vel illa arguunt, quæ ex quarti capite quinto Græcè referuntur à T. Flauio Clemente de vera philoſophia commentariorum ſcientiæ στρωματέων libro III.

Reliqua

Reliqua veteris Testamenti quæ ex Hebræo vnus primusque Latinorum Hieronymus transferre ausus est, id est Pentateuchum, Iosue, Iudices, Reges, Paralipomena, Esdræ & Nehemiæ volumen siue Sacerdotes, Tobiam, Iudith, Esther, Iobum, Prouerbia & Ecclesiasten Salomonis, Isaïam, Hieremiam, Ezechielem, & Prophetas reliquos XII. qui minores dicuntur, habemus, opinor, omnia ex translatione de Hebræo fonte Hieronymi: cuius etiam in eosdem libros præfationes leguntur: extant & commentarij in eorum pleraque, in quibus nonnullos interpretationis suæ errores prodit ipse, emendatque vltro. Quanquam de Iobo pridem Iac. Faber præfatione quadam in Pauli epist. admonuit reperisse se inter veterum codicum aceruos translationem illam Hieronymi ab Augustino laudatam, aliam ab ea quam vsus habet Ecclesiarum. Sed eum librum à Hieronymo non semel versum constat.

Isidor. lib. 1. de Eccl. off. c. 13.

Vt in Isa. c. 19. & Hier. cap. 6.

Iam quod ad nouum Testamentum spectat, Euangelia quatuor, quæ olim codice suo seiungi à reliquis Apostolicis solebant, habere videmur ex vulgata illa editione veteris translationis, à Hieronymo tamen recognitæ & emendatæ iussu Damasi P P. ad quem extat præfatio, in qua se quædam reliquisse testatur, quæ tamen corrigenda putabat, ne nimis multa immutasse videretur: de quibus etiam in commentarijs, alijsque scriptis suis interdum libere admonet. Eam emendationem auctoritate Pontificis R. fultam Augustinus iam suis temporibus etiam in Africa pluribus admodum placuisse testatus est. In orationis tamen Dominicæ recitatione ex Matthæo, emendatio Hieronymi, qui pro pane quotidiano (vt Latinos iam olim posuisse Victorinus Afer auctor est) supersubstantialem reposuerat, nec populi, nec Ecclesiæ ipsius catholicæ vsu publico recepta fuit, quamuis in vulgatis Euangeliorum exemplaribus scripta hactenus remanserit.

Beda præfat. retract. in Acta.

Epist. 10.

Lib. 2. ad. Ar.

At, quod ad reliquos noui Testamenti libros, id est Actus Apostolorum, Epistolas Pauli, Petri, Iacobi, Iudæ, atque Apocalypsim, an eos ex B. Hieronymi emendatione habea-

mus, mihi quidem non ſatis liquet: præſertim cum Hieronymus ipſe quædam ex illis longe aliter quam in noſtris exemplaribus legantur, referat in libris aduerſus Iouinianum & commentarijs in Eſaiam, itemq; Epiſtola ad Euagrium, & ea quæ ad Damaſum eſt, cuius initium, Septuaginta. ſed & lib. 1. aduerſus Pelagianos; & in catalogo alijſque locis pluribus, & Latinum interpretem ſiue vulgatam editionem in pleriſque notet, quæ in noſtra hodieque legimus. Quo fit vt Fabri noſtri boni profecto ac pij & bene docti viri ſententiæ potius adquieſcam.

Certe in ijs quæ ex epiſtolis Iohannis referuntur, minus eſt aliquando diuerſitatis, in quibus etiam pauciora ſe mutaſſe præfatione Commentariorum ſuorum in Canonicas ſcribit: vt veriſimile mihi ſit, in ijs vti nos vetere illa tranſlatione vel mera, vel ab alio quopiam poſt Hieronymi tempora recenſita.

Itaque temperandum videtur quod indiſtinctius paulo Iſidorus lib. 6. Etymol. c. 5. & lib. 1. de diuin. Off. c. 12. ac poſt eum Rhabanus Maurus lib. 2. de Inſtit. cleric. c. 54. alijque non pauci tradiderunt, editione Hieronymi omnes omnino Eccleſias generaliter vti.

Porro tranſlationes illas Latinas librorum veteris Teſtamenti, quas Hieronymi non eſſe diximus, ſed & Noui eas quas idem recognouit tantum emendauitque, non eſſe vnius interpretis, ſtyli diuerſitas ſatis arguit. Certe verſionem Eccleſiaſtici plura habere antiquæ eruditionis, eam veo quæ eſt Actorum Apoſtolicorum reliquis elegantiorem puriorémque eſſe facile agnoſcet, qui propius attenderit.

Communi autem illa editione Bibliorum, quæ nunc in vſu publico eſt toti Latinæ Eccleſiæ, & B. Hieronymi, maiore ſaltem parte, eſſe putatur, primi vſi videntur ex vetuſtioribus Theologis Saluianus Maſſilienſis, Eucherius Lugdunenſis, Proſper Aquitanus Regij Galliæ Epiſcopi, Leo P P. 1. Fulgentius Afer Ruſpenſis, Petrus Chryſologus, & poſt eos Gregorius cognomento Magnus. Nam quod ad Aur. Auguſtinum attinet, magni apud me mo-

menti est Ecclesiæ Lugdunensis iudicium, quæ in Synodicis contra Iohannis Scoti, & aliorum quorundam de libero arbitrio & prædestinatione errores Epistolis, libellum illum olim Hypomnesticon inscriptum, qui nunc Hypognostici titulo Augustini etiam nomine legitur, falso illi tribui hoc potissimum argumento censuit, quod testimonia scripturarum ex noua, qua vtimur, editione (Hebraicam vocat) in eo adsumantur: cum Augustinus contra hæreticos differens, vel de causis fidei agens, semper, inquit, ex antiqua conuinceret contradicentes, & ex eadem instrueret fideles. De Epistolis vero quæ Pontificum Romanorum à Clemente ad Damasum nomine inscriptæ leguntur, in quibus & ex eadem longe illis posteriore interpretatione testimonia Scripturarum relata extant, alius erit, dante Domino, commodior dicendi locus. Hic illud adiecisse sufficiat, ad nostram etiam ætatem antiquiores quasdam Galliarum Ecclesias, monasteriaque nonnulla conseruasse sibi exemplaria veterum illarum translationum, siue editionum, quæ ante Hieronymi ætatem in vsu fuerant. Atque inter cetera videre hodieque est integra fere Biblia minoribus literis, sed & Psalterium ijs quas vnciales vocarunt, argenteis, partem etiam Euangeliorum aureis, vtraque in purpureis membranis descripta, inter reliquias librorum monasterij S. Germani Paris. quæ beati illius præsulis fuisse, posteri per manus sibi traditum asserunt.

Vidimus & nos aliquando vetustissimum exemplar Euangeliorum literis illis maioribus exaratum, adiectis è regione Græcis, quod olim fuisse dicebatur Ecclesiæ Lugdunensis. Vidimus & aliud Epistolarum eiusdem formæ & ætatis ex Corbeiæ maioris Galliæ monasterio: quæ tanquam sanctioris antiquitatis κειμήλια, non sine religione & suspicimus & veneramur.

NICEPHORI

PATRIARCHÆ C̄P.

CANON SCRIPTVRARVM.

Ex V. C. Carpensi.

NICEPHORI PATRIARCHÆ CP.

ΟΣΑΙ ΕΙΣΙΝ ΘΕΙΑΙ ΓΡΑΦΑΙ ΕΚΚΛΗ-σιαζόμεναι καὶ κεκανονισμέναι, καὶ τούτων στιχομετρία, τούτως.

α'	Γένεσις	CTIXOI	,ατ'
β'	Εξοδος	CTI	,βω'
γ'	Λευιτικὸς	CTI	,βψ'
δ'	Αριθμ.	CTI	,αφλ'
ε'	Δευτερονομ.	CTI	,ϛρ'
ϛ'	Ιησοῦς	CTI	,βρ'
ζ'	Κριταὶ καὶ Ρούθ	CTI	,βυ'
η'	Βασιλειῶν πρώτη καὶ δευτ.	CTI	,βσμ'
θ'	Βασιλειῶν τρίτ. καὶ τέταρ.	CTI	,β
ι'	Παραλείπομ. α' καὶ β'	CTI	,εφ'
ια'	Εσδρας α' καὶ β'	CTI	,εφ'
ιβ'	Βίβλος ψαλμῶν	CTI	,εφ'
ιγ'	Παροιμίαι Σολομῶντ.	CTI	,αψ'
ιδ'	Εκκλησιαστὴς	CTI	φ'
ιε'	Ασμα ᾀσμάτων	CTI	σϖ'
ιϛ'	Ιὼβ	CTI	,αω'
ιζ'	Ησαΐας ὁ προφήτης	CTI	,ϛω'
ιη'	Ιερεμ. ὁ προφ.	CTI	,δ
ιθ'	Βαρούχ	CTI	ψ'
κ'	Ιεζεκιὴλ	CTI	,δ
κα'	Δανιὴλ	CTI	,β
κβ'	οἱ ιβ' προφῆται	*	*

Ομοῦ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία κβ'.

ANASTASII S. R. E. BIBLIOTHECARII
EX NICEPHORO $\overline{CP}$. PATRIARCHA.

HÆ sunt diuinæ scripturæ, quæ recipiuntur ab Ecclesia & canonizantur, quarum & numerus versuum est vt subijcitur.

I	*Genesis*	*Versus*	$\overline{IIII}$ CCCC
II	*Exodus*	V.	$\overline{II}$ DCCC
III	*Leuiticus*	V.	$\overline{II}$ DCC
IIII	*Numeri*	V.	$\overline{III}$ D
V	*Deuteronomium*	V.	$\overline{III}$ C
VI	*Ihesus*	V.	$\overline{II}$ C
VII	*Iudices & Ruth*	V.	$\overline{II}$ CCCCL
VIII	*Regnorum primus & secundus*	V.	$\overline{II}$ CCXL
VIIII	*Regnorum tertius & quartus*	V.	$\overline{II}$ CCCXXX
X	*Prætermissorum primus & secundus*	V.	$\overline{V}$ D
XI	*Hesdras primus & secundus*	V.	$\overline{V}$ D
XII	*Liber Psalmorum*	V.	$\overline{V}$ D
XIII	*Prouerbia Salomonis*	V.	$\overline{I}$ DCCVIII
XIIII	*Ecclesiastes*	V.	DCCL
XV	*Cantica Canticorum*	V.	CCLXXX
XVI	*Iob*	V.	$\overline{I}$ DCCC
XVII	*Hysaias*	V.	$\overline{IIII}$ DCCC
XVIII	*Hieremias*	V.	$\overline{IIII}$
XVIIII	*Baruch*	V.	DCC
XX	*Iezechiel*	V.	$\overline{IIII}$
XXI	*Daniel.*	V.	$\overline{II}$
XXII	*Duodecim Prophetæ*	V.	$\overline{III}$ DCCC

Simul veteris Testamenti sunt libri XXII.

Hi autem sunt noui Testamenti.

I	*Euangelium secundum Matthæum*	V.	$\overline{II}$ D
II	*Euangelium secundum Marcum*	V.	$\overline{II}$
III	*Euangelium secundum Lucam*	V.	$\overline{II}$ DC
IIII	*Euangelium secundum Iohannem*	V.	$\overline{II}$ DCCC
V	*Actus Apostolorum*	V.	$\overline{II}$ DCCC
VI	*Pauli Apostoli epistolæ* XIIII.	V.	* CCC *
VII	*Catholicæ epistolæ, Iacobi vna: Petri duæ: Iohannis* III. *Iudæ vna: simul septem, versus vero*		$\overline{I}$ CCC

Simul veteris quidem Testamenti libri XXII. *& Noui* VII. *vt supra monstratum est.*

Et qui veteris sunt, quibus contradicitur, & non recipiuntur ab Ecclesia.

I	*Machabæici tres*	V.	$\overline{VII}$ CCC
II	*Sapientia Salomonis*	V.	$\overline{I}$ C
III	*Sapientia Ihesu Syrac*	V.	$\overline{II}$ DCCC
IIII	*Psalmi & Cantica Salomonis*	V.	$\overline{II}$ C
V	*Hester*	V.	CCCVIII
VI	*Iudith*	V.	$\overline{I}$ DCC
VII	*Susanna*	V.	D
VIII	*Tobe & Tobias*	V.	DCCC

Et quibus Noui Testamenti contradicitur.

I	*Apocalysis Iohannis*	V.	$\overline{I}$ V
II	*Apocalypsis Petri*	V.	$\overline{IIII}$ DCCC
III	*Barnabæ Epistola*	V.	$\overline{I}$ CCCVI
IIII	*Euangelium secundum Hebræos*	V.	$\overline{II}$ CC

Εἰσὶν καὶ τῆς νέας διαθήκης ταῦτ.

α'	Εὐαγγελ. κατὰ Ματθ.	CTI	,βφ'
β'	Εὐαγγελ. κατὰ Μάρκον	CTI	,β
γ'	Εὐαγγελ. κατὰ Λουκᾶν	CTI	,βχ'
δ'	Εὐαγγελ. κατὰ Ιωάννην	CTI	,βτ
ε'	Πράξεις ἀποστόλων	CTI	,βω'
ς'	Παύλου ἐπιστολαὶ ιδ'	CTI	,ετ'
ζ'	Καθολικαὶ ζ'. Ιακώβου α'. Πέτρου β'. Ιω. γ'. Ιουδᾶ α'.		

Ὁμοῦ τῆς νέας βιβλ. κς'.

Καὶ ὅσαι ἀντιλέγονται αὐταί εἰσιν τῆς παλαιᾶς.

α'	Μακκαβαϊκὰ τρία	CTI	,ζτ'
β'	Σοφία Σολομῶντος	CTI	,αρ'
γ'	Σοφία Ἰησοῦ τοῦ Σιράχ	CTI	,βω'
δ'	Ψαλμοὶ καὶ ᾠδαὶ Σολομῶντος	CTI	,βρ'
ε'	Εσθήρ	CTI	τη'
ς'	Ιουδίθ	CTI	,αψ'
ζ'	Σωσάννα	CTI	φ'
η'	Τωβὶτ καὶ Τωβίας	CTI	,ερ'

Καὶ ὅσαι τῆς νέας ἀντιλέγονται.

α'	Ἐνὼχ	CTI	,δω'
β'	Πατριάρχαι	CTI	,ερ'
γ'	Προσευχὴ Ἰωσήφ	CTI	,αρ'
δ'	Ἀνάληψις Μωύσεως	CTI	,αυ'
ε'	Διαθήκη Μωύσεως	CTI	,αρ'
ς'	Ἀβραάμ	CTI	,ατ'
ζ'	Ἐλδὰδ καὶ Μωδάδ	CTI	υ'
η'	Ἠλίας προφήτ.	CTI	τις'
θ'	Σοφονίου προφήτ.	CTI	χ'
ι'	Ζαχαρίου τοῦ Ἰωάννου	CTI	φ'
ια'	Βαρούχ, Ἀμβακούμ, Ἐζεκιὴλ καὶ Δανιὴλ ψευδεπίγραφα.		

Καὶ ὅσαι τῆς νέας εἰσὶν ἀπόκρυφαι

α'	Περίοδοι Πέτρου	CTI	,βψ'
β'	Περίοδος Ἰωάννου	CTI	,ςχ'
γ'	Περίοδος Θωμᾶ	CTI	,αχ'
δ'	Εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶν	CTI	,ατ'
ε'	Διδαχὴ ἀποστόλ.	CTI	C'
ς'	Κλημέντ. λβ'	CTI	,βχ'
ζ'	Ἰγνατίου, Πολυκάρπου, Ποιμένος καὶ Ἑρμᾶ.		

Et quæ sunt Apocrypha Veteris.

I	*Enoch*	*Versus*	$\overline{I}$ V
II	*Patriarchæ*	V.	$\overline{IIII}$ DCCC
III	*Oratio Ioseph*	V.	$\overline{V}$ C
IIII	*Testamentum Moysi*	V.	$\overline{I}$ C
V	*Assumptio Moysi*	V.	$\overline{IIII}$ C
VI	*Abraham*	V.	CCC
VII	*Elad & Modab*	V.	*
VIII	*Heliæ Prophetia*	V.	CCCXVI
VIIII	*Sophoniæ Prophetia*	V.	DC
X	*Zachariæ patris Iohannis*	V.	D
XI	*Baruch, Abacuch, Ezechiel falsa scripta.*		

Et quæ noui sunt Apocrypha.

I	*Itinerarium Pauli*	V.	$\overline{III}$ DC
II	*Itinerarium Petri*	V.	$\overline{II}$ DCCC
III	*Itinerarium Iohannis*	V.	$\overline{II}$ D
IIII	*Itinerarium Thomæ*	V.	$\overline{I}$ DC
V	*Euangelium secundum Thomam*	V.	$\overline{I}$ CCC
VI	*Doctrina Apostolorum*	V.	CC
VII	*Clementis* XXXII	V.	$\overline{II}$ DC
VIII	*Ignatij, Polycarpi, Pastoris.*		

Index quorundam locorum, qui ad canones ſacrarum Scripturarum pertinent.

Hebræorum, apud Ioſephum li. 1. Antiq. adu. Appion.

Eccleſ. Oriental.

Can. 85. eorum qui Apoſtolorum dicuntur.
Melitonis Sardicenſis, apud Euſeb. lib. 4. c. 26.
Origenis Homil. 7. in Ioſue, & apud eundem Euſebium lib. 8. c. 25.
Nicenæ ſynodi can. cuius apud vnum Hieronymum mentio. præfat. in Iudith.
Laodicenæ, can. LX. qui tamen in Latino corpore non eſt.
Athanaſij Alexandrini, Synopſi, quæ à Theodoro Balſamone canonica appellatur.
Epiphanij in lib. de ponderib. & menſur.
Cyrilli Heroſolymitani Catecheſi 4.
Gregorij Nazianzeni Theologi verſus de libris authenticis.
Amphilochij ad Seleucum de iiſdem, quorum & Balſamon meminit.
Synodi ſextæ quæ eſt CP. III. in Trullo, can. 2. qui ad Concilia, & Decretales Epiſtolas pertinet.
Nicephori C P. Archiepiſcopi ad finem Chronologiæ.
Nicephori Calliſti Xantopuli verſus iambici de eadem re.
Io. Damaſceni lib. 4. de fide cath. c. 18.

Occidental. Eccleſ.

Irenæi Lugdun. apud Euſebium lib. 3. Hiſt. eccl. c. 25. Hilarij Pictauienſis præfat. in Pſalm.
Philaſtri Brixienſis lib. de hæreſib.
Concilij Carthaginienſis III. can. 47. in Latinis codicib. Nam in Græcorum Nomocanonio diuerſus eſt, maxime quod ad libros de Machabæis: quos tamen ab Eccleſia ſaltem Africana receptos teſtatur Auguſtinus lib. 18. de ciuit. Dei, c. 36.
Hieronymi in prologis, & apud Caſſiodorum lib. de diuinis lectionib. c. 12.
Auguſtini lib. 2. de doctr. Chr. c. 8. Itemque contra aduerſarium legis & Prophetarum: & Serm. 119. de tempore. ſed & lib. 15. de ciuit. Dei, c. 25. & Epiſt. 119. & apud eundem
Caſſiodorum c. 19. Iunilij Afri lib. 1. Inſtructionum.
Antiqui interpretis apud Caſſiodorum. c. 14.
Rufini Aquileienſis comment. in Symbolum.
Gelaſii Papæ, ſiue Synodi Rom. LXX. Epiſcoporum, diſt. 17. c. Sancta.
Innocentij PP. I. in epiſt. ad Exſuperium Epiſc. Thol. Caſſiodori lib. diuin. Inſtit.
Iſidori lib. I. de Eccleſ. offic. & lib. 6. Etymol. & lib. Prooemior.
Rhabani Mauri lib. II. de Inſt. cler.
Anaſtaſii Bibliothecarij ex Nicephoro CP. Patr.
Concilij Florentini in Inſtit. Armeniorum.

P. P.

HISTORIA CONTROVERSIÆ VETERIS

DE PROCESSIONE

Spiritus ſancti.



HISTORIA CONTROVERSIÆ VETERIS DE PROCESSIONE *Spiritus sancti.*

INTER illos maiorum gentium patres nulla fuisse videtur quæstio de processione Spiritus sancti, saltem quæ in apertam contentionem eruperit. Ac vel vnum ex Græcis magni Athanasij symbolum, quamuis Treueris, vt plerique tradiderunt, id est in Gallia, à Theologo tamen inter illos doctissimo acutissimoque scriptum; sed & Ambrosij Mediolanensis hymnus in omnibus Occidentis Ecclesijs receptus decantatusque, summos ac diuinos viros ex patre filioque procedentem, & vtriusque spiritum agnouisse ostendunt. Vt omittam illa quæ à Latinis, non ex Hilario solum ac Hieronymo & Augustino, sed & ex Græcis Didymo, Gregorijs, Basilio, Epiphanio, Chrisostomo, alijsque in eam sententiam prolata sunt. Controuersiæ occasionem dedisse non immerito videatur Macedonij primum, tum deinde Nestorij & Celestij hæresis, aut potius Theodoriti Episcopi Cyri acerbior reprehensio eius, quod anathematismorum in Nestorium cap. IX. Cyrillus scripserat de proprio Christi spiritu. Quod tamen idem ille Cyrillus sic tuetur, vt contentionis eius funem non ducat vlterius. Et verò ab eo tempore illam de processione Spiritus sancti opinionum diuersitatem, nullum inter Orientis Occidentisque Ecclesias discidium, saltem quod palam prorumperet, excitasse reperio: nisi quod ex Ecclesiasticis historijs didici sub Valentiniano Imp. circa

annum Christi CCCLXV. viuo adhuc Liberio, per Asiam & Phrygiam quæstionem de Spiritu sancto motam, aut potius renouatam: cùm à quibusdam non substantia solùm, sed & honore, gradúque ac potestate alius à Patre Filioque esse diceretur. Quem etiam errorem post paulo sub Damaso successore, Auxentius Mediolanensis Ambrosij decessor spreta Illyriciani cuiusdam Concilij definitione, in Occidentem inuehere tentauit. Qua de causa Romana Synodo damnatum eum Theodoritus ac Sozomenus, & ex illis Nicephorus Callistus seruata aliquanto diligentius temporum ratione, narrant. Vtvt sit, certum est, vt in Oriente, sic & Romæ, & in Gallijs inter Missarum solemnia, deinceps recitatum integre symbolum ex Constantinopolitani Concilij formula, quæ iam à Damaso Nicænæ obtinuit locum, vt illa olim eius quæ Apostolorum dicitur, ex Marci P P. instituto. Sed & in Hispania idem vsu receptum probabile est, maxime post canonem Synodi Toletanæ eius, quæ vulgo tertia numeratur. quanquam in Missa B. Leandri Hispalensis Episcopi, quæ & Mozarabum dicitur, vetus Nicæni Concilij symbolum retentum constat. ad quam etiam referenda videntur, quæ Isidorus scribit lib.1. de Eccles. Offic. cap.16. Verùm in Annalib. nostrorum Regum atque Imperatorum lego, primum quidem sub Pipino orta quæstione de sancta Trinitate & de Sanctorum imaginibus inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam, Synodum de ea in Gentiliaco villa habitam. Deinde verò sub magno Karolo ob quæstionem de processione Spiritus sancti à Ioanne quodam Monacho (siue ille Damascenus fuit, Iconomachis VII. Pseudosynodi in Syriæ palatio, quo tempore vixisse eum Cedrenus tradit, contumelioso nomine Mansur dictus, quem eius sententiæ cum Græcis fuisse plures censent, seu quis alius) Hierosolymis commotam, eius definiendæ causa collectum Aquisgrani Concilium, missosque Romam Bernarium Vangionum, Iesse Ambianorum Episcopos, & Adalhardum Abbatem Corbeiæ maioris ad Leonem Papam. Sed placet hìc adscribere Adonis Archiepiscopi Viennensis, posterioris licet scriptoris, pleniora aliquan-

Sozom. lib. 6. c.22. & 23.
Theodor. lib. 4. c. 8.
Tripartit. lib. 7. c. 9.
Nicephor. lib. 11. c. 30.

to de ea re testimonia. Anno, inquit, DCCLXVII. facta est Synodus & quæstio ventilata inter Græcos & Romanos de Trinitate, vtrum Spiritus sanctus sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio, & de Sanctorum imaginibus, vtrumne fingendæ aut pingendæ essent in Ecclesiis. Et post aliqua. Synodus, inquit, magna Grani-aquis congregatur anno incarnationis Domini DCCCVIIII. in qua Synodo de processione Spiritus sancti quæstio agitatur, vtrum sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio. Hanc quæstionem Ioannes Monachus Hierosolimitanus mouerat (Annales addunt illud, primo ab eo Hierosolymis commotam) cum regula & fides ecclesiastica firmet Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere, non creatum non genitum, sed Patri & Filio coæternum & consubstantialem. Nomen autem processionis à Patre & Filio in Apocalipsi ita aperte est positum: Et ostendit mihi (haud dubium quin Angelus) flumen aquę viuæ splendidum tanquam chrystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In eadem etiam Synodo quæsitum est & ventilatum de statu Ecclesiarum & ordine singularum, cuiusque conuersationis etiam Clerici esse debent. Addit & Aimoinus Floriacensis monachus, aut potius is qui libros illius quatuor miscella ex alijs annalibus appendice auxit, nihil tamen in eo conuentu definitum propter rerum magnitudinem. Superest nobis hodieque exemplar Breuiculi legationis eius hoc titulo. Ratio quæ habita est de Symbolo fidei in secretario B. Petri Apostoli inter Domnum Leonem sanctissimum & coeuangelicum Papam vrbis Romæ, & Bernarium, atque Iesse Episcopos, seu Adalhardũ Abbatem missos Domni Karoli Imperatoris, per indictionem secundam. Ex quo duo potissimum singularia ad hoc institutum adnotasse non frustra fuerit. Primum illud, iam tum temporis Gallos Germanosque quatuor istas syllabas, FILIOQVE, Symbolo inseruisse, & in Ecclesiis suis passim decantasse. Quod paulo ante factum quorundam, vt aiunt, exemplo & missi ipsi agnoscunt, & walafridus Abbas Augiensis sub Ludouico pio significat: nempe post hæresim Felicianam Synodo Francofurdiensi ab Episcopis Galliarum

& Germaniarum Italiæque, præſente Karolo Imp. & miſſis Adriani Apoſtolici Theophylacto & Stephano, damnatam ac deiectam. quod anno Chriſti DCCXCIIII. cotigiſſe ijdem noſtri Annales produnt. Et extant fragmenta epiſtolæ Hadriani, qua illa damnatio confirmatur. Quanquam ſub Leone rurſus de eadem hæreſi Synodum Romæ habitam reperio, cuius ex tribus actionibus reliquiæ quædam ad nos quoque peruenerunt: ex quibus apparet poſt tertiam illam damnationem, Felicem libello ad Albinum monaſterii S. Martini Turon. Abbatem (qui cognomento Alcuinus) ſcripto, errorem ſuum renouare conatum. Quam ob cauſam nouo anathemate ita damnatus eſt, vt tamen pœnitentiæ locus relinqueretur. Synodi Romanæ verba ex Actionis tertiæ (vt ecclesiaſtico verbo dixerũt) termino, hæc ſunt: „ Felici Vrgellitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, ſi noluerit declinare de hæretico dogmate ſuo, quo auſus eſt Filiũ Dei adoptiuũ aſſerere, anathema ſit, atq; ante tribunal Dei omnipotentis condemnatus, ſeu a ſancta Apoſtolica Dei Eccleſia extorris noſtroque conſortio alienus. Hi vero qui cõuerſi fuerint, & noſtræ ſocietati ſe vnierint in fide & cõcordia ſanctæ Catholicæ atq; Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, perpetuæ vitæ atq; beatitudinis gaudia mereantur, & vocem audiant diuinam, Venite benedicti patris mei, &c. Sed adſcribamus ſingularem Vvalafridi locum ex libello de reb. Eccleſiaſticis cap. XXII. quo potiſſimum ſententia noſtra innititur. Sic autem habet. „ Symbolum fidei catholicæ rectè in Miſſarum ſolemnijs poſt Euangelium recenſetur, vt per ſanctum Euangelium corde credatur ad iuſtitiam, per ſymbolum autem ore confeſſio fiat ad ſalutem. Et notandum, Græcos illud Symbolum, quod nos ad imitationem eorum intra Miſſas aſſumimus, potius quam alia, in cantilenæ dulcedinem ideo tranſtuliſſe, quia Conſtantinopolitani Concilij proprium eſt, & fortaſſis aptius videbatur modulis ſonorum quam Nicænum, quod tempore prius eſt: & vt contra hæreticorum venena in ipſis etiam Sacramentorum celebrationibus medicamenta apud Regiæ ſuæ vrbis ſedem confecta fidelium deuotio replicaret. Ab ipſis ergo ad Romanos ille

vſus creditur perueniſſe. Sed apud Gallos & Germanos poſt deiectionem Felicis heretici ſub glorioſ. Karolo Francorum rectore damnati, idem ſymbolum LATIVS ET CREBRIVS in Miſſarũ cœpit officiis iterari. Hactenus Strabo noſter. Repetitionẽ vero toties agitatæ diſcuſſæque controuerſiæ de Trinitate & vnitate, additioni illi quatuor ſyllabarum ad ſymbolum C̄P. occaſionem dediſſe primum quidem fortaſſis Hiſpanis, apud quos erroris illius fons per Elipandum & Aſcaricum, aut etiam multo ante ſcaturijt deinde verò & Gallis, admodum veriſimile eſt. quibus illa deinceps adiectio vſque adeo cordi fuit, vt Nicænæ fidei partẽ eſſe putarent, & aduerſus ſeptimam Synodum ſcribentes, Taraſij Patriarchæ C P. profeſſionem, qua Spiritum ſanctum ex Patre per Filium procedentem agnouerat, vt Nicæno ſymbolo contrariam arguerent. Quod tamen Adrianus I. epiſtola ad Karolum regem ita excuſat, vt Tarraſium ſecundum doctrinam ſãctorum Patrum locutum oſtendat, pluribus etiam teſtimoniis in eam ſententiam productis. τὸ γὰρ ἐκ πατρὸς δι᾽ υἱοῦ προχεῖσθαι, ἐκλάμπειν, χορηγεῖσθαι, προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πλεῖστοι καὶ πολλάκις ἔλεγον, ait Georgius Pachimerius lib. VII. hiſtoriar. Quamquam quod ad Hiſpanos quidem ſpectat, ſi qua vulgatis apud nos exemplaribus fides, cùm in actis Concilij eius Toletani, quod VIII. pro X. vulgo numerant, ſub Receceſuinto rege circa annum Chriſti DCLV. habiti, hæc etiam adiectio Symbolo CP. legatur inſerta, apud illos certe multo antefactam receptamque in Miſſarum ſolemnibus oportuit. De additione illa ad ſymbolum CP. nominatim loquor. Nam alioqui de re ipſa, id eſt, de Spiritus ſancti vt vtriuſque ex vtroque proceſſione, quin idem nobiſcum & prius ſenſerint, nemo, opinor, negauerit, cui modo anteriorum Hiſpaniæ Conciliorum definitiones ſiue profeſſiones fidei lectæ erunt, ac præ cæteris vetus illa titulo Regulæ fidei Catholicę inſcripta, quam malè hactenus vt partem ſubiunctam video Concilio, quod paſſim Toletanum primum inſcribitur ac nominatur, male, cum ſit potius Synodi Callecienſis ſub Leone I. habitæ circa annum Chriſti CCCCXLVII. Quod ex Bra-

carensis I. præfatione, & Leonis ipsius epistola ad Turibium Asturicensem, cuius subscriptio Alypij & Ardaburij Consulatum habet, pridem animaduertimus. Sed & quod ad Gallos attinet (liceat Transpadanos saltem illos qui tum Regibus nostris æquo iure paruerũt, Gallis adscribere) Paulinus Aquileiensis Episcopus, quem & Francofurdiensi Concilio adfuisse acta testantur, & anno post nono, id est incarnationis Dominicæ DCCCII. decessisse ijdem nostri Annales notant, in professione fidei, quæ Synodo Foroiuliensi sub Karolo & Pipino inserta extat additionem illam non agnoscit modò sed quasi ex professo tuetur etiam ac defendit: & cùm de

T. 3. Concil. pag. 359.

„ Constantinopolitano Symbolo dixisset, subiungit: Sed &
„ postmodum propter eos, videlicet hæreticos, qui susurrant
„ Spiritum sanctum solius esse Patris, & à solo Patre procede-
„ re, additum est, QVI ex Patre Filioque procedit. Et post
„ pauca. Legerunt nempe ij sequentes qui hæc addiderunt,
„ ipsam eandemque veritatem in Euangelio redarguentem
„ Philippum: Qui videt me, videt & Patrem. Quæ cum Vvalafridi testimonio comparata, indicare videntur etiam ante Francofurdiense Concilium addita illa CP. Symbolo apud nostros verba, sed post illam demum Synodum inter Missarum officia publicè in Ecclesijs vsurpari cantarique cepta. Iam de ijs quæ ex colloquio legatorum Karoli cum Leone III. colligi posse diximus, alterum hoc erit: Quamuis in Galliarum Germaniarúmque, quin & fortassis Istriæ Venetiæque, & Romacianæ Ecclesijs adiectio illa ad Symbolum vsu recepta esset, in Romana tamen nihil omnino tũ fuisse mutatũ de CP. symboli formula. Quinimmo Apostolicus ipse lectis per ordinẽ testimonijs de processione Spiritus sancti à Patre & Filio, quę Karoli missi ex Gallia ab Episcopis collecta attulerant, quanquã ita se sentire, ita tenere profiteatur, & Symboli in Ecclesia cantandi vsum Gallis se tradidisse dicat, tamen auctore se illam siue adiectionẽ, siue, vt posteriores appellarunt, declarationẽ, Symbolo insertam negat: & si consultus fuisset, dissuasurum fuisse ait, consulitque vt in posterum quibus potest modis, potissimum verò desuetudine, primum quidem

in Palatino officio, intermittatur. Apoſtolicis Leonis, ne quis deſideret, verba hæc ſunt: Sicut non audeo dicere non “ bene feciſſe Patres, qui Symbolum condiderunt, ſi feciſſent, “ quia procul dubio ſicut cætera quæ vel inſeruerunt, ſcientes “ vtique & non tam humana quàm diuina illuminati ſepientia “ fecerunt: ita quoque non audeo dicere, iſtud eos nobis mi- “ nus intellexiſſe, perpendiſſe cur dimiſerunt: vel cur dimiſ- “ ſum ne vltra mitteretur, ſicut & cætera, prohibuere. Et paulo “ poſt: Nos idipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo “ docere, nec tamen legendo aut docendo addere quidpiam “ eidem Symbolo inſerendo præſumimus. Hæc Leo III. Qui- “ bus etiam congruunt quæ de tabula argentea ab eodem ad beati Pauli altare poſita ex aliorum relatione P. Lombardus tradit. Ex quibus etiam apparet fruſtra conqueſtum Iulianum Cardinalem de Græcis, quaſi Agathonis, & Romani Concilij literas ad ſextam Synodum corrupiſſent, ea parte qua fidei ſymbolum ex C P. Synodi formula refertur de Spiritu ſancto ex Patre procedente: quod & ante illum Manuel Calecas ſuis obieciſſe dicitur. Iuſtius aliquanto Belgicus cenſor Gennadij locum illum vt ſua virgula dignum notaſſet, quo de Iſaaci cuiuſdam de tribus ſanctæ Trinitatis perſonis, & incarnatione Domini obſcuriſſimæ diſputationis, & inuoluti ſermonis libello agens, ſcribit, cōfirmaſſe illum Spiritum ſanctum hoc habere proprium, quod nec factus ſit, nec genitus, & tamen ſit ex altero. cum tamen ille ipſe libellus Iſaacis ex Iudæo, cuius Latinè ſcripti exemplar apud nos extat, hoc tantum contineat, proprietatem hanc eſſe in Spiritu ſancto, quod non factus, nec genitus, ſed ex Patre ſit. Quæ quidem verba licet Athanaſij Symbolo, quo vtimur, aliquanto ſtrictiora videantur, eam tamen interpretationem recipere poſſunt, quam Latini noſtri non in aliorum modo Symbolorum, ſed & in patrum quoque ſententijs explicandis admiſerunt: vt quando ex ſolo Patre procedere non dicitur, Spiritus ex Filio αὐθεντόντος, vt Pachymetius recte dixit, ἐκπόρευσις non excludatur, quin potius per περιχώρισιν, vel, vt Tertulliani verbis dicam, propter eſſentiæ vnitatem includatur. Quo

Lib. 1 Sen.

In Concil. Flor. ſeſſ. 6.

ſenſu & illa in Gratiani, Valentiniani & Theodoſij A A A. ad Eutropium conſtitutione accipienda ſunt, Spiritum ſanctum ex ſummo rerũ parente ſperari a nobis & accipi. Sed hîc nobis Theologica myſteria attrectare animus nõ eſt. Illud nunc potius inquiramus, quo primum tẽpore quove auctore quatuor illæ ſyllabæ FILIOQVE, Symbolo Eccleſiæ Romanæ inſertæ, & publice inter Miſſarũ ſollemnia recitatæ ſint. Nã de vetere officio Ambroſiano, quin hac ſaltẽ parte cũ Romano olim conuenerit, ego vero non dubito. Porro nuperos iſtos Chronographos, qui ad Synodum quandam Romanam ſub Sylueſtro id referre auſi ſunt, parum idoneos eſſe auctores, vel ſuperiora demonſtrant. Et tamen ſine Papæ ac Synodi, ſaltem Ro. diœceſeos, auctoritate hoc factum, nemo pudens, opinor, dixerit. Hugonis ſane Tuſci ſub Alexandro III. contra Græcos ſcribentis hæc ſunt. Si Conſtantinopolitana (inquit) Synodus Nicæno adiecit Symbolo, In Spiritum Dominum & viuificantem, & ex Patre procedentem: Si Calchedonenſis quoque Conſtantinopolitanæ addidit, Perfectum in humanitate, perfectum in diuinitate, conſubſtantialem Patri ſecundum deitatem, conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, & alia quædam vti dictum eſt: nulla inſimulatione, nulla reprehenſione, nullaque calumnia notandus eſt antiquioris Romæ antiſtes, quod cauſa interpretationis dictionem vnam (dico autem ex Filio procedere Spiritum) ſanctorum quamplurium Epiſcoporum ſcientiſſimorumque Cardinalium conſenſu habito appoſuerit. Eadem fere poſt paulo Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus libro de proceſſione Spiritus ſancti. Andreas vero Coloſſenſis pro Latinis agens, ſeſſione VII. Synodi Ferrarienſis: Maximo, inquit, in Gallia, & in Hiſpanijs, ſchiſmate imminente, cùm iam EX FILIOQ. paſſim celebraretur, Romano Pontifici fuit neceſſe, in multorum Occidentalium amplæ dignitatis, magnique concilij patrum conuentu, addito EX FILIOQ. Symbolum magis illuſtrare, &c. Antonin. vero Archiepiſcopus Florentinus: Quod (inquit) appoſitum ſit, ſeu adiunctum ad Symbolum antiquum hoc quod nunc cantamus in Symbolo

l. 2. C. de ſancta Trinit. & fid. cath.

De Spiritu ſancto lib. 3. cap. 16.

Part. 3. Tit. 22. cap. 13. §. 13.

bolo nostro, scilicet, Qui Spiritus sanctus ex Patre Filioque " procedit, vbi in antiquo dicebatur, Qui ex Patre procedit, " certum est nec credendum ab alio appositum nisi à Papa vel " aliquo Concilio. Quis enim alius hoc præsumpsisset? Verùm " à quo Papa vel Concilio, non vsquequaque certum. Aliqui " dicunt hoc fuisse additum in secunda Synodo Constantino- " politana CCCL. patrum, alij indeterminatè circa ea tempora, " sed in Conciliis celebratis in Græcia. At longè, vt opinior, " §.10. verius idē ille Antoninus paullo ante inter alia scripserat, Nicolaum. I. Synodo coacta sub Michaële Imp. Pontificis literis acrioribus commoto a Photio Patriarcha palam Romanæ Ecclesiæ hostem professo, suppositis etiam ac subornatis patriarchalium sedium, atque adeo ipsius Romani Pontificis apocrisariis siue vicariis, hæreseos damnatum ob id maximè quod ad symbolum, vt ipse loquitur, apposuisset Spiritum sanctum à Filio procedere Verius inquam, Antoninus quàm Andreas Colossensis, qui eadem sessione Ferrariensi Græcis coram ausus est obiicere, Photium alioquin Romanæ Ecclesiæ acerrimum hostem, cum in Nicolaum summum Pontificem literis inueheretur, nullam tamen de additione ad Symbolum fecisse mentionem. Quod miror summo viro & literarum Græcarum peritissimo excidisse, cum ignorare nō posset, certè non deberet, extare Photij ipsius epistolam, cuius & partem Eterianus scriptis suis inseruerat, qua Photius addi- *Lib. 2. c. 15* tionem illam ad Symbolum, quam nouiter ortam impietatem appellat, Nicolao obiicit vt auctori Locum non adscribā quia longior fit, & sine antidoto poullò venenatior plurib. iure videri queat. Tantum monebo eius & synodi & epistolæ Photianæ mentionem fieri, non in Pontificali modò historia ab Anastasio Rom. Ecclesiæ Bibliothecario continuata sub Hadriano II. sed & in Breuiculo actionis 8. & Can. 6. & 21. Concilij eius, quod paullò post mortem Nicolai, eodem Hadriano auctore C P. coactum, præsente eodem Anastasio Ludouici tum Imp. nostri Legato Græcè Latinéque erudito, recentéque acta an bona fide ederentur, & ab ipso postea in Latinam linguam conuersum, ac pro octaua œcumenica Syno-

do a pluribus habitum eſt: quo titulo hodieque legitur. Verum de tota Photiana hiſtoria & Synodis ad eam pertinentibus, alius erit amplius dicendi locus. Hic ea tantum quæ ad controuerſiam de proceſſione Spiritus ſancti proprie pertinent, notare propoſuimus, quale illud eſt quod ex Theophilacti Bulgariæ oratione ad Nicolaum Diaconum & Caniſtrarium ſiue caniſtri cuſtodem (Fuit enim, quod obiter dictum ſit, inter eccleſiaſtica officia poſt Exocatacœlos quintus ordine *ὁ κανστρίσιος*; non Caſtrenſis, vt Latinus interpres vertit male, ſed *εἰς τὸ κανστρίον καὶ εἰς τὸ ἀλλάσσειν τὸν ἀρχιερέα*) Demetrius Chomatenus, & ipſe Bulgariæ Archiepiſcopus refert in reſponſionibus ad Conſtantinum Cabaſillam Dyrrachij Epiſcopum, vbi adiectionem illam ad ſymbolum iracundius exagitat quaſi nouam: cuius tamen idem ille Theophilactus de proceſſione Spiritus aduerſus Latinos acerbius diſputans Comment. in cap. 3. Euangelij Ioannis nihil meminit. Theophylacti ex eo ſermone verba ſunt: *ἔστιν οὖν τὸ μέγιστον ἐκεῖνο σφάλμα, καὶ τοῦτο δὴ τὸ τοῦ Σολομῶντος, ἄδου πετεύρου ποιοῦν συναντᾶν, ἡ ἐν τῷ τῆς πίστεως συμβόλῳ καινοτομία. ἣν ἐποιήσαντο διακηρύττοντες τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι.* Et poſt alia. *Καὶ τοῖς δυτικοῖς τοίνυν εἴ τι μὲν περὶ τὸ δόγμα διαμαρτάνεται τὴν πατρικὴν πίστιν σαλεῦον, οἷον δὴ τὸ ἐν τῷ συμβόλῳ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος προστιθέμενον ἔνθα ὁ κίνδυνος μέγιστος. τοῦτο μὴ διορθώσεως ἀξιούμενον ὁ συγχωρῶν ἀσυγχώρητος. κἂν ἀπὸ τοῦ θρόνου τοὺς λόγους ποιῶνται, ὃν ὑψηλὸν ὑψηλοὶ, προτιθέασι. κἂν τὴν τοῦ Πέτρου ὁμολογίαν προβάλλωνται, κἂν τὸν ἐπ' ἐκείνῃ μακαρισμὸν περιφέρωσι· κἂν τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας ἡμῖν ἐπισείωσι.* Quæ conuitia in Nicolaum potius, quàm in alium quemlibet directa quis non videat? Etſi autem de Theophylacti ætate nemo adhuc, quod ſciam, certi aliquid prodiderit, eum tamen vt ſub Photio vixiſſe probabilius credam, auctor mihi eſt liber quidam Fratrũ prædicatorum contra Græcos, qui Theophylactũ a Photio quodã Patriarcha Bulgaris Epiſcopum miſſum habet: vt veriſimile mihi ſit Photium virum callidiſſimum Theophylacti ingenio & doctrina aduerſus Nicolaum, & Latinam Eccleſiam vſum, vel Bulgariæ Archiepiſcopatus tituli præmio, cuius ordinationis ius inter Romanum & Conſtantinopolitanum Patriarcham, tum quoque controuerſum fuiſſe, præter Hiſtoricorum teſtimonia ſatis indicat altercatio illa inter Hadriani P P. & Orien-

talium Patriarcharum vicarios ſuborta, poſt terminum, & ſubſcriptionem Conſtantinopolitanæ Synodi, quam & octauam generalem Latini appellarunt: cuius altercationis non contemnenda acta, a Laur. Surio viro alioqui & diligentiæ & fidei multæ, in poſtrema Conciliorum editione prætermiſſa fuiſſe, non iniuria miror ac doleo. Sic enim ſentio, quod bona omnium venia dictum velim, Chriſtianam veritatem, quæ Deum auctorem ac vindicem aſſiduum habet, ſua ſimplicitate contentam non indigere illis artibus, quas nec in humanis quidem actionibus bonus vir ac probus facile admiſerit. Sed nec illud hic omitti ſine piaculo poſſe viſum eſt, quod a Marco præſule Epheſio in Florentina Synodo Latinis obiectum ipſius verbis referam, vti ſunt in editione Rom. Græc. cõcepta: μετὰ ταῦτα (inquit) ἐγένετο ἄλλη σύνοδος καὶ ἀνώρθωσεν τὸν φώτιον, καὶ ἠκύρωσε τὴν προτέραν σύνοδον. αὕτη ἡ σύνοδος ἥτις ὠνομάσθη καὶ ὀγδόη σύνοδος, ἐγένετο ἐπὶ τοῦ πάπα Ἰωάννου, οὗ πρὸς πάπα Ἰωάννου αἱ ἐπιστολαὶ διέσωζονται ὑπὲρ τοῦ φωτίου. ἐζήτησε δὲ ἡ σύνοδος αὕτη καὶ περὶ τῆς προσθήκης τοῦ συμβόλου, καὶ ἔκρινεν ἄξιον ἵνα ἐξαιρεθῇ παντελῶς καὶ νομίζομεν ὅτι οὐδὲ ὑμεῖς ἀγνοεῖτε οὔτε τὴν σύνοδον, οὔτε τὰς ἐπιστολὰς τοῦ πάπα Ἰωάννου. Quæ licet à Latinis in illa altercatione falſitatis argui non videam, tamen an per omnia vera ſint, neſcio. quando quidem nec a Zonara ipſo ſic narrantur. Illud ſcio, extare libellum Græcum, recentioris tamen ſcriptoris, & quem poſt annum Chriſti M.CCC. vixiſſe conſtat, de Synodis œcumenicis ex bibliotheca Regum noſtrorum pridem editũ, quo eadem omnino narrantur, adiecta etiam parte epiſtolæ Ioannis ad Photium. Sed & ſcio apud Latinos extare ipſius Ioannis cõmonitoria literaſque, ex queis capita aliquot retulit Iuo Carnotenſis Epiſcopus in Collectione Decret. part. 4. cap. 76. 77. quibus Synodis omnes contra Photiũ ſub Adriano Papa cũ Romæ, tum CP. factæ caſſantur, & de ſanctarum numero delentur. Quod ego quidem ad ea tantum referri mallo, quæ ad Photij ordinationem pertinebant. Sed & reliqua eſſe audio acta integra, ſeu potius relationem de actis in illa Synodo a Legatis Ioannis Græcè conſcripta. Et in Indice Vaticanæ bibliothecæ legiſſe memini titulum libri inter alia hæc continentem:

ἐκ τῶν πρακτικῶν τῆς ἐπὶ φωτίου τοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως συγκροτηθείσης συνόδου ἐπὶ τῇ ἑνώσει τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης ἐν τῇ συνόδῳ παρῆσαν, καὶ τοποτηρηταὶ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ιωάννου. &c. quibus veritas cõſtare melius poteſt. Vtvt ſit, certum eſt omnino adiectionẽ, ſeu mauis interpretationem illam in Symbolo apud Latinos retentam, quamlibet reclamantibus Græcis apud quos poſt Photiũ ac Theophylactũ, controuerſiam illam exacerbarunt Nicomediæ præſul quidã, Nicolaus Epiſcopus Methonæ, Nicetas Byzãtius Philoſophus præſul Theſſalonicenſis, Gregorius cognomento Palamas, quem demũ ſub Andronico Palæologo & Ioanne filio vixiſſe reperio, Simeon & ipſe Theſſalonicenſis ſed. Archiepiſcopus, cuius in Symbolum Commentariolus extat, Conſtantinus & Nicolaus Cabaſillæ, alij apud Latinos vero Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Thomas Aquinas, & eius defenſor Demetrius Cydonius Græcus. Nã quæ ſub Conſtantino Monomacho Michaël CP. & Leo Acridæ Metropolis Bulgarorum Archiepiſcopus, Nicetas Pectoratus Studites monachus contra Latinos ſcripſerunt, quæque eis reſpondit Humbertus Cenomanenſis Syluæ-candidæ Epiſcopus, Leonis IX. Apocriſarius ad alias magis controuerſias de Azymis, & Sabbatorum ieiunijs, ac nuptijs ſacerdotum pertinuerunt. Quod ex eorum qui ſuperſunt librorum lectione certius quam Lantberti Scafnaburgenſis aut Gemblacenſis Sigeberti teſtimonijs conſtabit. Cæterum quod in Ferrarienſi quadam ſeſſione nonnulli ex Latinis aſſerere auſi ſunt, Synodi ſeptimæ definitione Spiritus ex Filio proceſſionem nominatim expreſſam, prolato etiam in eam rem vetuſto quodam exemplari Græco, quamuis Martini Poloni teſtimonio nonnihil conueniat, pace tamen noſtrorum dixerim, parum apud me ponderis habet, præſertim cùm vel ipſe Anaſtaſij Ro. Ecc. bibliothecarij, qui eodem ferè tempore vixit, ac paullo poſt ſub Ioanne VIII. eandem Synodum Latinè interpretatus eſt, codex apud nos antiquiſſimus nihil tale contineat: niſi quis id ex compacto illo CP. Synodi a Græcis iactato, poſtea emendatum putet. Quod ego non facile crediderim. Sed de his plus ſatis. Nam quos poſtea pro-

greſſus hæc contentio de Spiritus ſancti proceſſione habuerit, quæ ve acta ſint inter Græcos Latinóſque varijs Synodis, præcipue vero Barenſi illa ſub Vrbano, cui Anſelmus adfuit, ſed & deinçeps Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. demum etiam Ferrarienſi ſiue Florentina ſub Eugenio IIII. nihil neceſſe putaui referre hoc loco pluribus, cum & aliunde facile peti poſſint, & nobis propoſitum fuerit ea tantum in hoc ſchedium referre, quæ de ea re nondum ſatis explicata, certe paucis nota eſſe putauimus. Quicquid id eſt tibi, Iac. Sirmondzi vir eruditiſſ. debitum merito vo-lui, qui & occaſionem interrogatione tua, & indicio præbuiſti argumentum iſti, vt tuus ille Apollinaris ait, exarationi: cui etiam iure tuo per me poſſis

Diſtrictum bonus applicare theta.

P. P.

COMES THEO-LOGVS,

SIVE

SPICILEGIVM

EX SACRA

Messe.

IN NOMINE

P. & F. & S. S.

Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.



FIDES.

REgula Fidei vna omnino eſt ſola immobilis & irreformabilis hæc: *Tertul. de virg. vel.*

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum: qui conceptus eſt de Spiritu ſancto: natus ex Maria virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus: deſcendit ad inferna: tertia die reſurrexit a mortuis: aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus iudicare viuos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum: Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remiſſionem peccatorum: Carnis reſurrectionem: Vitam æternam.

Hac lege fidei manente, cetera iam diſciplinæ & conuerſationis, admittunt nouitatem correctionis, operante & proficiente vſque in finem gratia Dei. Quantum libet quæras & tractes, & omnem libidinem curioſitatis effundas, ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari, eſt vtique frater aliquis doctor gratis, ſcientiæ donatus; eſt aliquis inter exercitatos conuerſatus, aliquis tecum curioſus, tecum tamen quærens: nouiſſime, ignorare melius eſt. ne quod non debeas noris: quia quod debeas, noſti. Fides, inquit, tua te ſaluum fecit: non exercitatio Scripturarum.

Fides in regula posita est. Habes legem, & salutem ex obseruatione legis. Exercitatio in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Nihil vltra scire, omnia scire est.

Idem ad Prax. & lib. 4. cõt. Marc. & de præscr. Aduersus omnes nouitates hinc præiudicatum sit, Id esse verius quodcunque prius. In omnibus veritas imaginem antecedit, postremo similitudo succedit. Ita ex ordine ipso manifestatur, id esse Dominicum, quod sit prius traditum, vt ab eis traditum, quorum erat tradere: id autem extraneum, quod sit posterius emissum.

Melius & vtilius est idiotam & parum scientem existere, ac per charitatem proximum fieri Deo, quàm putare multum scire, & in Deum blasphemum inueniri.

Iren. lib. 2. c. 45 Cypr. siue Ruf. exp. symb. Lact. l. 3. Inst. c 30. & l. 4. c. 4.

De Deo etiam vera dicere periculosum est.

Omnis sapientia hominis in hoc vno est, vt Deum cognoscat & colat.

Hil. l. 10. de Trin. & l. 1. ad Const. Non per difficiles quæstiones ad beatam vitam nos Deus vocat. Simplicitate quærendus est Deus, pietate profitendus, confessione discendus est, religione intelligendus, charitate amandus, timore venerandus, voluntatis probitate retinendus est: sensu vero persequendus non est, sed adorandus.

Id. l. 5. de Trin. Deus non nisi se auctore cognoscitur. à Deo discendum est quid de Deo intelligendum sit: de eo loquendum non aliter quàm vt ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.

Hier. in Ierem. c 31. De verbis Dei humano sensu argumentari, sacrilegium est.

August. l. de correct. & grat. Quantum Deus iudicia sua nobis manifestare dignatur, gratias agamus: quantum vero abscondere, ne aduersus consilium eius murmuremus: sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus: illud scientes, quod sicut impossibilitas, ita & iniquitas non est apud Deum.

Id. li de spir. & lit.

Idem li. 4. de Gen. ad lib. & Primas. in c. 8. ad Rom. De Deo nihil temere adfirmandum est, sed pia diligentia etiam atque etiam diuina tractanda sunt.

[a] Nolle omnia scire, summa scientia est.

[b] Non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem.

[c] Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.

a I. Chrys. b Rom. 12. c Deut. 32.

Alteriora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutare: sed de quibus tibi præceptum est hæc intellige. *Eccl. 3.*

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Prou. 22.*

Ne despicias narrationem presbyterorum sapientum, & in prouerbiis illorum conuersare. & ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum. *Eccl. 8.*

State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.

Mementote præpositorũ vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, intueamini fidem. IESVS CHRISTVS heri & hodie: ipse & in secula. *Heb. 12. Coloss. 2.*

Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.

In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis: pariter vtique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. *Tert. lib. 4. adu. Mar.*

Quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. *Id. de præs.*

Multa sunt quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me iustissime teneant. Tenet consentio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsque ad præsens successio sacerdotum. Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen. *S. Aug. lib. de vti. cre. & cont. ep. Man.*

Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsa scripturarum commendat auctoritas, vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat. *Id. li. 1. cont. Cresc. c. 23.*

Contra rationem, nemo sobrius: contra scripturas, nemo Christianus: contra Ecclesiam, nemo pacificus senserit. *Id. l. 4. de Trin. c. 6.*

Id. ep. 118. Contra id quod vniuerſa Eccleſia facit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Id. l. 4. de bapt. cont. Don. c. 24. Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur.

Ep. 110. Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.

Idem l. cōt. Iul. pel. Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod a patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.

Hier. ep. 28. ad Licin. Ego illud te breuiter commonendum puto, Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt a maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti.

Vinc. Lir. Commēt. 1. Sequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſum, teneamuſque quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt diuinæ legis auctoritate & Eccleſiæ Catholicæ traditione.

Sanctos patres in Eccleſia diuinitus per tempora & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu Catholici dogmatis vnum aliquid ſentientes contemnat, non hominem contemnat, ſed Deum.

Greg. 1. epi. ad Lean. In vna fide nihil officit Eccleſiæ conſuetudo diuerſa.

Hieron. in pſal. 98 ex Alcuini l. 6. cont. Fel. Miraris ſi ignorem diuinitatis myſterium, cum meipſum neſciam? Deum intellexiſſe, credidiſſe eſt: Deum noſſe, honorare eſt. Sufficit mihi ſcire quod ſcriptum eſt: ſufficit ſcire mihi quod credo. Plus autem nec volo, nec cupio. Si enim ſcire voluero, & hoc incipio perdere quod credo. Fideles dicimur, non rationales.

Iac. 2. Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.

SPES.

ORatio legitima & ordinaria, breuiarium totius Euangelij complectens: qua Deus ipſe, quod ſolus potuit, vt ſe vellet orari, docuit, quaque præmiſſa, accedentium ius eſt deſideriorum, ius eſt ſuperſtruendi extrinſecus petitiones. *Tertullian.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos a malo. Amen.

I

DEvs cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miſerum deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem. *Iudith. 9.*

Maior eſt iniquitas mea quam vt veniam merear: minor ſum cunctis miſericordiis & omni veritate quam feciſti cum ſeruo tuo. *Gen. 32.*

Peccaui in cœlum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus. *Luc. 15.*

Peccaui valde in eo quod feci. Sed nunc, Domine, fac tranſire, quæſo, iniquitatem ſerui tui: quia ſtulte egi valde. *2. Sam. 24.*

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Pſal. 6.*

Corripe me, Domine: veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. *Ierem. 10.*

Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. *Pſal. 50.*

Iere.10.31. Scio, Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos.

Exod. 33. Scire fac me nunc viam tuam, & feram te: vt inueniam gratiam in oculis tuis.

Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proiicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Psal. 118 Bonitatem & disciplinam & scientiam tuam doce me.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Prou. 30. Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem & verba mendacij longe fac a me: mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: ale me cibo qui conuenit mihi.

Psal. 50. Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ.

Psal. 118. Redime me a calumnijs hominum, & ab homine iniquo & doloso eripe me.

Eccl. 23. Domine pater & Deus ac dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu & in consilio & in corde ac labijs meis: nec sinas me cadere in illa exprobratione.

Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne prauum desiderium auerte a me.

Aufer a me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ non adprehendat me: & animæ inreuerenti & infrunitæ ne tradas me.

Psal. 35. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.

Psal. 141. Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis.

Psal. 70. Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Luc. 18. Psal. 24. Deus propitius esto mihi peccatori, & secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine.

Ne derelinquas me, ne deseras me, Domine Deus salutaris meus, ne discesseris a me. *Psal. 141.*

Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es: spes mea tu in die afflictionis. *Ierem. 17.*

II.

DEus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te. *1. Esdr. 9.*

Quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum a diebus patrum nostrorum.

Sed & nos ipsi peccauimus, grauiter vsque ad diem hanc: & pro iniquitatibus nostris traditi sumus in gladium, & in captiuitatem, & rapinam, & in confusionem vultus, sicut in die hac.

Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, & patres nostri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua: & ipsi in bonis multis quæ dederas eis, non seruierunt tibi, nec reuersi sunt à studijs suis pessimis. *2. Esdr. 6.*

Et nos peccauimus, impie egimus & recessimus ac declinauimus a mandatis tuis ac iudicijs: inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus institutis tuis. *Dan. 9. Baruch. 2.*

Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis: quia scelera nostra nobiscum & iniquitates nostras cognouimus. *Isai. 59.*

Ecce coram te sumus in delicto nostro: non enim stari potest super hoc. *3. Esdr. 8.*

Et nunc quid dicamus, Deus noster, post hæc? quia dereliquimus mandata tua. *1. Esdr. 8.*

Tibi, Domine, iustitia: nobis autem & patribus nostris pudor & confusio faciei. *Dan. 9. Baruch. 2.*

Iustus es, Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia, veritas & iudicium. *Tob. 3.*

Tu iustus es in omnibus quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti: nos autem impie egimus. *2. Esdr.*

Tob. 3. Et nunc magna iudicia tua: quia non egimus ſecundum præcepta tua & non ambulauimus ſinceriter coram te.

Quia non obediuimus præceptis tuis: ideo traditi ſumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus.

3. Eſdr. 8. Et quæ contingunt nobis, omnia ſunt propter opera noſtra maligna, & magna peccata noſtra.

Iſa. 65. Tu iratus es, & peccauimus: & facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ iuſtitiæ noſtræ.

Et cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos: non eſt qui conſurgat & teneat te.

Abſcondiſti faciem tuam a nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.

Et nunc, Domine, pater noſter es tu, nos vero lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

Sap. 11. & 12. Tu miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, cui das locum, partibus iudicans.

Et parcis omnibus, quia omnia tua ſunt, Domine, qui amas animas.

Tu vitæ & mortis habes poteſtatem, & ducis ad portas inferi & reducis.

2. Eſdr. 1. Dan. 9. Quæſo Domine Deus cæli, fortis, magne atque terribilis, qui cuſtodis pactum & miſericordiam.

Obſecro, Domine, ſit auris tua attendens ad orationem ſeruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum; & dirige nos hodie.

Audi, Domine, & miſerere: quia Deus es miſericors: & miſerere noſtri, quia peccauimus ante te.

Exod. 34. Num. 14. Domine patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens: qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem.

Dimitte, obſecro, peccatum populi huius ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti tuis egre-

dientibus

dientibus de Ægypto.

Numquid iratus es nobis vſque ad conſummationem, ne dimitteres nobis reliquias ad ſalutem? *1. Eſdr. 14.*

Quin potius, Domine, in omnem iuſtitiam tuam, auertatur, obſecro, ira tua & furor tuus a nobis, qui propter peccata noſtra in opprobrium ſumus omnibus per circuitum. *Dan. 9.*

Exaudi, Deus noſter, orationem noſtram, & oſtende faciem tuam ſuper nos, propter temetipſum.

Inclina aurem tuam atque audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram.

Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum. *Ierem. 14.*

Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam; ſed in miſerationibus tuis multis. *Dan. 9.*

Ne confundas nos: ſed fac nobiſcum ſecundum manſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. *Dan. 3.*

Conuerte nos, Domine, & conuertemur: innoua dies noſtros ſicut a principio. *Thren. 5.*

Erue nos in mirabilibus tuis: & da gloriam nomini tuo, Domine. *Dan. 3.*

Confundantur omnes qui oſtendunt ſeruis tuis mala: confundantur in omni potentia, & robur eorum conteratur.

Et cognoſcant quia tu es Dominus, Deus ſolus & glorioſus ſuper orbem terrarum.

Et tibi debetur honor & gloria in ſecula ſeculorum. *2. Par. 20.*

Tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis. In manu tua eſt fortitudo & potentia; nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere.

Deus noſter, ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus reſiſtere. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

Domine Deus cœli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad humilitatem noſtram: oſtende, quoniam non relinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe & de ſua vir-

tute gloriantes humilias.

Esther. 14. Ne tradas, Domine, ſceptrum tuum iis qui non ſunt, ne rideant ad ruinam noſtram : ſed conuerte conſilium eorum ſuper eos, & eos qui in nos ſæuire cœperunt, diſperde.

Memento, Domine, & oſtende te nobis in tempore tribulationis noſtræ : & libera nos in manu tua, nullum aliud auxilium habentes niſi te, Domine Deus fortis, qui habes omnem ſcientiam.

Iſa. 63. Quare errare nos feciſti, Domine, in viis tuis? induraſti cor noſtrum ne timeremus te?

Iſa. 64. Ne iraſcaris Domine, vſque valde: & ne vltra memineris iniquitatis noſtræ.

Esther. 14. Auertatur ira tua à nobis, & educ nos propter te.

1. Mach. 13. Non nobis reddas ſecundum malitias noſtras, ſed ſecundum miſericordias tuas.

Exod. 34. Obſecro vt gradiaris nobiſcum, & auferas iniquitates noſtras atque peccata, noſque poſſideas.

Dan. 9. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac, ne moreris, propter temetipſum Deus meus.

III.

Pſal. 83. PRotector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Pſal. 102. Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

Pſal. 78. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum : cito anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis.

Adiuua nos, Deus, ſalutaris noſter: propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Ex lib. Sacram. BB. Ambroſ. Gregor. ac Grimoldi, Alcuini, & aliorum.

PArce, Domine, parce populo tuo, vt meritis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret: & pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

DA pacem, Domine, in diebus noſtris : quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter.

DEus a quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

PRotector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, vt te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.

EXcita quæsumus, Domine, potentiam tuam, & veni, ac magna nobis virtute succurre, vt per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis absoluat: & ab imminentibus vndique nobis periculis te mereamur protegente eripi, te liberante saluari.

OMnipotens & misericors Deus, a bellorum nos, quæsumus turbine fac quietos: quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis & mentis & corporis.

DEus regnorum omnium regumque dominator, qui nos & percutiendo sanas, & ignoscendo conseruas, prætende misericordiam tuam, vt tranquillitate pacis tua potestate firmata ad remedia correctionis vtamur.

VIde, Domine, infirmitates nostras, & celeri nobis pietate succurre, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate: & pacem tuam nostris concede temporibus.

DA populo tuo, Domine, spiritum veritatis, & pacis, vt & te tota mente cognoscat, & quæ tibi sunt placita, tota virtute sectetur.

DEus cuius imperium est omnium sæculorum, supplicationes nostras clementer exaudi, & Christianorum regnum tibi subditum protege: vt in tua virtute fidentes & tibi placeant, & super omnia regna præcellant.

NOstris, quæsumus Domine, propitiare temporibus, vt tuo munere & regni tranquillitas, & deuotio Christiana dirigatur.

DEus auctor pacis caritatisque amator & custos, da inimicis nostris pacem caritatemque veram cunctorumque eis tribue remissionem peccatorum, nosque ab eorum insidijs potenter eripe: vt qui pro peccatis nostris iuste affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam etiam sentiamus.

OMnipotens sempiterne Deus, refugium nostrum & virtus qui abũdantia pietatis tuæ & merita supplicantium excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuam, vt & dimittas quæ conscientia metuit, & adiicias quæ oratio non præsumit.

COgitationes, voces & actiones nostras, quæsumus Domine, adspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt a te omnia nostra semper incipiant, & per te cœpta finiantur: Qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

B. August. ex li. de gest. cum Emerit.

DOmine Iesu Christe qui pax es nostra, qui fecisti vtraque vnum, fac nos vnum, vt vere tandem cantemus: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Introduc concordiam, pelle discordiam: introduc teipsum in titulos tuos. tu mane; non alter possideat, & de tuis velis fallat.

Ex Grego. Nazien. & Hieron. in Am. 3.

DOmine Deus pater misericordiarum, auctor caritatis & pacis, qui medium parietem maceriæ destruxisti, & adhærentibus tibi vnum spiritum esse voluisti, pone, obsecro, finem discidiis nostris. Non sit amplius Iuda & Israël, Hierusalem & Samaria, Sion & Bethel aut Garizim, Roboam & Ieroboam. Simus tibi vnum omnes, vnum spiremus, sub vno capite Dimino nostro IESV CHRISTO, qui tecum vnus est.

Ex Ioanne Chrys. in ep. ad Ro.

DOmine Deus misericors & benigne, exaudi preces & gemitus Ecclesiæ tuæ: aperi aures cordium, & obsigna fidem in mentibus nostris, patefac nobis Euangelium iustitiæ, & da mentem diuinorum mysteriorum capacem, so-

briam ratiocinationem,ac vitam plenam officiorum virtutis: vt ſemper meditemur curemuſque ea quæ tua ſunt, & nobis in omni vita ſalutaria, propter meritum vnigeniti filij tui Ieſu Chriſti mediatoris ac ſaluatoris noſtri. Amen.

IIII.

ΘΡΗΝΟΣ.

CAlix in manu Domini vini meri plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc; verumtamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ. *Pſal. 74.*

Et bibent & turbabuntur, & inſanient a facie gladij quem mittet inter eos, in ſolitudinem, in ſtuporem, in ſibilum & in maledictionem, ſicut eſt dies hæc. *Ierem. 25.*

Et erit, qui fugerit a voce formidinis, incidet in foueam: & qui ſe explicauerit de fouea tenebitur laqueo. *Iſai. 24.*

Tu vero, populus meus, vade, intra in cubicula tua: claude oſtia tua ſuper te: abſcondere modicum ad monumentum, donec pertranſeat indignatio. *Iſai. 26.*

Ecce enim Dominus egreditur de loco ſuo, vt viſitet iniquitates habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet vltra interfectos ſuos.

Diſſipatione diſſipabitur terra, & direptione prædabitur: infecta eſt ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum. *Iſai. 24.*

Quis dedit in direptionem Iacob & Iſrael vaſtantibus? Nonne Dominus ipſe, cui peccauimus? Et noluerunt in vijs eius embulare, & non audierunt vocem eius. *Iſai. 24.*

Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui & forte bellum: & combuſſit eum in circuitu & non cognouit; & ſuccendit eum, & non intellexit.

Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt tibi aſſumptiones falſas & eiectiones. *Thren. 2.*

Errauerunt cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine: quumque *Thren. 4.*

non possent, tenerunt lacinias suas.

Ose. 9. Venerunt dies visitationis; venerunt dies retributionis: sciens stultum prophetam, insanum, virum spiritualem. Propter multitudinem iniquitatis, & multitudo amentiæ.

Isai. 9. Et erunt qui beatificant populum, seducentes, & qui beatificantur præcipitati.

Ose. 9. Speculator Ephraim cum Deo propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius: insania in domo Dei eius.

Psal. 106. Effusa est contemptio super principes, & errare fecit eos in inuio & non in via.

Isa. 19. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos: immisit in eos Dominus spiritum vertiginis.

Deu. 32. Ierem. 5. Gens absque consilio est, & sine prudentia: stupor & mirabilia facta sunt in terra.

Isai. 3. Irruit populus, vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum: tumultuatus est puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

Ose. 4. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.

Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.

Isai. 59. Palpauimus sicut cœci, parietem: & quasi absque oculis, attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.

Thren. 4. Quum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri in auxilium vanum, quum respiceremus ad gentem, quæ saluare non poterat.

Isa. 36. Ecce confidimus super baculum arundineum confractum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.

Thren. 5. Ægypto dedimus manus & Assyriis, vt saturaremur pane.

Isa. 52. Psal. 43. Aquam nostram pecunia nostra bibimus; ligna nostra precio comparauimus, & gratis ipsi venundati sumus.

In animabus nostris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deserto.

Deut. 32. Ier. 6. & 12. Foris gladius, intus pauor: gladius inimici, pauor in circui-

tu. Foris bellum, intus fames & pestis.

Induxisti nos in laqueum: posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra. *Psal. 9.*

Serui dominati sunt nostri, non fuit qui redimeret de manu eorum. *Thren. 5.*

Populum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis. *Isai. 3.*

Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. *Ioel. 1.*

Et conticuerunt arua pacis a facie iræ furoris Domini. *Ierem. 25.*

Hereditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos. *Thren. 5.*

Ecce nos ipsi serui sumus in terra quam Deus dedit patribus nostris. & fruges eius multiplicantur eis quos posuit super nos propter peccata nostra: & corporibus nostris rebusque dominantur secundum voluntatem suam: & in tribulatione magna sumus. *2. Esd. 6.*

Et nunc non possumus aperire os: confusio & opprobrium facti sumus omnibus nationibus; sumusque humiles hodie in vniuersa terra propter peccata nostra. *Dan. 3.*

Vt quid, Domine, irascitur furor tuus in populum tuum? Reuertere ab ira tua, & pœniteat te super malum populi tui: recordare promissionum tuarum. *Exod. 32.*

Quare in perpetuum obliuisceris nostri? derelinques nos in longitudinem dierum? *Thren. 5.*

Nunquid super his continebis te domine, tacebis & affliges nos vehementius? *Isa. 64.*

O mucro Domini, vsquequo non quiescis? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. *Ierem. 47.*

Domine Deus, propitius esto, obsecro. Quis suscitabit Iacob? quia paruulus est. *Am. 7.*

Cogita, Domine, super nos cogitationes pacis, & non afflictionis: vt des nobis finem & patientiam, & inuocemus te, & quærentes inueniamus te. *Ierem. 29.*

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis. *Psal. 59.*

Matth. 8. Domine, salua nos, perimus.
Veni, Domine, Vide, & Miserere.

V.

Esther. 14. Domine mi, qui Rex es solus, adiuua me solitarium, & cuius præter te nullus est auxiliator alius.

Isai. 38. Domine, vim patior: sponde pro me.

Esther. 14. Periculum meum in manibus meis.

Deut. 32. Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

Esth. 14. Et nunc, Domine omnipotens, anima in angustiis & spiritus anxius clamat ad te.

Habac. 1. Vsquequo, Domine, clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis?

Psal. 88. Vsquequo, Domine, auertis in finem? exardescet sicut ignis ira tua?

Ierem. 4. Vsquequo videbo fugientem? audiam vocem buccinæ?

Psal. 12. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

Habac. 1. Quare ostendisti mihi iniquitatem & dolorem, videre prædam & iniustitiam?

Quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?

Et facis homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem?

Isa. 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ.

Thren. 2. Hæccine vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?

Isai. 23. Quis cogitauit hoc super quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terræ?

Psal. 38. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti Domine.

Psal. 119. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Tob. 3. Tu nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim

mihi

mihi mori magis quam viuere.

Si ita tu facis mihi, occide me, quæſo, occidendo, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne videam malum mihi. *Num. 11.*

Sufficit, Domine: tolle animam meam: non enim ſum melior patribus meis. *3. Reg. 6.*

In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis. *Pſal. 30.*

Si nunquam, bene: Si aliquando, quare non modo?

DOmine Deus virtutum, Rex regum, Deus Sabbaoth, in cuius manu cuncta ſunt poſita, cuius nutu ſtant caduntque omnia, aut patriam tot tantiſque miſeriis ac calamitatibus afflictam liberare dignare: aut, ſi aliter tibi viſum eſt, ſeruum tuum ad perferendam voluntatem tuam fortem effice: vel certe me de hoc ſæculo ad te attrahe. *B. Auguſt. apud Poſſ.*

Veruntamen, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, Pater. *Matth. 26.*

Querela B. Policarpi ad Deum.

ὦ καλὲ θεὲ, εἰς οἵους μὲ καιροὺς τετήρικας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι. *Euſeb. l. 5. c. 17.*

Reſp. Dei apud Cyprianum.

Pati timetis, exire non vultis, quid vobis faciam? *Ser. de mort.*

Non erit magnus magnum putans, quod cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales. *Poßid. in vita Aug.*

VI.

IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montem ſicut paſſer? *Pſal. 10.*

Quia ipſe Dominus Deus meus & ſaluator meus, adiutor meus, non emigrabo. *Pſal. 61.*

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. *Pſal 118.*

Tanquam prodigium factus ſum multis: ſed tu adiutor fortis. *Pſal. 70.*

Psal. 139. Domine Deus virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

Thren. 3. Miſericordiæ Domini quia non ſum conſumptus: quia non defecerunt, miſerationes eius nouæ diluculo.

Iſai. 12. Ecce Deus ſaluator meus: fiducialiter agam & non timebo.

Thren. 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

Pſal. 7. Iuſtum adiutorium meum a Domino, qui facit ſaluos rectos corde.

Pſal. 36. Apud Dominum greſſus hominis iuſti dirigetur, & viam eius volet.

Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.

Iunior fui: etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

Non confundetur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabitur.

Pſal. 144. Miſericors & miſerator Dominus, patiens & multum miſericors.

Mich. 7. Non immittet vltra furorem ſuum: quoniam volens miſericordiam eſt.

Reuertetur, & miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.

Nahu. 1. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe.

Iſai. 8. Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiſcum Deus.

Pſal. 144. Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat cogitationes populorum, & conſilia principum.

Iſai. 25. Factus eſt fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu.

Pſal. 144. Alleuat omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.

Iſa. 40. Dat laſſo virtutem: & ei cui non eſt, fortitudinem & robur multiplicat.

Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. *1. Reg. 2.*

Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & ſubleuat.

Calamum quaſſatum non conterit, & lignum fumigans non extinguit. *Iſa. 42.*

Iuxta eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. *Pſal. 33.*

Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſaluos faciet eos. *Pſal. 44.*

Expecta Dominum: viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſubſtine Dominum. *Pſal. 26.*

Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet & non tardabit. *Habac. 2.*

Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iuſto. *Pſal. 54.*

Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. *Pſal. 124.*

Neque eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat: neque grauata eſt auris eius, vt non exaudiat. *Iſa. 59.*

Si abiecit, & miſerebitur: ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. *Thren. 3.*

Non perdet iuſtum cum impio: & apud eum melior erit vnus timens ipſum quam mille impij. *Gen. 18. Iob. 17. Eccle. 16.*

Dominus iudex noſter: Dominus legifer noſter: Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos. *Iſa. 33.*

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te. *Pſal. 83.*

Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. *Pſal. 118.*

Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi. *Pſal. 30.*

Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis. *Ierem. 16.*

Deus meus es tu: in manibus tuis ſortes meæ. *Pſal. 30.*

Et ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo: quoniam tu mecum es. *Pſal. 22.*

Psal. 31. In te, Domine, speraui, non confundar in æternum.
Psal. 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium.

CHARITAS.

LEX DEI.

TABVLA I.

Exod. 20. Sever. Sulp. l. 1. hist. sac. NON erunt tibi Dij alieni præter me.
Non facies tibi idolum.
Non sumes nomen Dei tui in vanum.
Sabbato nullum opus facies.

II.

Honorifica patrem tuum & matrem tuam.
Non occides.
Non mœchaberis.
Non furtum facies.
Non falsum testimonium dices aduersus proximum tuum.
Non concupisces quidquam proximi tui.

Mich. 6. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.

Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. hoc est maximum & primum mandatum.

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

In iis duobus mandatis vniuersa lex & prophetæ.

Marc. 12. Maius horum, aliud mandatum non est.

Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & omnia adiicientur vobis. *Matth. 6. Luc. 12.*

Diligite inuicem. Præceptum Domini est, quod si solum fiat, sufficit. *Io. 13. 1. Io. 2.*

Finis præcepti, Charitas: sine qua nihil est homo. *Hier. in c 6. ad Gal. 1. Tim. 1. 1. Cor. 13.*

Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. *Matth. 7. Luc. 6.*

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis. *Tob. 4. Marc. 4.*

Non facietis singuli quod vobis rectum videtur: sed quod præcepit tibi Dominus, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam aut minuas. *Deu. 17.*

Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo. *Eccle. vlt.*

Diuerte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. *Psal. 33.*

Iuste quod iustum est, persequaris. *Deut 16.*

Memento nouissimorum. abstine te a lite. *Eccl. 29.*

Non facias mala vt veniant bona. *Rom. 3.*

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Matth. 10.*

Sapientes estote in bono, & simplices in malo. *Rom. 16.*

Semel locutus est Deus: duo hæc audiui: Quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. *Psal. 61. Iob. 11.*

Domine iube quod vis: da quod iubes.

Da velle, da posse, da facere, da perficere.

Domine, nouerim te, nouerim me.

Tibi Domine, benedictio, laus, honor, virtus, gloria, & magnificentia, imperium & potestas in secula seculorum. Amen.

PEccaui in cælum, & coram te, Domine Deus omnipotens, nec iam sum dignus qui dicar filius tuus, aut qui oculos in cælum adtollam præ multitudine peccatorum meorum: aut labijs meis impuris inuocem gloriosum nomen tuum. Nam me & cælo & terra indignum reddidi: quandoquidem te, mitissime Domine, ad iracundiam prouo- *Ephraem.*

caui. Obſecro, Domine, obſecro ne me reiicias a facie tua, neue a me recedas longius, ne peream miſer. Niſi enim gratia tua me protegat, periero, & tanquam puluis ero ante faciem venti, ac prope in nihilum redigar. Nullus mihi lætus illuxit dies, ex quo viam tuam deſerui: & ſi quis forte iucundior alijs viſus eſt, is mihi omnium longe acerbiſſimus fuit. Verum gratia tua confiſus ſpero te mihi robur ac vires largiturum, quo ſaluti meæ conſulam. Et nunc ſupplex ad te confugio & quæſo vt me a iuſtitiæ tuæ ſemita procul aberrantem in viam reducas. Oſtende in me miſericordiæ tuæ magnitudinem, quam olim in filium prodigum oſtendiſti. Ego gratiæ tuæ diuitias profundens ac perdens, vitam meam coinquinaui. Miſerere mei Deus, & ne memineris iniquitatum mearum. Miſerere, inquam, mei vt peccatricis, vt latronis, & publicani miſertus es. Illi cum verſarentur inter homines, ab omnibus vt perditi ac deſperati reijciebantur: Tu illos ſuſcipiens paradiſi incolas reddidiſti. Suſcipe igitur & pœnitentiam meam, inutilis ſerui tui: quoniam apud omnes deſpectus ſum & perditus ac deſperatus. Veniſti ſiquidem, Domine, non vt iuſtos, ſed vt peccatores ad pœnitentiam vocares. Tibi gloria, tibi honor, tibi laus in ſecula ſeculorum. Amen.

Eiuſdem. EXaudi, Domine, clamorem meum, & ſuſcipe verba deprecationis meæ, quæ ego peccator timore perculſus loquor. Domine clemens & mitis atque miſericors ne tractes me prout meritus ſum cunctis operibus meis: nec memineris iniquitatum mearum, quibus gratiam tuam irritaui. Tantum mihi ſpatium concede, clementiſſime Domine & humani generis amantiſſime, vt reſipiſcam & pœnitentiam agam. Gratia tua quæ pertulit adoleſcentiæ meæ iniquitates, ferat & delicta ſenectutis meæ. Memini, benigniſſime Domine, iuſiurandum tuum, quod per temetipſum iuraſti, dicens: Viuo ego, quia nolo mortem peccatoris & impij, ſed magis vt conuertatur ab iniquitatibus ſuis, & viuat. Clementiſſime Domine, pro tuis miſerationibus iuraſti, nolle te mortem peccatoris, ſed magis vt conuerteretur & viueret. Ignoſce

igitur, Domine, qui idem ſemper es, mihi peccatori, qui adiuro te per viſcera miſericordiæ tuæ, vt mihi ſis placatus & propitius. Miſerere mei Domine, & noli ſupplicis preces obteſtationemque aſpernari. Tu Domine, qui ſolus hominum corda ſcrutaris & renes, ac noſtras cogitationes perſpicis, ſatis noſti me acerbo animi dolore compulſum, hæc auſum eſſe loqui in conſpectu tuo. Reſpice ſaluator fontes lacrymarum mearum, & contritionem ac ſuſpiria indignæ animæ meæ. Adueniat miſericordia tua & protegat me, antequam terribili iudicio tuo imparatus & fœdus deprehendar. Gratia tua exiguum mihi tempus veræ pœnitentiæ largiatur. Nequit ea, mitiſſime Domine, peccatorem deſpicere lacrymantem: ignoſcit omni animæ, quæ ſupplex ad te confugit, & peccatorum quæ commiſit, veniam petit. Doce me Domine, & duc per viam vitæ, vt ſaluus fiam.

ÆTerne Deus, pater cœleſtis, Deus miſericordiæ, reſpice benignis oculis & propitio vultu ad Eccleſiam tuam, & illam ſpiritu tuo guberna ac rege, hoc præſertim duriſſimo & periculoſiſſimo ipſius tempore, quo & fides iacere, & refrigeſcere caritas in dies cernitur. Ignoſce, ô clementiſſime Deus, erratis ſtultitiæ & leuitatis: compeſce improbitatem ac malitiam. Fac quæſumus te concordibus animis & conſentiente ſtudio obedientiæ recte colamus, & regenerati tuo beneficio participeſque facti iuſtitiæ æternæ, in huius vitæ ſpatio annitamur & contendamus producere fructus dignos: vt te perpetuo celebremus ac glorificemus venerantes per vnigenitum filium tuum D. N. Ieſum Chriſtum, cum quo in vnitate ſancti Spiritus viuis & regnas vnus, verus, ſolus, iuſtus, ſanctus, fortis, omnipotens, immortalis, miſericors Deus. Tuum eſt regnum, potentia, laus, gloria, honor, victoria ſempiterna. Amen.

PEccauimus, inique egimus, impietatem fecimus: quoniam obliti ſumus mandatorum tuorum: & poſt cogitationes cordis noſtri peſſum ambulauimus, nec digne ingreſſi ſumus vocatione, qua vocaſti nos per Euangelium Chriſti tui. Nec competenter ſanctas eius ſuſcepimus paſſiones: nec pro *Greg. Naz.*

merito humiliationem eius accepimus: ſed facti ſumus opprobrium dilecto tuo. Sacerdos & populus mente excidimus, in vnum omnes declinauimus: ſimul inutiles facti ſumus: non eſt qui faciat Iudicium & Iuſtitiam: non eſt vſque ad vnum. Excludimus miſericordias tuas: clementiam tuam a nobis, & viſcera miſerationum tuarum propter malitiam noſtram, & nequitiam peſſimæ noſtræ adinuentiones auertimus. Tu nobiſcum, domine, habuiſti voluntatem & miſericordiam, ſed nos iniquitatem. Tu patiens & multæ miſericordiæ: ſed nos duri & multis flagellis digni. Cognoſcimus bonitatem tuam, licet increduli ſimus. Secundum ea quæ peccauimus parum adhuc caſtigati ſumus. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Tremor comprehendat ad te montes, & magnitudini brachij tui quis obſiſtet? Si reſoluas cataractas cœli, quis eas concludet? Leue eſt in oculis tuis pauperem & diuitem facere: viuificare & morti tradere: percutere & ſanare quoniam hoc ipſum quod vis, opus perfectum eſt. Tu Iratus es, & peccauimus, ait quidam veterum ſupplicantium Tibi. Nos autem iam e contrario tempus eſt dicere. Nos peccauimus, & tu iratus es. Propterea effecti ſumus opprobrium vicinis noſtris auertiſti faciem tuam a nobis: & repletus eſt vultus noſter ignominia: Sed parce Domine, parce domine, propitiare domine: non tradas nos in finem propter iniquitates noſtras, neque exemplum nos facias ad correptionem cæterorum. magis domine, aliorum nos ſuppliciis corrige & emenda. Illarum dicimus gentium, quæ non cognouerunt nomen tuum, & potentiæ tuæ non ſunt ſubiectæ. Nos autem populus tuus, & virga hereditatis tuæ, & oues paſcuæ tuæ. Propterea corripe nos domine, verumtamen in miſericordia & non in ira, vti non exiguos facias nos, Domine, præter omnes qui habitant terram.

PArce domine, parce populo tuo, & non des in opprobrium hereditatem tuam: quia tantum amplius habemus tribulationis, quantum & honoris.

B.Macha. DOmine Deus clementiſſime, auxiliari nobis dignare. Tu enim ſcis quid nobis expediat, fac nobiſcum ſecundum mi-

dum misericordiam tuam. Deus quomodo vis, & sicut tibi placet, ita fiat.

DEus omnium rex, qui nos elegisti populum tibi, & collocasti nomen tuum inter nos, placitum sit in conspectu tuo, vt plantes etiam inter nos amicitiam ac fraternitatem, auferasque quod sine causa est, odium de medio nostri, ne præualeant hi in illos: neque illos contra hos petentes exaudias, neque hos contra illos orantes: qui omnes sunt serui tui filiique fœderis. *Honi Iud. apud Ioseph.*

OMnipotens genitor rerum cui summa potestas, *Paulini.*
Exaudi, si iusta precor. Ne sit mihi tristis
Vlla dies, placidam nox rumpat nulla quietem.
Nec placeant aliena mihi. quin & mea prosint
Supplicibus. nullusque habeat mihi vota nocendi,
Aut habeat nocitura mihi, male velle facultas
Nulla sit, at bene posse adsit tranquilla potestas.
Mens contenta suo, nec turpi dedita lucro,
Vincat corporeas, casto bene conscia lecto,
Inlecebras: turpesque iocos obscœnaque dicta
Oderit, illa nocens & multum grata malignis
Auribus, effuso semper rea lingua veneno.
Non obitu adfligar cuiusquam, aut funere crescam.
Inuideam nunquam cuiquam: nec mentiar vnquam.
Adsit læta domus, epulis adludat inemptis
Verua placens fidusque comes, nitidusque minister,
Morigera & coniux, caraque ex coniuge nati.

NIl metuam cupiamque nihil, satis hoc rear esse *Ausonij.*
Quod satis est. nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim mihi: nec faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi, nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio cunctis. male posse facultas
Nulla sit: at bene posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui victu, atque habitu. Sim carus amicis:
Et pater & coniux, sine vulnere nominis huius.

Non animo doleam, non corpore. cuncta quietis
Fungantur membra officijs. nec saucius vllis
Partibus, amissum quicquam desideret vsus.
Parce fruar. securus agam. miracula terræ
Nulla putem suprema mihi cum venerit hora,
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.

PIA VERBA, VOTA INNOXIA,
Rei diuinæ copia est.

O Pater cœlestis, o qui regna cœlorum tenes,
Nominis precamur, vt sit sancta vbique laus tui.
Vtque regnum veniat immensæ tuum potentiæ.
Et voluntas fiat in terris vt in cœlo tua.
Pane nos cottidiano pasce & hodie quæsumus.
Et remitte nostra nobis debita, vt nos cæteris.
Neue nos afflictionum concuti ventis sinas.
Sed malis ab omnibus semper benigne liberes.
Qui tenes regnum, decus, potentiam æternam Deus.

LEX II. TABVLAR.

Insculpsit lapidi quondam quæ dextra Tonantis
Iussa suo populo, memori hæc tu mente reconde.
Gens mea, non aliud me præter numen adores.
Sculptilibus ne flecte genu pictæue tabellæ.
Neue meum nomen vano temeraueris vsu.
Septima diuino tibi sit lux dedita honori.
Sit tibi vterque parens post me venerabile nomen.
Cæde manus arce. sis mente & corpore castus.
Non sit dextra fugax. non mendax lingua propinqui,
Contentus propria, rem nullam liuidus optes.
Hæc fac, Christus ait, viuesque secula fœlix.

Sap. 9. DEus patrum nostrorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti homi-

nem, vt dominaretur creaturæ quæ a te facta est.

Vt disponat orbem terrarum in æquitate & iustitia, & in directione cordis iudicet.

Da regi nostro sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli eum reprobare à pueris tuis.

Tu elegisti eum regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum & filiarum.

Et tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc quum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

Mitte illam de cælis sanctis tuis, a sede magnitudinis tuæ, vt cum illo sit, & cum illo laboret, vt sciat quid acceptum sit apud te.

Scit enim illa omnia,& intelligit: & deducet eum in operibus suis sobrie, & custodiet eum in sua potentia.

Et erunt accepta opera eius, & disponet populum tuum iuste: & erit dignus sedis patrum suorum.

Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?

Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.

Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam,& terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

Et difficile æstimamus quæ in terra sunt & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore.

Quæ autem in cœlis, quis inuestigabit?

Sensum vero tuum quis sciet,nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis: & si correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terra, & quæ tibi placent, didicerint homines?

Nam per sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi Domine, a principio.

Da igitur, Domine, seruo tuo sapientiam & intelligentiam: 2. *Paral.* 1.
vt ingrediatur & egrediatur coram populo tuo.

Da ei cor docile, vt populum tuum iudicare possit; & dis- 3. *Reg.* 3.
cernere inter bonum & malum.

Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis:
Iudicare populum in iustitia, & pauperes in iudicio.
Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.
Iudicet pauperes populi, & saluos faciat filios pauperum: & humiliet calumniatorem.
Oriatur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.
Liberet pauperem à potente: & pauperem cui non est adiutor.
Parcat pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciat.
Ex vsuris & iniquitate redimat animas eorum, & honorabile sit nomen eorum coram illo.
Psal. 100. Perambulet in innocentia cordis sui, in medio domus suæ.
Non proponat ante oculos suos rem iniustam: facientes præuaricationes, odio habeat.
Non adhæreat ei cor prauum: declinantem à se malignum non cognoscat.
Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequatur.
Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edat.
Oculi eius ad fideles terræ, vt sedeant cum eo: ambulans in via recta, hic ei ministret.
Non habitet in medio domus eius qui facit superbiam: qui loquitur iniqua non dirigat in conspectu oculorum eius.
In matutino interficiat peccatores terræ, vt disperdat de ciuitate operantes iniquitatem.
Ierem. 22. Faciat iudicium & iustitiam, & liberet vi oppressum de manu calumniatoris.
Aduenam & paupillum & viduam non contristet, neque opprimat iniquè: & sanguinem innocentem ne effundat.
Prou. 16. Abominabiles sint ei qui agunt impie, & iustitia eius firmetur solium.
Voluntas eius labia iusta: qui recta loquitur, diligatur.
Misericordia & veritas custodiant eum: & roboretur clementia thronus eius.
Prou. 20. & 29. Sedens in solio iudicij dissipet omne malum intuitu suo: & iustitia sua erigat terram.

Honor regis iudicium diligat, iustitia ante eum ambulet, & ponat in via gressus eius. Psal. 98.

Misericordia & veritas obuient sibi, iustitia & pax osculentur se. Psal. 84.

Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. Psal. 131.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi. Psal. 79.

Seruiat tibi, Domine, in timore, & exultet tibi cum tremore. Psal. 2.

Apprehendat disciplinam, nequando tu irascaris, & pereat de via iusta.

Qui das salutem regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno. Psal. 143.

Domine saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te. Psal. 19.

ORATIONES ET PRECES PRO REGIBVS.

DEvs qui fideles tuos ad hoc corripis vt emendes, populum tuum quæsumus ne despicias supplicantem, vt tuæ virtutis auxilio omni hostilitate depulsa & securitas patriæ lætetur, & catholica semper exultet Ecclesia. Per. &c. Ex v. cod. Sacram.

POpuli tui, quæsumus omnipotens Deus, propitiare peccatis, & totius hostilitatis à nobis errores auerte, vt regni Francorum nominis secura libertas in tua deuotione semper exultet, & ab hostium nos defende formidine: vt omni perturbatione submota, liberis tibi mentibus seruiamus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus æterno dominaris imperio, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ; & Francorum regni adesto principibus, vt tua tranquilitate clementes, tua semper sint virtute victores.

OMnipotens & misericors Deus cuius regnum est omnium seculorum, supplicationes nostras clementer exaudi, & Francorum regni tibi subditum protege principatum,

vt in tua virtute fidentes & tibi placeant, & super omnia regna præcellant.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius arbitrio regnorum omnium iura consistunt, protege regni Francorum nominis vbiq; rectores, vt eorum votiua prosperitas, pax tuorum possit esse populorum.

Super oblata.

SAcrificium, Domine, quod immolamus intende, vt ab omni nos exuat bellorum nequitia, & in tuæ protectionis securitate constituat: vt & a nostris mundemur occultis, & ab inimicorum liberemur insidiis. Suscipe propitius hostias, quibus & te placari voluisti; & nobis salutem potenti pietate restitue. Per. &c.

Contestata siue Actio.

V.D. Agnoscimus enim Domine Deus noster, agnoscimus sicut prophetica dudum voce testatus es * xpectantium merita pertinere, vt seruorum tuorum labore quæsita sub conspectu nostro manibus deripiantur alienis: & quæ desudantibus famulis nasci tribuis, ab hostibus patiaris adsumi: totoque corde prostrati supplices exoramus, vt & præteritorum concedas veniam delictorum, & Francorum regni nominis inimicos virtute tuæ comprimas maiestatis; quia tunc defensionem tuam non diffidimus adfuturam, cum a nobis ea quibus offendimur dignanter expuleris, vt populus tuus fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate semper exultet.

Per qvem maiestatem.

HAnc igitur oblationem seruitutis nostræ, quam tibi offerimus pro salute & incolumitate vel statu regni Francorum, pro quibus Domine omnipotens Deus, tibi supplices fundimus preces, te in omnibus ducem, te in omnibus viis suis protectorem mereantur habere: Quæsumus, Domine, vt placatus suscipias.

Post Commun.

PRotege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis & corporis, & spiritalibus enutriens alimentis, a cunctis hostibus redde securos.

FIdelem populum tuum quæſumus ita potentiæ tuæ muniat inuicta defenſio, vt pio ſemper tibi deuotus affectu, & ab infeſtis liberetur inimicis, & in tua iugiter gratia perſeueret. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

ORamus te, Domine, pro imperio, vt filius patri in eo, ſicut æquum eſt, ſuccedat, & vt id ipſum imperium cunctis populis ſub ditionem principis noſtri confluentibus, augmentum capiat & incrementum, vt quietam & tranquillam vitam agamus, & imperata omnia non grauate exequamur. *Athen.*

CVſtodi quæſumus, Domine, imperatorem noſtrum, quem rerum eſſe cuſtodem voluiſti, & voluntatem eius inſpira qua ſemper in amore nominis tui perſeueret, quod omnibus ſit ſalutare, & ipſi ad felicitatem, & ceteris ad quietem. *Lact. Fi.*

TE ſolum ſcimus, Domine, te regem nouimus, te adiutorem inuocamus: per te victorias reportamus: per te hoſtibus potentiores euadimus. Tibi nos eorum quibus fruimur, bonorum debere gratiam agnoſcimus: teq; futurorum etiam largitorem fore ſperamus. Tibi omnes ſupplicamus, vt imperatorem noſtrum filioſque eius tui amantes quamdiutiſſime nobis ſaluos ac victores conſerues. *Euſeb.*

QVæſumus omnipotens Deus, vt ſereniſſimum ac religioſiſſimum Dominum noſtrum N. fidei ſuæ conſeruatione ſtabilias, prærogatione iuſtitiæ munias, pacem ei locupletem reddas, impenſione miſericordiæ tuæ fulcias, virium fortitudine robores: commiſſa ipſi regni gubernacula diſcreto moderamine tenere concedas: vt commiſſos ſibi populos benigne regat, æque diſponat, & iure pietatis modificet. *Syn. Are.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quæſumus, vt ita in præſenti collecta multitudine cunctorum in commune ſalutem diſponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. *Alcuin. ſynodi temp.*

QVæſumus omnipotens Deus vt famulus tuus N. qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus & Collecta ex Sacr.

vitiorum monſtra deuitare, & ad te, qui via, veritas & vita es, gratioſus valeat peruenire.

DEvs regnorum omnium & maxime Chriſtiani protector imperij, da ſeruo tuo regi noſtro N. triumphum virtutis tuæ ſcienter explere, vt qui tua conſtitutione princeps eſt, tuo ſemper munere ſit potens.

DEvs qui ad prædicandum æterni regis Euangelium, Ro. imperium præparaſti, prætende famulo tuo regi noſtro arma cæleſtia, vt pax Eccleſiarum nulla turbetur tempeſtate bellorum.

DEvs in cuius manu corda ſunt regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & principibus noſtris famulis tuis, regimen tuæ adpone ſapientiæ, vt hauſtis de tuo fonte conſilijs & tibi placeant & ſuper omnia præcellant.

MOSAYCARVM
ET ROMANARVM LEGVM
COLLATIO, EX INTEGRIS PAPINIAN Pauli, Vlpiani, Gaij, Modestini, aliorumque veterum Iuris auctorum libris ante tempora Iustiniani Imp. desumpta.

EIVSDEM IMP. IVSTINIANI Nouellæ Constitutiones III.

IVLIANI Antecessoris C P. *Dictatum de Consiliarijs.*

EIVSDEM IVLIANI Collectio de contutoribus.

Ex bibliotheca P. PITHOEI IC. cuius etiam Notæ emendatiores adiectæ sunt.



CLARISS. ATQVE AMPLISS. VIRO CHRISTOFORO THVANO CELIO, EQVITI, REGNI Curiæ Præſidi primario, & ſacri conſiſtorii Senatori, P. Pithœus S.

CVR has ad te veterum iuris auctorum reliquias vltro deferam, non vna cauſa eſt, Præſes ampliſſime, ſed ea maxime iuſta, quod quæ nonnullis fortaſſe contra Iuſtiniani principis interdictum in lucem prolatæ videbuntur, eas oportuit ſanctiore aliquo nomine defendi aduerſus ingratiſſimorum hominum aut calumnias, aut ineptias, qui vel diſſimulant, vel neſciunt, ab illo quidem comparationem modo & in iudiciis recitationem apud ſuos prohibitam, nos vero Romanarum legum maieſtatem ſic comiter conſeruare, vt tamen illis nihil in nos licere patiamur, niſi quod earum rationi & æquitati non auctoritati & ſanctioni concedimus. Cuius vero ad hanc defenſionem auguſtius nomen eligi potuit quam tuum? quo demum Præſide purior hæc Iuriſprudentia vſu fori recepta eſt, quique iuris noſtri in ſummo iſto Galliæ tribunali

ita clauum tenes, ita regis, vt quod ille olim vir maximus, tu στόμα Senatus & quodammodo ἔμψυχος νόμος non immerito dici possis. Sed est quod tu iure quodam tuo virilem tibi protionem vindicare queas in nostris omnium operis quarum patronus es summus, aut potius pater, quando tibi pietatis quam potestatis nomen gratius esse summa tua humanitas non obscure suadet. Accessit & illa paternæ quondam erga te obseruantiæ recordatio, qua te nuper non leuiter affectum sensi, cum patriæ nostræ Historiæ particulam ea fronte exciperes, vt familiaris atque etiam amici quondam tui os, oculos, vultum, illam denique naturæ similitudinem in filio non inlubenter recognoscere videreris. Quæ res, vt verum fatear, animum sic accendit meum, vt ab eo tempore optarim semper illum mihi diem dari quo & benignitati tuæ aliqua saltem ex parte respondere, & genere quodam officij testari possem illam me paternæ in te reuerentiæ hæreditatem non tam creuisse, quam continuatione quadam animi retinuisse. Accipies igitur hoc ab homine tibi tuisque virtutibus addictissimo munus, non magnum illud quidem, sed tale tamen quale tibi & per te publicæ vtilitati hoc tempore præstare potuit, maiora fortasse aliquando præstaturus si quem illi Deus boni ciuis animum erga Remp. dedit, eum ipse pro sua singulari clementia quibus potest modis confirmet, augeat, instruat, adiuuet, tueatur. Bene vale, vir amplissime. Lutetiæ Parisiorum Kalend. Octobr. M. D. LXXII.



INCIPIT LEX DEI QVAM DEVS PRÆCEPIT AD MOYSEN.



OYSES DEI SACERDOS HÆC DICIT. I.
Si quis percußerit hominem ferro, & occiderit eum, morte moriatur. Sin autem manu lapide ve quo mori poßit percußerit, & mortuus fuerit, homicida est: morte moriatur. Si autem per inimicitiam impulerit eum, vel inmiserit super eum aliquod vas ex insidijs, & mortuus fuerit: vel per iram percußerit eum manu & mortuus fuerit, morte moriatur.

PAVLVS quoque libro quinto Sententiarum sub titulo ad Legem Corneliam de sicarijs & veneficis, dicit. LEX Cornelia pœnam deportationis infligit ei qui hominem occiderit, eiusque rei causa, furti ve faciendi cum telo fuerit: & qui venenum hominis necandi causa habuerit, vendiderit, parauerit, falsum ve testimonium dixerit quo quis perisset, mortisve causam præstiterit. Quæ omnia facinora in honestiores pœna capitis vindicari placuit: humiliores verò aut in crucem tolluntur, aut bestijs subiiciuntur.

VLPIANVS libro VII. de officio Proconsulis, sub titulo De sicarijs & veneficis. CAPITE primo legis Corneliæ de sicarijs cauetur, VT IS PRÆTOR iudexve quæstionis, cui sorte obuenerit quæstio de sicarijs, eius quod in vrbe Roma propius mille passus factum sit, vti quærat cum iudicibus qui ei ex lege sorte obuenerint, de capite eius qui cum telo ambulauerit hominis necandi furtive faciendi causa, hominem-

ve occiderit, cuius id dolo malo factum fuerit. & reliqua. Relatis verbis legis modo ipse loquitur Vlpianus. Hæc lex non omnem qui cum telo ambulauerit, punit: sed eum tantum qui hominis necandi, furti ve faciendi causa telum gerit, coercit, compescit. Item eum qui hominem occidit, coercit: nec adiecit cuius conditionis hominem, vt & ad seruum & peregrinum pertinere hæc lex videatur.

ITEM PAVLVS libro quo supra & titulo, dicit. HOMICIDA est, qui aliquo genere teli hominem occidit, mortisve causam præstitit.

ITEM de casualibus homicidis MOYSES legaliter dicit. SI AVTEM *non per inimicitias immiserit super eum aliquod vas non insidians, vel lapidem quo moriatur non per dolum, & ceciderit super eum, & mortuus fuerit, si neque inimicus eius, neque quæsierit malefacere ei, iudicabitis inter eum qui percusserit & proximum mortui secundum iudicia hæc, & liberabitis percussorem.*

VLPIANVS libro & titulo qui supra relati. DISTINCTIONEM casus & voluntatis in homicidio seruari rescripto Hadriani confirmatur. Verba rescripti. ET qui hominem
" occidit, absolui solet, scilicet si non occidendi animo id ad-
" misit: & qui non occidit, sed voluit occidere, pro homici-
" da damnatur. E re itaque constituendum est * ex quo ferro
" percussit ipsa funditus. Nam si gladium instrinxit, aut telo
* " percussit, quid dubium est quin occidendi animo percus-
" serit? Sic lapide percussit, aut cucuma, aut cum forte rixare-
* " tur, ferro percussit, sed non occidendi mente. Ergo hoc ex-
" quirite, & si voluntas occidendi fuit, vt homicidam seruum
" supplicio * cum iure iubete affici.

PAVLVS libro quinto titulo quo supra. QVI hominem occidit, aliquando absoluitur: & qui non occidit, vt homicida damnatur. Consilium enim vniuscuiusque, non factum puniendum est. Ideoque qui cum vellet occidere, casu aliquo perpetrare non potuit, vt homicida punitur: & is qui casu teli hominem imprudenter ferierit absoluitur. Quod si in rixa percussus homo fuerit, quoniam ictus quoque ipsos contra vnumquemque contemplari oportet, ideo humiliores in

res in ludum aut in metallum damnantur, honestiores dimidia parte bonorum mulctati relegantur.

ITEM GREGORIANVS libro IIII. ad legem Corneliam de sicarijs & veneficis, talem constitutionem ponit. IMPERATOR Antoninus A. Aurelio Herculano & alijs militibus. Frater vester rectius fecerit si se Præsidi prouinciæ obtulerit: cui si probauerit non occidendi animo Iustam a se percussam esse, remissa homicidij pœna secundum disciplinam militarem sententiam proferet. Proposita prid. Kl. Febr. Læto II. Cons.

ITEM GREGORIANVS eodem titulo & libro talem constitutionem ponit. IMP. Alexander Aurelio Fauio, & alijs militibus. SI modo pro quo libellum dedistis non dolo præstitit mortem minime perhorrescat. Crimen quippe ita contrahitur si & voluntas occidendi intercedat. Ceterum ea quæ ex improuiso casu potius quam fraude accidunt, fato plerumq; non noxæ imputantur. Prop. XIII. Kl. Aug. Alexandro Cons.

ITEM GREGORIANVS eodem libro & titulo tale rescriptum dedit.* quod si dominum *. Habe Agato K N. Qualitas precum IulI Antonini clementiam nostram facile commouit: quippe quod asseueret homicidium se non voluntate sed casu fortuito fecisse, cum calcis ictu mortis occasio præbita videatur. Quod si ita est, neque super hoc ambigi poterit, omni eum metu ac suspicione quod ex admissi discrimine sustinet, secundum id quod adnotatione nostra comprehensum est, volumus liberari. Dat. prid. Kl. Dec. Diocletiano A. IIII. & Maximiano Conss.

VLPIANVS libro & titulo quo supra. CVM quidam per lasciuiam causam mortis præbuisset, comprobatum est factum Taurini EgnatI Proc. Bæticæ a Diuo Hadriano, quod eum in quinquennium relegasset. Verba Consultationis & rescripti ita se habent * em *. Inter Clodium, Optime Imperator, & Euaristum cognouit, quod Clodius Lupi filius in conuiuio dum sago iactatur, culpa Marij Euaristi ita male acceptus fuerit, vt post diem quintum moreretur. Ad que apparebat nulla inimicitia cum Euaristi fuisset nec cupidita-

" tis culpam coercendum credidit, vt ceteri eiusdem ætatis
" iuuencs emendarentur. Ideoque Mario Euaristo vrbe Italia
" prouincia Bæticæ in quinquennium interdixit: decreuit &
" impendi causa duo millia patri eius persolueret Euaristus,
" quod manifesta eius fuerat paupertas, vel res. Verba rescri-
" pti. Pœnam MarI Euaristi recte Egn. Taurine moderatus
" es ad modum culpæ. Refert enim & in maioribus delictis
" consulto aliquid admittatur, an casu. Et sane in omnibus
" criminibus distinctio hæc pœnam aut * iustitiam prouocare
debet, aut temperamentum admittere.

MODESTINVS libro differentiarum sexto, sub titulo de scientibus & ignorantibus, generaliter loquitur. NONNVNQVAM per ignorantiam delinquentibus iure ciuili venia tribui solet, si modo rem facti quis non iuris ignoret, quæ scilicet consilio delinquentibus præstari non solet. Propter quod necessarium est, addita distinctione considerare vtrum sciente an ignorante aliquo quid gestum proponatur. & reliqua.

PAVLVS libro & titulo quo supra. QVI telum tutandæ salutis causa geret, non videatur hominis occidendi causa portare. Teli autem appellatione non tantum ferrum continetur, sed omne quod nocendi causa portatum est.

EXPLICIT TITVLVS DE SICARIIS & homicidis casu vel voluntate.

INCIPIT DE ATROCI INIVRIA.

MOYSES DICIT.

II. SI AVTEM *contenderint duo viri, & percusserit alter alterum lapide aut pugno, & non fuerit mortuus, decubuerit autem in lectulo, & si surgens ambulauerit homo foris in baculo, sine crimine erit ille qui eum percusserat: præter accessionis mercedem dabit ei & medico inpensas curationis.*

VLPIANVS libro regulari sub titulo De iniurijs. INIVRIA si quidem atrox, id est grauis rerum non sine iudicis arbitrio æstimatur. Atrocem autem æstimare solere Prætorem, * adque collegi ex facto, vt puta si verberatus vel vulneratus fuerit. & reliqua.

PAPIANVS libro definitionum secundo sub titulo De iudicatis. PER hominem liberum noxiæ deditum si tantum adquisitum sit quantum damnum dedit, manumittere cogendus est a Prætore qui noxæ deditum accepit. sed fiduciæ iudicio non tenetur.

VLPIANVS libro XVIIII. ad edictum, sub titulo, Si fatebitur iniuria occisum esse in simplum. & cum diceret. RVPISSE eum vtique accipiemus qui vulnerauerit, vel virgis, vel loris, vel pugnis cedit, vel telo cum alio vis genere cederet hominis corpus, * vel tumorem fecerit, vel ita demum si damnum datum est. De cetero si in nullo seruum pretio viliorem deteriorem ve fecerit, ad Aquiliam cessat, iniuriarumque erit agendum. Ergo & si pretio quidem non sit deterior factus seruus, verum sumptus in salute eius & sanitate facti sunt, in hæc nec mihi videtur damni * Aquilia lege posse.

PAVLVS libro singulari & titulo De iniuriis. GENERALITER dicitur iniuria omne quod non iure fit. Specialiter alia est contumelia quam Græci * AΔIKIAN vocant. Nam cum Prætor noster aduersum nos pronunciaret, iniuriam nos accepisse dicimus. Vnde apparet non verum esse quod Labeo putabat, apud Prætorem iniuriam YBPIN dũtaxat significare. * communem omnibus enim iuris est, quod semper aduersus bonos mores fit idq; non fieri alicuius interest. Hoc edictum ad eam iniuriam pertinet quę contumeliæ causa fit. Fit autem iniuria vel in corpore, dum cedimur: vel verbis, dum conuitium patimur: vel cum dignitas læditur, vt cum matronæ vel prætextatæ comites abducuntur. Iniuriarum actio aut legitima est aut honoraria. legitima ex lege duodecim tabularum. * QVI iniuriam alteri facit quinq; & viginti sestertiorum pœnam subit. quæ lex generalis fuit libero trecentos seruos CL pœnam subito sextertiorum. *

IDEM PAVLVS eodem libro singulari, sub titulo Quemadmodum iniuriarum agatur. QVI autem iniuriarum in quid aget, certum dicat quid iniuriæ factum sit, & taxationem ponat non minorem quam quanti vadimonium fuerit. Certum dicit qui suo nomine demonstrat iniuriam, neque ita vt per disiunctionem hoc aut illud accidisse comprehendat, sed vt necesse habeat aut vnam nomini suo rem destinare, aut plures ita complecti vt omnes eas accidisse cogatur probare. Certum autem an incertum dicat, cognitio ipsius Prætoris est. Demonstrat autem hoc loco Prætor non vocem agentis; sed qualem formulam edat. Certum non dicit qui dicit pulsatum, si sit verberatus, sed & partem corporis demonstrat, & quem in modum, pugno puta, an fuste, an lapide, sicut formula posita est, QVOD AVLI AGERII PVGNO MOLA PERCVSSA EST. illud non cogitur dicere, dextra an sinistra nec qua manu percussit. Ita si dicat infamatum se esse, debet adijcere quemadmodum infamatus sit. Sic enim & formula concepta est, QVOD NVMEDIVS NIGIDIVS ILLVM INMISIT AVLO AGERIO INFAMANDI CAVSA.

PAVLVS librò Sententiarum sub titulo ad legem Corneliam de sicarijs & veneficis. CAVSA mortis idon ea non videtur, cum læsus homo post aliquos dies officium diuturnæ vitæ retinens decessit, nisi forte fuerit ad necem cæsus, aut lætaliter vulneratus.

INCIPIT DE IVRE ET SÆVITIA DOMINORVM.

MOYSES DICIT.

III. S*I * QVIS percusserit seruum aut ancillam virga, & mortuus fuerit in manibus eius, iudicio vindicetur. Quod si superuixerit die vno, aut duobus, non vindicabitur. pretium enim ipsius est.*

PAVLVS libro Sententiarum ſub titulo ad legem Corneliam de ſicarijs & veneficis. dicit. SERVVS ſi plagis defecerit, * niſi id dolo fiat, dominus homicidij reus non poteſt poſtulari. Modum enim caſtigandi & in ſeruorum cohercitione placuit temperari.

VLPIANVS libro octauo de officio Proconſulis, ſub titulo De dominorum ſæuitia. * SI dominus in ſeruum ſæuierit, vel ad pudicitiam turpemq; violationem compellat, quæ ſint partes Præſidis ex reſcripto Diui Pij ad Aurelium Marcianum Proconſulem Bæticæ manifeſtatur: Cuius reſcripti verba hæc ſunt. * Dominorum quidem poteſtatem in ſeruos " ſuos inlibatam eſſe oportet, nec cuiquam hominum ius ſuum " detrahi. Sed dominorum intereſt ne auxilium contra ſæui- " tiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur iis " qui iuſte deprecantur. Ideoque cognoſce de querellis illo- " rum qui ex familia Iul I Sabini ad ſtatuam confugerunt, & ſiue " durius habiti quam æquum, * vel infamiæ iniuria adfectos co- " gnoueris, venire iube, vt in poteſtatem Sabini non reuertan- " tur. Quod ſi meæ conſtitutioni * fraudem fecerit, ſciet me ad- " miſſum ſeuerius executurum. Diuus etiam Adrianus Vmbram quandam matronam in quinquennium relegauit, quod ex leuiſſimis cauſis ancillas atrociſſime tractaret. Item Diuus Pius ad libellum Alfi Iuli reſcripſit hæc verba. Seruo- " rum obſequium non ſolum imperio, ſed & moderatione, & " ſufficientibus præbitis, & iuſtis operibus contineri oportet. " Itaque & ipſe curare debet iuſte ac temperate & vos tractare " vt & facili requirere eo poſſit, niſi apparuerit vel in parente " * impendijs eſſe, vel atrociorem dominationem ſęuitiam exer- " cere neceſſe habeat Proconſ. v. c. ne quid tumultuoſius con- " * tra accidat, præuenire ſe, & ex mea iam auctoritate, ad alie- " * nandos eos compellere. Grauione & Romulo Conss.

GREGORIANVS libro XVIIII ſub titulo De accuſationibus. IMPP. DIOCLETIANVS & Maximianus Augusti Aurelio Sacrato militi. Cum ſeruum tuum vi ægritudinis grauiter oppreſſum fati munus impleſſe proponas, propter immoderatam caſtigationem calumniæ cauſationem.

emergere, * innotitiæ ratio , cuius fiduciam geris , non permitt t. Prop. Non. Decemb. Diocletiano A. III & Aristone Conss.

EXPLICIT TITVLVS DE DOMI- *norum sæuitia cohibenda.*

INCIPIT DE ADVL- TERIO.

MOYSES DIXIT.

IIII. QVICVNQVE *mœchatus fuerit cum muliere proximi sui , morte moriatur qui mœchatus fuerit & quæ mœchata fuerit. Quod si aliquis seduxerit virginem non desponsatam & stuprauerit eam, ducat eam sibi in vxorem. Quod si renuerit pater eius & noluerit eam dare illi in vxorem , pecuniam inferet patri in quantum est dos virginis.*

PAVLVS libro singulari de adulterijs sub titulo. BREVEM interpretationem de adulteris cohercendis facturus per ipsa capita ire malui , ordinemque legis seruare. Et quidem primum caput legis Iuliæ de adulterijs prioribus legibus pluribus abrogat. Secundo vero capite permittit pater * filias suas quas in potestatem haber, vt in ea quæ auctore cum * in potestate esset viro in manum conuenerit , adulterum domui suæ generive sui deprehenderit, in quem eam rem socerū adhibuerit, vt is pater cum adulterum sine fraude occidat, ita vt filiam in continenti occidat. * Inuidia autem filia qui adulterum deprehensum occiderit, & in continenti filiam , lic to iure hoc factum Marcellus libro XXXI. Digestorum scribit. Auctoritate quoque pater posse interficeret vel Cons. verum vel patronum suum in filiam adulterum deprehenderit , eodem libro Marcellus probat. Sed si filiam non * interfecerit sed solum adulterum , homicidij reus est. Si ex interuallo filiam interfecerit, tantundum est, nisi persequu-

tus interfecerit. Continuatione enim animi videtur legis auctoritate fecisse.

IDEM PAVLVS eodem singulari libro & titulo. CERTÆ autem enumerantur personæ, quas viro liceat occidere in adulterio deprenhensa vxore, quamuis vxorem non liceat. Ergo secũdum leges viro etiam filio familias permittitur etiam domi suæ deprehensum adulterum interficere seruum, & eum qui auctoramento rogatus est ad gladium, vel etiam illum qui operas suas vt cum bestijs pugnaret, locauit. Sed & iudicio publico damnatum licere interficere in adulterio deprehensum, libertinum, vel suum, vel paternum, & tam ciuem Romanum quam Latinum. Sed & patris & matris, & filij & filiæ libertum permittitur occidere: quo loco & deditius haberetur. Debet autem profiteri apud eum cuius iurisdictio est eo loco vbi occidit, & vxorem dimittere. Quod si non fecerit, impune non interficit. Sciendum est autem Diuum Marcum & Commodum rescripsisse, eum qui adulterum inlicite interfecerit, leuiori pœna puniri. Sed & Magnus Antoninus pepercit eis qui adulteros inconsulto calore ducti interfecerunt. & reliqua.

IDEM PAVLVS eodem libro singulari & titulo. IVRE mariti vel patris qui accusat, potest & sine calumniæ pœna vinci: si iure extranei accusat, potest calumniæ pœna puniri, sed tantum post duo menses. Intra quatuor menses vtiles expertus, licet talis sit qui alias accusare non possit, vt libertinus aut minor vigintiquinque annorum, aut infamis, tamen ad accusationem admittitur, vt & Papianus libro xv. scripsit.

PAPIANVS libro xv. responsorum sub titulo ad legem Iuliam de adulteris. CIVIS Romanus qui sine connubio sibi peregrinam in matrimonio habuit, iure quidem mariti eam adulteram non postulat, sed ei non opponetur infamia vel quod libertinus rem sestertiorum triginta millium aut filium non habuit. propriam iniuriam persequenti.

PAVLVS libro singulari & titulo quo supra. IN vxorem adulterium vindicatur iure meriti, non etiam sponsam. Seuerus quoque & Antoninus ita rescripserunt.

PAPIANVS LIBRO ſingulari de adulteriis. QVÆREBATVR an pater emancipatam filiam iure patris accuſare poſſit. Reſpondit. Occidendi quidem facultatem Lex tribuit eam filiam quam habet in poteſtatem, aut eo auctore in manum conuenit: ſed accuſare iure patris ne quidem emancipatam filiam pater prohibetur.

PAPIANVS eodem ſingulari & titulo. CVM patri lex Regia dederit in filiam vitæ neciſque poteſtatem, quod bonum fuit lege comprehendi, vt poteſtas fieret etiam filiam occidendi, vellem mihi reſcribere, nam ſcire cupio. Reſpondit. Numquid ex contrario præſtat nobis argumentum hęc adie-
* ctio vt non videatur lex non habenti dediſſe, vt videatur maiore æquitate ductus adulterum occidiſſe, cum nec filiæ pepercerit.

IDEM. SI pater qui adulterum occidit & filiæ ſuæ pepercit, quæro quid aduerſus eum ſit ſtatuendum? Reſpondit. Sine dubio iſte pater homicida eſt. Igitur tenebitur lege Cornelia de ſicariis. Plane ſi filia non voluntate patris, ſed caſu ſeruata eſt, nō minimam habebit defenſionem pater quod forte filiam. * Nam lex ita punit homicidam ſi dolo malo homicidium factum fuerit. Hic autem pater non ideo ſeruauit filiam quia voluit, ſed quia occidere eam non potuit.

PAPIANVS idem. SI maritus vxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidit, an in legem de ſicarijs incidit quæro. Reſpondit. Nulla parte legis marito vxorem occidere conce-
* ditur. Quare ea parte contra legem feciſſe eum non * dubitantur non ambigitur. Sed ſi de pœna tractas * non * his quæ aliquid eius honeſtimo calori permittetur, ambigitur. Sic dicit non dubitantur, vt non quaſi homicida puniatur capite vel deportatione, ſed vſque ad exitium pœna eius ſtatuitur.

ITEM SIC. De mancipiis alterius marito vel patre accuſante quæſtionem habendam palam eſſe: An idem extraneo accuſatori permitti debeat, quæro. Reſpondit. Poteſt videri ea ratio fuiſſe permittendi iſtis perſonis de ſeruis queſtionem habere, vt diligentius dolorem animi ſui, item iniuriam lecti & domus, non tranſlaticie perſequerentur. Sed quoniam non facile

facile tale delictum ſine miniſterio ſeruorum admitti creditum eſt, ratio eo perduxit, vt etiam extraneo accuſante mancipia quæſtioni tormentorum ſubiicerentur a iudicibus.

PAVLVS libro * Sententiarum ſub titulo de adulteriis. PERMITTITVR tam adoptiuo quam naturali patri, adulterum cum filia cuiuſque dignitatis domi ſuæ vel generi ſui deprehenſum ſua manu occidere. Filius familiæ pater ſi filiam in adulterio deprehenderit, verbis quidem legis prope eſt vt non poſſit occidere, permittitur tamen etiam ei vt occidat. Maritus in adulterio deprehenſos non alios quam infames & eos qui corpore quæſtum faciunt, ſeruos etiam & liberos, excepta vxore quam prohibetur, occidere poteſt. Maritum qui vxorem deprehenſam cum adultero occidit, quia hoc impatientia iuſti doloris admiſit, lenius puniri placuit. Occiſo adultero dimittere ſtatim maritus debet vxorem, atque ita triduo proximo profiteri cum quo adultero, & in quo loco vxorem deprehenderit. Inuenta in adulterio vxore maritus ita demum adulterum maritus occidere poteſt * ſi eum domi ſuæ deprehendat. Eum qui in adulterio deprehenſam vxorem non ſtatim dimiſerit, reum lenocinij poſtulari placuit. Serui vero tam mariti quam vxoris in cauſa adulterij torqueri poſſunt: nec his libertas ſub ſpecie impunitatis data valebit.

EXPLICIT TITVLVS IIII.

INCIPIT DE STVPRATORIBVS.

MOYSES DICIT. *QVI manſerit cum maſculo manſione muliebri, aſpernamentum eſt, ambo moriantur: rei ſunt.* V.

PAVLVS libro * Sententiarum ſub titulo de adulteris. QVI maſculum liberum inuitum ſtuprauerit, capite punietur qui voluntate ſua ſtuprum flagitiumque impurum patitur, dimidia parte bonorum ſuorum multatur, nec teſtamentum ei ex maiore parte facere licet. Hoc quidem iuris eſt, mentem tamen le-

gis Moysis, Imperatoris Theodosij constitutio ad plenum secuta cognoscitur.

ITEM Theodosianus. IMPP. VALENTINIANVS, Theodosius & Arcadius Augusti, ad Orientium vicarium vrbis Romæ. Non patiamur vrbis Romæ virtutem omnium matrem diutius effœminati in viros pudoris contaminatione fœdari, & ageste illud ab priscis conditoribus robur fracta molliter plebe tenuatum, convitium sæculi vel conditorum inrogare vel principium. Orienti AGVC nouis. Laudanda igitur experientia tua, omnis flagitiosus luxus est viri corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia, nihilque discretum habere cum feminis, occupatos, vt flagitij poscit inmanitas, atque omnibus seductos, pudet dicere, virorum lupanaribus, spectante populo flammis vindicibus expiabit, vt vniuersi intelligant sacrosanctum cunctis esse debere hospitium virilis animæ nec sine summo supplicio alienum expetisse sexum, qui suum turpiter perdidisset. Prop. prid. Id. Maias, Romæ, In atrio Mineruæ.

EXPLICIT TITVLVS DE *stupratoribus.*

INCIPIT DE INCESTIS NVPTIIS.

VI. MOYSES DICIT. QVICVNQVE *concubuerit cum muliere vxore patris sui, pudenda patris sui detexit, morte moriantur: ambo rei sunt. Et quicunque concubuerit cum nuru sua, morte moriantur: ambo rei sunt.*

VLPIANVS libro Regulari De nuptiis sub titulo INTER parentes & liberos cuiusque gradus sint, connubium non est. Inter cognatos autem ex transuerso gradu, olim quidem matrimonia contrahi non poterant, nunc autem ex tertio gradu licet vxorem ducere, sed tantum fratris filiam non etiam sororis: nec amitã, nec materterã, quãuis eodem gradu sint. Eam quæ nouerca, vel priuigna, vel quæ nurus vel socrus fuit, vxorẽ ducere non possumus. Si quis eam quam non licet, vxorem

duxerit, inceſtum matrimonium contrahit, ideoque liberi in poteſtate eius non fiunt, ſed quaſi vulgo concepti, ſpurij ſunt.

PAVLVS libro * Sententiarum De nuptiis ſub titulo. INTER parentes & liberos iure ciuili matrimonia contrahi non poſſunt, nec filiam ſororis aut neptem ducere poſſumus. Proneptem ætatis ratio prohibet. Adoptiua cognatio impedit nuptias inter parentes ac liberos omnimodo: inter fratres eatenus quatenus capitis minutio non interuenit. Nec ſocrum nec nurum, priuignam nec nouercam aliquando citra pœnam inceſti vxorem ducere licet: ſicut nec amitam, aut materteram. * ſed vel cognatam contra interdictum duxerit, remiſſo mulieri iuris errore, ipſe pœnam adulterij legis Iuliæ patitur, non etiam ducta.

GREGORIANVS libro quinto De nuptiis ſub titulo. Exemplum literarum Diocletiani & Maximiani Impp. talem coniunctionem grauiter puniri commemorat.

EXEMPLVM Edicti Dioclitiani & Maximiani nobiliſſimorum Cæſarum. QVONIAM piis religioſiſque mentibus noſtris ea quæ Romanis legibus caſte ſancteque ſunt conſtituta, venerabilia maxime videntur atque æterna religione ſeruanda, diſſimulare ea quæ à quibuſdam in præteritum nefarie inceſteque commiſſa ſunt, non oportere credimus, cum vel cohibenda ſunt, vel etiam vindicanda, inſurgere nos diſciplina * noſtrorum temporum cohortatur. Ita enim & ipſos inmortales Deos Romano nomini, vt ſemper fuerunt, fauentes atque placatos futuros eſſe non dubium eſt, ſi cunctos ſub imperio noſtro agentes piam, religioſamque, & quietam, & caſtam in omnibus more colere perſpexerimus vitam. In quo id etiam prouidendum quam maxime eſſe cenſuimus, vt matrimonijs religioſe atque legitime iuxta diſciplinam iuris veteris copulatis, tam eorum honeſtati qui nuptiarum coniunctiones ſectantur, quam etiam his qui cum deinceps ſeruata religione naſcentur, incipiat eſſe conſultum, & honeſtate naſcendi etiam poſteritas ipſa purgata ſit. Id enim pietati noſtræ maxime placuit, vt ſancte neceſſitudinum nomina obtineant apud affectus ſuos piam ac religioſam conſanguinitati debi-

tam caritatem. Nefas enim credere est ea quæ in præteritum a compluribus constat esse commissa, cum pecudum ac ferarum promiscuo ritu, ad inlicita connubia instinctu exercendæ libidinis, sine vllo respectu pudoris ac pietatis inruerint. Sed quæcunque antehac vel imperitia delinquentium, vel pro ignorantia iuris, Barbaricæ immanitatis ritu ex inclitis matrimonijs videntur admissa, quamquam essent seuerissime vindicanda, tamen contemplatione clementiæ nostræ ad indulgentiam volumus pertinere: ita tamen vt quicúnque in anteactum tempus inlicitis incestisque se matrimonijs polluerunt, hactenus adeptos se esse nostra indulgentia sciant, vt post tam nefaria facinora, vitam quidem sibi gratulentur esse concessam, sciant tamen non legitimos se suscepisse liberos quos tam nefaria coniunctione genuerunt. Ita enim fiet vt de futuro quoque nemo audeat inefrænatis cupiditatibus obedire, cum & sciant ita præcedentes admissores istiusmodi criminum venia liberatos, vt liberorum quod inlicite genuerunt successiones *careatur,* quæ iuxta vetustatem Romanis legibus negabatur. Et optassemus quidem nec ante quicquam eiusmodi esse commissum quod esset aut clementia remittendum, aut legibus corrigendum. Sed & post hanc religionem sanctitatemque in connubijs copulandis volumus ab vnoquoque seruari, vt se ad disciplinam legesque Romanas meminerint pertinere, & eas tantum sciant nuptias licitas quæ sunt Romano iure permissæ. Cum quibus autem personis tam cognatorum quam ex adfinium numero contrahi non liceat matrimonium, hoc edicto nostro complexi sumus: cum filia, nepte, pronepteque, matre, auia, proauia: & ex latere amita ac matertera, sororis filia, & ex ea nepte. Itemque ex adfinibus priuigna, nouerca, socru, nuru, ceterisque quæ antiquo iure prohibentur, a quibus cunctos volumus ab-
* stinere. Nihil enim nisi hāc tantum ac venerabiles nostra iura
* custodiunt, & ita ad tantam magnitudinem Romanam gesta cunctorum non mirum fauore peruenit, quoniam omnes leges sua religione sapienti pudorisque obseruatione deuinxit. Quare hoc edicto nostro volumus omnibus palam fieri, quod

præteritorum venia per clementiam noſtram contra diſciplinam videtur indulta, ad ea tantum delicta pertineat quæ in die tertio Kal. Ianuariarum Tuſco & Anulino Conss. videntur eſſe commiſſa. Si qua autem contra Romani nominis decus ſanctitatemque legum, poſt ſupradictum diem deprehenduntur admiſſa, digna ſeueritate plectentur. Nec enim vllam in tam nefario ſcelere quiſquam æſtimet veniam ſe cõſequi poſſe, qui tam euidenti crimini, & poſt edictum noſtrum non dubitabit * infuere. Dat. Kl. Mai. Damaſco. Tuſco, & Anulino Conss.

ERMOGENIANVS ſub titulo de nuptijs. IMPP. DIOCLITIANVS & Maximianus AA. Fl. Flauiano. His qui inceſtas nuptias per errorem contrahunt, ne pœnis ſubijciantur, ita demum clementia principum ſubuenit, ſi poſtea quam errorem ſuum reſcierint, ilico nefarias nuptias dirimerint. Prop. Id. Mar. * & Diogene Cons.

Hanc quoque conſtitutionem Gregorianus titulo de nuptijs inſeruit, quæ eſt triceſima & ſecunda, alijs tamen & die & coss. * id eſt CONSTITVTIO PP. V. ID. IVN. DIOCLETIANO TER ET MAXIMIANO AVGVSTIS.

PAPIANVS libro ſingulari de adulterijs. QVI ſororis filiam vxorem duxerat per errorem, antequam præueniretur a delatore, dirimit coitum: quæro an adhuc poſſit accuſari. Reſpondit. Ei qui coniunctione ſororis filiæ bona fide abſtinuit, pœnam remitti palam eſt: quia qui errore cognito diremit coitum, creditur eius voluntatis fuiſſe, vt, ſi ſciſſet ſe in eo neceſſitudinis gradu poſitum, non fuiſſet tale matrimonium copulaturus.

Idem dicitur in eos qui inceſtas nuptias contraxerunt. Maledicti tamen ſunt omnes inceſti per legem, cum adhuc rudibus populis ex diuino nutu condita Iſdem abſtipulantibus ſancirentur. Et vtique omnes maledicti puniti ſunt, quos diuina & humana ſententia conſona voce damnauit. Lex diuina ſic dicit.

MALEDICTVS (inquit) dixit Moyſes. QVI *concubuerit cum vxore patris ſui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum ſorore ſua de patre aut de matre: & dicit omnis populus,*

Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum nuru sua: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum socru sua: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum sorore patris sui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum sorore matris suæ, & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum sorore vxoris suæ, & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui dormierit cum vxore fratris sui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui dormierit cum omni pecore: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat.

EXPLICIT TITVLVS DE ADVLTERIS, *stupratoribus & incestis.*

INCIPIT DE FVRIBVS ET POENA EORVM.

* Quod si duodecim tabularum * nocturnum furem autem si se aut telo defendere, interfici iubent, scitote, Iurisconsulti, quia Moyses prius hoc statuit, sicut lectio manifestat.

VII. MOYSES DICIT. SI *perfodiens nocte parietem inuentus fuerit fur, & percusserit eum alius & mortuus fuerit hic, non est homicida is qui percusserit eum. Si autem sol ortus super eum, reus est mortis percussor, & ipse morietur.*

PAVLVS libro Sententiarum v. ad legem Corneliam De sicarijs & veneficis. SI quis furem nocturnum vel diurnum cum se telo defenderet, occiderit, hac quidem lege non tenetur: sed melius fecerit qui eum comprehensum, transmittendum ad Præsidem magistratibus obtulerit.

VLPIANVS libro VIII. ad Edictum sub titulo, Si quadrupes pauperiem dederit. INIVRIA occisum esse merito adicitur. Non enim sufficit occisum, sed oportet iniuria id esse factum. Proinde si quis seruum latronem occiderit, lege Aquilia non tenetur, quia non * occidit. Sed & quemcun-

que alium ferro se petentem qui occiderit, non videbitur iniuria occidisse. Proinde si furem nocturnum quem lex duodecim tabularum omnimodo permittit occidere, aut diurnum quem eaque lex permittit, sed ita demum si se telo defendat, videamus an lege Aquilia teneatur. Et Pōponius dubitat nunc hæc lex non sit in vsu. Et si quis noctu furem occiderit non dubitamus quin lege Aquilia teneatur. Sin autem cum posset adprehendere, maluit occidere, magis est vt iniuria fecisse videatur. Ergo etiam lege Cornelia tenebitur. Iniuriam autem accipere hic nos oportet non quemadmodum & circa iniuriarum actionem, contumeliam quandam, sed quod non iure factum est, hoc est, contra ius, id est, si culpa quis occiderit. & reliqua.

VLPIANVS libro octauo de officio Proconsulis sub titulo De furibus. FVRES ad forum remittendi sunt diurni, nocturnique extra ordinem audiendi, & causa cognita puniendi, dum pœna eorum sciamus operis publici modum non egrediendum. Idem & in balneariis furibus. Sed si se telo fures defendunt, vel effractores, vel ceteri similes, nec quemquam percusserunt, metalli pœna humiliores, honestiores vero relegatione adficiendi erunt.

PAVLVS libro Sententiarum sub titulo De furibus. FVRTI quocumque genere damnatus, famosus efficitur. Fur est qui rem alienam contrectat. Furtorum genera sunt quatuor, Manifesti, nec manifesti, concepti, & oblati. Manifestus fur est qui in faciendo deprehensus est & intra terminos eius loci vnde furatus est comprehensus est, vel antequam ad eum locum quo destinauerat, peruenerit. Nec manifestus est fur, qui intra rapiendo quidem cōprehensus non est, sed eum fecisse negari non potest. Concepti actione tenetur apud quem furtum est inuentum. Oblati actiones tenetur qui rem furtiuam alij obtulit, ne apud se inueniretur. Furti actione is agere potest cuius interest rem non perisse. Conceptiua autem agere potest qui rem concepit & inuenit. Oblati agere potest penes quem res concepti inuenta est.

EXPLICIT TITVLVS DE furibus.

INCIPIT DE FALSO TESTIMONIO.

MOYSES DICIT.

VIII. *SI steterit testis iniustus aduersus hominem accusandum, accusans eum impietatis, stabunt duo homines quibus est inuicem contentio, ante Deum, & ante sacerdotes & ante iudices quicunque fuerint in illis diebus. Cum inquisierint iudices diligenter, & inuentus fuerit testis iniustus testificans iniusta, insurgentes aduersus eum facietis ei sicut voluit malefacere, & delebitis malum de medio vestrum, & ceteri audientes timebunt, nec audebunt mala facere inter vos.*

PAVLVS libro singulari De pœnis omnium legum sub titulo, Ad legem Iuliam de adulteris. QVI falsum testimonium dixerit, proinde tenebitur ac si lege Cornelia testamentaria damnatus esset.

PAVLVS libro Sententiarum quinto sub titulo De testibus & de questionibus. Hi qui falsum vel * aliqua testimonia dixerunt, vel vtriusve parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut curia submouentur.

IDEM libro * ad legem Corneliam de sicariis & veneficis. LEX Cornelia pœnam deportationis infligit ei qui hominem occiderit, eiusque rei causa furtique faciendi cum telo fuerit, & qui venenum hominis necandi causa habuerit, vendiderit, parauerit, falsumve testimonium dixerit quo quis periret, mortisve causam præstiterit. Quæ omnia facinora in honestiores pœna capitis vindicari placuit: humiliores vero aut in crucem tolluntur, aut bestiis subiiciuntur.

PAVLVS libro Sententiarum v. sub titulo Ad legem Corneliam testamentariam. Hi qui ob falsum testimonium perhibendum pecuniam acceperint, dederint, iudicemve vt sententiam

tentiam ferat vel non ferat, corruperint, corrumpendum ve curauerint, humiliores capite puniuntur, honestiores publicatis bonis cum ipso iudice in insulam deponantur.

IDEM eodem libro & titulo. FALSVM est quicquid in veritate non est, sed pro vero adseueratur.

VLPIANVS sub titulo De pœna legis Corneliæ testamentariæ libro VIII. * Præterea factum est Senatusconsultum * Statilio & Tauro Consulibus, quo pœna legis Corneliæ inrogatur ei qui quid aliud quam testamentum sciens signauerit, signari ve curauerit. Item qui fallas testationes faciendas, testamenta ve falsa inuicem dicenda aut consignanda dolo malo curauerit, Licinio v. & Tauro Conss. Item qui ob struendam aduocationem testimonia ve pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit aut aliquam delationem interposuerit. Item si quis coierit ad occisionem innocentium Senatusconsulto quod Cotta & Messala factum est, cohercentur. Sed & si quis ob venundandum vel * denudandum * non remittendum ve testimonium pecuniam acceperit, Senatusconsulto quod duobus Geminis Conss. factum sit, pœna legis Corneliæ adficitur. & reliqua.

* *

ITEM *MOYSES. FALSVM testimonium non dabis aduersus proximum tuum.*

VLPIANVS libro VIIII. de officio Proconsulis ad legem Iuliam de vi publica & priuata. EADEM lege quibusdam testimoniũ omnino, quibusdam interdicitur inuitis, capite octogesimo & VII. & capite octogesimo octauo, in hæc verba, * his verbis * HOMINIBVS IN HAC LEGE IN REVM TESTIMONIVM DICERE NE LICETO, qui se ab eo parente ve eius, liberto ve cuius eorũ libertus liberauerit * qui ve impubes erit * qui ve eorum in integrum restitutus non est, qui ve in vinculis custodiaque publica erit, qui ve de pugnandi causa auctoratus erit, qui ve bestias depugnare locauit, locauerit, præterquam qui Iaculandi causa ad vrbem missus est, erit, palam ve corpore quæstum faciet, fecerit: qui ve ob testimonium

dicendum pecuniam accepisse iudicatus erit, ne ve quis eorum hac lege in reum testimonium dicat: Capite octogesimo septimo his, HOMINES INVITI IN REVM testimonium ne dicant, qui sobrinus est ei reo, propriore ve cognatione coniunctus, qui ve socer, gener, vitricus, priuignusque eius erit. & reliqua.

PAVLVS libro sententiarum v. sub titulo De testibus & quæstionibus. SVSCEPTOS testes & eos vel maxime quos accusator de domo eduxit, vel vitæ humilitas infamauerit, interrogari non placuit. In testibus enim & vitæ qualitas spectari debet & dignitas * si sint ad finem vel cognatum * inuiti testes interrogari non possunt. Aduersus se inuicem parentes & liberi, itemque liberti nec volentes ad testimonium admittendi sunt, quia rei veræ testimonium necessitudo personarum plerumque corrumpit.

EXPLICIT TITVLVS DE FAMILIARI testimonio non admittendo.

INCIPIT DE DEPOSITO.

MOYSES DICIT.

X. *SI aliquis dabit proximo suo argentum vel vas seruare, & furatum fuerit de domo hominis, si inuenitur qui furatus est, reddet duplum. quod si non fuerit inuentus fur, accedat is qui commendatum susceperat ante Dominum, & iurabit nihil se nequiter egisse de omni re commendata proximi sui, & liberabitur.*

MODESTINVS libro Differentiarum secundo De deposito vel commendato. COMMENDATI iudicio conuentus etiã culpã præstare cogitur: qui vero depositi conuenitur, de dolo non etiã de culpa condemnandus est. Commodati enim contractu, quia vtriusque contrahentis vtilitas interuenit, vtrumque præstatur : in depositi vero cum sola deponentis vtilitas vertitur, ibi dolus tantum præstatur. Sed in ceteris quoque partibus iuris ista regula custoditur. sic enim &

in fiduciæ iudicio, & in actione rei vxoriæ & dolus & culpa deducitur: quia vtriusque contrahentis vtilitas interuenit. In mandati vero iudicio dolus* non etiam tutoris vtilitas in administratione versatur. Depositi damnatus infamis est: qui vero commodati damnatur non fit infamis. alter enim propter dolum, alter propter culpam condemnatur. Actione depositi conuentus ci Variarum nomine apud eundem iudicem vtiliter experitur: at is cui res commendata est, improbe ci Variarum exactionem intendit. Impensas tamen necessarias iure persequitur, quas forte in ægrum vel alias laborantem impenderit. * Respondit deposita si subripiatur, dominus domus habet furti actionem, quamvis apud quem res deposita est intersit ob impensas in rem factas se retinere: is vero cui res commodata sit, furti experiri debebit si modo soluendo fuerit. Actio commodati semper in simplum competit: depositi vero nonnumquam in duplum, scilicet si ruinæ vel naufragij, vel incendij, aut tumultus causa res deponatur.

Ermogenianvs sub titulo De deposito huiusmodi inserit constitutionem. Idem Augustus Cæsar Fl. Munatio. Eum qui suscepit depositum, dolum non etiam casum præstare certi iuris est. Cum itaque proponas ignis vi quædam cremata de his quæ tibi fuere commendata, nec vllum dolum in subtrahendis rebus adhibitum, Rector prouinciæ nihil contra iuris rationem fieri patietur. Et quoniam nec tu quereris moras adhibita varietatem negotium inter vos ortum secundum iuris ordinem sua ratione decidetur. Subscripta viii. Kl. Iul. Serdica. Augustis Cæsaribus. *

Idem Augustus & Cæsar Fl. Aurelio Attenico Andronico. Eos penes quos vestem & argenti materiam deposuisse proponis, apud Rectorem prouinciæ conuenit interrogari. quod siue teneant, siue dolo fecerunt quominus possint restituere, secundum bonam fidem tibi satisfacere compellet. Subscripta vi. Kl. April. Syrmi. Cæss. Conss.

Idem Augustus & Cæsares Aurelio & Eustatio & Diosimo. Is qui depositum suscepit vltra dolum, si non aliud specialiter conuenit, præstare nihil necesse habet. Cuius

memor iuris Rector prouinciæ partium allegationibus auditis pro ereptorum qualitate ſua ordinabit ſententia. Subſcripta XIIII. Kl. Noum. Appiaria. *

IDEM Auguſtus & Cæſares VII. & Quadrat. ILLE qui dolo malo depoſitum non reſtituit, ſuo nomine conuentus ad eius cum infamiæ periculo reſtitutionem vrguetur. Scripta Id. Dec. Nico. media. CC. Conss.

PAVLVS libro ſecundo ſententiarum ſub titulo De depoſito. DEPONERE poſſumus apud alium id quod noſtri iuris eſt vel alieni. Depoſitum eſt quaſi diu poſitum. Seruandum eſt quod ad breue tempus cuſtodiendum datur. Deponere videtur qui in metu ruinæ, incendij, naufragij, apud alium cuſtodiæ cauſa deponit. Deponere videtur & is qui ſuſpectam habens vel minus idoneam cuſtodiam domus, vel vim latronum timens, apud aliquem rem cuſtodiendam commendat. Si ſacellum vel argentum depoſuero, & is penes quem depoſitum fuit, me inuito contrectauit, & depoſiti & furti actio mihi in eum competit. Ob res depoſitas dolus tantum præſtari ſolet. In iudicio depoſiti ex mora & fructus veniunt, & vſuræ rei depoſitæ præſtantur. Si quis rem penes ſe poſitam apud alium depoſuerit, tam ipſe directam, quam is qui apud eum depoſuit, vtilem actionem depoſiti habere poſſunt. Si pecuniam depoſuero eamque in * tibi commiſero, mutuum magis videtur quam depoſitum, ac per hoc periculo tuo erit. Si rem apud te depoſitam vendideris, eam que redimeris, poſtquam perdideris ſemel admiſſo dolo perpetua depoſiti actione teneberis. Ex cauſa depoſiti lege duodecim tabularum in duplum actio datur, edicto Prætoris in ſimplum.

GREGORIANVS libro IIII. ſub titulo De depoſito. IMP. Alexander A. Meſtrio militi. Incurſu latronum ornamenta depoſita apud interfectum ab eis perierunt Detrimētum ad heredes eius qui depoſitum accepit, qui dolum tantum præſtare debent, non pertinet. Quod ſi ex prætextu latrocinij commiſſi res quæ in poteſtate heredis ſunt non reſtituuntur, tam depoſiti quam ad exhibendum actio, ſed &

in rem vindicatio competit. Prop. VII. Kl. Iul. Maximiano bis & Vrbano Conss.

PAVLVS libro responsorum quinto sub titulo Ex locato & conducto. IMP. Antoninus Iulio Agrippino. Dominus horreorum periculum vis maioris, vel efracturæ latronum præstare non cogitur. his cessantibus si quid ex positis rebus inlæsis extrinsecus horrei * damnum depositorum sarciri debet. Prop. IIII. Non. Nou. Antonino III. Cons. Paulus respondit, Satis præpositam constitutionem declarare his qui horrea locant, maiorem vim imputari non posse.

EXPLICIT TITVLVS DE deposito.

INCIPIT DE ABIGEATORIBVS.

MOYSES DICIT.

SI QVIS inuolauerit vitulum aut ouem, & occiderit, aut vendiderit, quinque vitulos restituet pro vitulo vno, quatuor oues pro oue vna. Quod si non habet vnde reddat, venundetur pro furto. XI.

PAVLVS libro sententiarum sub titulo De abigeatoribus ATROCES pecorum abactores plerumque ad gladium vel in metallum, nõnumquam autem in opus publicum dantur. Atroces autem sunt qui equos & greges ouium de stabulo vel de pascuis abigunt, vel si id sæpius aut * a ferro conducta manu faciunt.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. ABIGEATORES sunt qui vnum equum, vel duas equas, totidemque boues, vel capras decẽ, porcos quinq; abegerint. Quidquid vero intra hũc numerum fuerit ablatum, pœna furti pro qualitate eius aut in duplum, aut in triplum conuenitur, aut fustibus cæsus in opus publicum vnius anni datur, aut sub pœna vinculorum domino restituitur.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. SI ea pecora de qui-

bus quis litigauerat, abegerit, ad forum remittendus est atque ita conuictus in duplum vel triplum furis more damnatur.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. QVI bouem vel equum errantem, quodve aliud pecus abduxerit, furem magis eum quam abigeatorem constitui placuit.

PAVLVS libro singulari de pœnis paganorum, sub titulo De abigeis, dixit. CVM durius abigei damnantur, & ad gladium tradantur. Itaque Diuus Pius ad concilium Bæticæ rescripsit. Qui pecora de quibus litigabat, abegit ad forum remittendus est, & si victus fuerit, in duplum vel quadruplum condemnandus.

VLPIANVS libro octauo de officio Proconsulis sub titulo De abigeis. DE abigeis puniendis ita Diuus Adrianus rescripsit concilio Bæticæ. Abigei cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solent. Puniuntur autem durissime non vbique sed vbi frequentius est hoc genus maleficij: alioqui nec in opus, & nonnumquã temporarium dãnantur. Ideoque puto apud vos quoque sufficere genus pœnæ, quod maximo huic maleficio inrogari solet, vt ad gladium abigei dentur: aut si quis tam notus & tã grauis in abigendo fuit, vt prius ex hoc crimine aliqua pœna adfectus sit, hunc in metallum dari oportere. Rescriptum Diui Adriani sic loquitur, quasi grauior pœna sit metalli: nisi forte hoc sensit Diuus Adrianus gladij pœnam dicendo, ludi damnationem. Est autem differentia inter eos qui ad gladium, & eos qui ad ludum damnantur. nam ad gladium damnati, confestim consumuntur, vel certe intra annum debent consumi. Hoc enim * damnatis continetur. Enimuero qui in ludum damnantur, non vtique consumuntur, sed etiam pileari & rudem accipere possunt post inter * palam. Si quidem post quinquennium pileari, post triennium autem rudem induere eis permittitur. Eodem rescripto Diui Adriani diligentissime expressum est, non vbique parem esse pœnam abigeorum.

ITEM Vlpianus libro & titulo qui supra. ABIGEI autem proprie hi habentur qui pecora ex pastu & ex fermentis sub-

trahunt, & quodammodo deprædantur, & abigei ſtudium quaſi artem exercent, equas de grege, vel boues de armentis abducentes. Ceterum ſi quis bouem aberrantem vel equum in ſolitudinem abduxerit, non eſt abigeus, ſed fur potius. Sed & qui porcum vel capram vel Ber BICEM abducunt non tam grauiter vt hi qui maiora animalia abigent, plecti debent. Quanquam autem Adrianus metalli pœnam, item operis vel etiam gladij præſtituerit, adtamen qui honeſtiorli oco nati ſunt non debent, ad hanc pœnam pertinere, ſed aut relegandi erunt, aut remouendi ordine. Romæ tamen etiam beſtijs ſubiici abigeos videamus. Et ſane qui cum gladio abigunt, non inique hac pœna adficiuntur.

EXPLICIT DE ABIGEIS.

INCIPIT DE INCENDIARIIS.

MOYSES DICIT. *Si exibit ignis & inuenerit ſpinas, & comprehenderit areas, vel ſpicas, aut campum, æſtimationem reſtituet ille qui ſuccendit ignem.* XII.

PAVLVS libro * Sententiarum ſub titulo De incendiarijs. QVI caſam aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum aut in opus publicum damnantur, honeſtiores in inſulam relegantur. Fortuita incendia quæ caſu venti * fuerint his vel incuria ignem ſupponentis, ad vſque vicini agros euadunt, & ſi ex eo ſeges, vel vinea, vel oliua, vel fructiferæ arbores concrementur, datum damnum æſtimatione ſarciatur.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. COMMISSVM vero ſeruorum ſi domino videatur, noxæ deditione ſarcitur. Meſſium ſane * perdum incenſores, vinearum oliuarumve, aut in metallum humiliores damnantur, aut honeſtiores in inſulam relegantur.

IDEM Paulus libro & titulo qui ſupra. INCENDIARII quidquid in oppido prædandi cauſa faciunt, facile capite

puniuntur.

VLPIANVS libro octauo de officio Proconsulis. DE naufragijs & incendiarijs lex quidem Cornelia aqua & igni interdici iussit, sed variæ sunt punitionum *. Nam qui data opera in ciuitate incendium fecerunt, si in humillimo loco sunt, bestijs subiici solent: si in aliquo gradu & Romæ id fecerunt, capite puniri, aut certe *adficiendi sunt qui hęc committunt. Sed ei qui non data opera incendium fecerit, plerumque ignoscitur, nisi in lata & incauta negligentia vel lasciuia fuit.

PAVLVS libro singulari de pœnis paganorum, sub titulo De abigeis, dicit. INCENDIARII qui in oppido prædæ causa id admiserint, capite puniuntur: qui casu insulam aut villam non inimicitia incenderint, leuius. Fortuita enim incendia ad forum remittenda sunt, vt damnum vicini sarciatur.

VLPIANVS libro ad Edictum sub titulo, Si fatebitur iniuria occisum esse, in simplum, * & cum doceret. ITEM si insulam meam adusseris vel incenderis, Aquiliæ actionem habebo. idemque est & si arbustum meum, vel villam meam. Quod si dolo quis insulam exusserit, etiam capitis pœna plectitur quasi incendiarius. Item si quis insulam voluerit exurere, & ignis etiam ad vicini insulam peruenerit, Aquilia tenebitur lege vicini etiam non minus inquilinis ob res eorum exustas, & ita Labeo libro XV. Responsorum *refert. Sed si stipulam in agro tuo incenderis, ignisque peruagatus ad prædium vicini peruenerit, & illud exusserit, Aquilia lex locum habeat, an in factum actio sit, fuit quæstio. Sed plerisque Aquilia lex locum habere non videtur: & ita Celsus libro XXVII. Digestorum scribit. * Id enim, si stipulam incendentis ignis fugit, Aquilia
* lege eum non teneri, sed in factum agendum, quia principaliter hic exussit, sed dum aliud legit sic ignis præcessit. Cuius
* sententia sic rescripto Diui Seueri comprobata est in hæc ver-
" ba. * Profiteri propter ignem babuli gratia factus culpa ser-
" uorum Vector Astilæ euagatus agrum tuum vt proponis, de-
" populatus est, ad exemplum legis Aquiliæ noxali iudicio actu-
" rus, si litis æstimatio permittitur, iudicium cum adire potest.
" Videlicet non est visa Aquilia sufficere. Si forte seruus quæ

idem

idem conductores coloni ad fornacem obdormissent, & villa fuerit exusta * muneris scribit ex loca conuentum præstare debere, si negligens in legendis ministeriis fuit, tenetur ceterorum si alius ignem subierit fornaci, alius neglegenter custodierit, tenetur namque qui non custodit si nihil hic fecit quæ recte ignem subiecit non peccauit: quemadmodum si hominem medicus recte secuerit, sed neglegenter vel ipse vel alius curauerit, Aquilia cessat. Quid ergo est? Et hic puto ad exemplum Aquiliæ dandam actionem, tamen eum qui fornacem obdormiuit, vel neglegenter curauit, siue homo periit siue debilitatus est. Nec quisquam dixerit in eo qui obdormiuit, rem eum humanam & naturalem passum, cum deberet vel ignem extinguere, vel ita munire vt non euagaret. Item libro VI. ex Viuiano relatum est si fornum secundum parietem communem haberes, an damni iniuria teneris? Et agit non posset * id Aquilia lege, quia nec cum eo qui focum haberet. Ideo æquum putat in factum actionem dandam. sed non proponit exustum parietem. Sane enim quæri potest, Nondum mihi damnum dederit, & ita ignem habeat vt metuam ne mihi det, æquum sit me inter actionem idem in factum imperare. for- * tassis enim de hoc senserit Proculus: nisi quis dixerit damni non facti sufficere cautionem. Sed & si quis serui inquilini insulam exusserit, libro X. Vrseius refert Sabinum respondisse lege Aquilia seruorum nomine dominum noxali iudicio conueniendum, ex locato autem dominum teneri negat. Proculus autem R. cum coloni serui villam exusserint, colonum vel ex locato * lege Aquilia, ita vt colonus seruos posset noxæ dedere: & si vno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendam. Item Celsus libro XXVII. Digestorum scribit, si cum apes meæ ad tuas aduolassent totas exusserit, quosdam negare competere legis Aquiliæ actionem, inter quos & Proculum, quasi apes dominI mei non fuerint. Sed id falsum esse Celsus ait, cum apes reuenire soleant, & fructui * missi sunt. Sed Proculus eo mouetur quod nec mansuetæ, nec ita clausæ fuerint. hd. Ipse autem Celsus ait nihil inter has & columbas interesse, quæ si manu refugiunt, domi tamen fugiunt.

EXPLICIT TITVLVS DE incendiariis.

INCIPIT DE TERMINIA MOTA.

XIII. MOYSES DICIT. NON *transmouebis terminos proximi tui quos constituerunt patres tui vel principes possessionis tuæ.*

PAVLVS libro * Sententiarum sub titulo, Finium regundorum. IN eum qui per vim terminos deiecit vel amouit, extra ordinem animaduertitur.

VLPIANVS libro VIIII. De officio proconsulis, sub titulo De termino moto. EOS qui terminos mouerunt non impune id facere debere Diuus Adrianus Terentio Gentiano XVII. Kl. Septembriarum se III. Cons. L. rescripsit: quo rescripto pœnam variam statuit. Verba rescripti ita se habent.
« Pessimum factum eorum qui terminos finium causa impositos abstulerunt, dubitari non potest. Pœnæ autem modus ex conditione personæ & mente facientis magistratui pœnam. Si splendidiores sunt personæ quæ conuincuntur, condubito quin occupandorum aliorum finium causa id admiserint. & possunt ad tempus vt cuiusque cumpatitur ætas, relegari, & sic in biennium aut triennium ad opus publicum dari. quod si per ignorantiam aut fortuitu lapides * visus causa furati sunt, sufficit eos verberibus coerceri.

EXPLICIT DE TERMINEA MOTA.

INCIPIT DE PLAGIARIIS.

XIIII. MOYSES DICIT. QVICVMQVE *plagiauerit quemquam in Israel, & vendiderit eum, morte moriatur.*

PAVLVS libro sententiarum v. sub titulo ad legem Fabiam LEGE Fabia tenetur qui ciuem Romanum ingenuum, liber-

tinum, seruumve alienum celauerit, vendiderit, vinxerit, comparauerit. Et olim quidem huius legis pœna summaria fuit: sed translata est cognitio in Præfectos vrbis, itemque Præsidis prouinciæ extra ordinem meruit animaduersionem. Ideoque humiliores aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur. honestiores adempta dimidia parte bonorum impp. relegantur. Si seruus sciente domino alienum seruum subtraxerit, vendiderit, celauerit, in ipsum dominum animaduertitur. Quod si id domino ignorante commiserit, in metallum datur.

VLPIANVS libro VIIII. de officio proconsulis sub titulo Ad legem Fabiam. FREQVENS est etiam legis Fabiæ cognitio in tibunalibus Præsidum: quanquam quidam procuratores Cæsaris vsurpauerint quam Romæ tam in prouinciis. Sed enim iam eo peruentum est constitutionibus, vt Romæ quidem Præfectus vrbis solus super ea re cognoscat, si intra miliarium centesimum sit in via commissa. enimuero si vltra centesimum, Præfectorum prætorio erit cognitio. In prouinciam enim Præsidum prouinciarum. nec aliter Procuratori Cæsaris hæc cognitio iniungitur quam Præsidis partibus in prouincia fungatur. Plane post sententiam de Fabia latam * Procuratoris partes succedũt. * huius certæ adtamen Procuratori qui illam prouinciam regit, licet de capitalibus causis cognoscere nec soleat, tamen vt de lege Fabia possit cognoscere Imp. Antoninus constituit. Idem legis Iuliæ de adulterIs coercendis constitutione Imperatoris Antonini quæstionem accepit. Lege autem Fabia tenetur qui ciuem Romanum eundemque qui in Italia liberatus sit, celauerit, vinxerit, vinctumque habuerit, vendiderit, emerit, qui ve in eam rem socius fuerit: cui capite primo eiusdem legis pœna iniungitur Si seruus qui sciente domino fecerit, * dominus eius sextertiis quinquaginta millibus eodem capite punietur. Eiusdem legis capite secundo tenetur qui alieno seruo persuaserit vt dominum fugiat, qui ve alienum seruum inuito domino celauerit, * vendiderit, emerit dolo malo, qui ve in ea re socius fuerit, iubeturque * populus extertiam quinquaginta millia dare.

& reliqua. Sciendum tamen est ex Nouellis constitutionibus capitali sententia plagiatores pro atrocitate facti puniendos: quamuis & Paulus supra relatis speciebus, crucis & metalli pœnam huiusmodi reis irrogauit.

EXPLICIT TITVLVS DE plagiariis.

INCIPIT DE MATHEMATICIS ET MANICHEIS.

MOYSES DICIT.

XV. *NON inueniatur in te qui lustret filium tuum aut filiam tuam, nec diuinus apud quem sortes tollat: nec consentiat venenariis impostoribus qui dicunt quid conceptum habeat mulier. quoniam fabulæ seductoriæ sunt. Nec intendas prodigia, nec interroges mortuos. Non inueniatur in te augurator, nec inspector auium, nec maleficus, aut incantator, nec Pitonem habens in ventrem, nec aruspex, nec interrogator mortuorum, nec portenta inspiciens. Omnia namque ista a Domino Deo tuo damnata sunt, & qui fecerit hæc. Propter has enim abominationes Deus eradicauit Chaldæos a facie sua. Tu autem perfectus eris ante Dominum Deum tuum. Gentes enim istæ quas tu possides, auguria & sortes & diuinationes audiebant.*

VLPIANVS libro VII. de officio Proconsulis. sub titulo De mathematicis & vaticinatoribus.

* PRAETEREA interdictos est Mathematicorum callida impostura & obstinacitate persuasio. Nec hodie primum interdici eis placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique extat Senatusconsultum Pomponio & Rufo Conss. factum, quo cauetur vt Mathematicis, Chaldæis, ariolis & ceteris qui similem * incertum fecerunt, aqua & igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur: & sic * æternus gentium qui si id fecerit vt in eum animaduertatur. Sed fuit quæsitum vtrum scientia huiusmodi hominum puniatur, an exer-

citio, & professio. Et quidem apud veteres dicebatur professionem eorum non noticiam esse prohibitam : postea variatum. Nam dissimulandum est nonnumquam inrepsisse in vsum, vt etiam profiterentur & publice * reprehenderent. Quod quidem magis per contumaciam & temeritatem eorum factum est qui visi erant vel consulere vel exercere, quam * qui fuerant permissum. Sæpissime denique interdictum est fere ab omnibus principibus, ne quis omnino huiusmodi ineptijs se inmisceret: & varie puniti sunt hi qui id exercuerunt, pro mensura scilicet * & consultationis. Nam qui de principis salute, capite puniti sunt, vel qua alia grauiore pœna adfecti. Enim vero siquidem * suasorum que leuius inter hos habentur quam vaticinatores, hij quoque plectendi sunt: quoniam nonnumquam contra publicam quietem imperiumque populi Romani improbandas artes exercent. Extat denique decretum Diui Pij ad Pacatum legatum prouinciæ Lugdunensis, cuius rescripti verba quia multa sunt, de fine eius ad locum hæc pauca subiecit. Denique & Diuus Mar- "
cus eum qui motu Cassiano vaticinatus erat & multa quasi "
extinctu Deorum dixerat, in insulam Syrum relegauit. Et sane "
non debent impune ferre huiusmodi homines, qui sub obtentu & monitu Deorum, quædam vel renunciant, vel iactant, vel scientes eos fingunt.

GREGORIANVS libro VII. de maleficis & Manicheis sub titulo comp. MAXIMVS Dioclitianus & Maximianus nobilissime AA. Iuliano Proconsuli Africæ. Otia maxima interdum homines * in communionem conditionis naturæ hominum modum excedere hortantur, & quædam genera inanissima ac turpissima doctrinæ superstitionis inducere suadent, vt sui erroris arbitrio pertrahere & alios multos videantur, Iuliane Karissime. Sed Dij immortales prouidentia sua ornare & disponere dignati sunt quæ bona & vera sunt & multorum & bonorum & egregiorum virorum & sapientissimorum consilio & tractatu inlibata probarentur & statuerentur: quibus nec obuiam ire nec resistere fas est: neque reprehendi a noua vetus religio deberet. Maximi enim criminis

est * sed tractare quæ semel ab antiquis tractata & definita sunt statum & cursum tenent ac possident. Vnde pertinaciam prauę mentis nequissimorum hominum punire ingens nobis studium est. Hi enim qui nouuellas & inauditas sectas de terroribus religionibus opponunt, vt pro arbitrio suo prauum
* excludant quæ diuinitus concessa sunt. quoniam nobis de
* quibus solertia tua serenitati nostræ retulit Manicheos audiuimus eos nuperrime velut noua inopinata prodigia in hunc mundum de Persica aduersaria nobis gente progressa vel orta esse, & multa facinora ibi committere: populos namque quietos perturbare, nec non & ciuitatibus maxima detrimenta inserere: & verendum est ne forte, vt fieri adsolet, accedenti tempore conentur execrandas consuetudines &
* istebas leges Persarum innocentioris naturæ homines Romana gente modestam atque tranquillam & vniuersum orbem nostrum veluti venenis de suis maliuolis infigere. Et quia omnia quæ pandit prudentia tua in relationem religionis illorum genera maleficiorum statutis euidentissimorum exquisita & adinventa commenta, ideo eorum maenas atque pœnas debitas * & condignas illi statuimus. Iubemus namque auctores quidem ac principes vna cum abominandis scripturis eorum seueriori pænæ subiici, ita vt flammeis ignibus exurantur: consentaneos vero & vsque ad eos contentiosos capite puniri præcipimus, & eorum bona fisco nostro vindicari sancimus. Si qui sane etiam honorati aut cuiuslibet dignitatis vel maioris personæ ad hãc inauditam & turpem atque per omnia infamem sectam, vel ad doctrinam Persarum se transtulerunt, eorum patrimonia fisco nostro adsociari facies: ipsos quoque Forensibus vel Proconensibus metallis dari. Vt igitur stirpitus amputari * malis hæc nequitiæ de sæculo beatissimo nostro possit, deuotio tua iussis ac statutis tranquillitatis nostræ maturius obsecundare * Dat. prid. Kl. April. Alexandriæ.

EXPLICIT TITVLVS DE MATHEmaticis, maleficis & Manicheis.

INCIPIT TITVLVS XVI.

DE LEGITIMA SVCcessione.

SCRIPTVRA DIVINA SIC DICIT.

FILIÆ Salfadæ adstantes ante Moysem & Eleazarum sacerdotem & principem omnemque Senatum filiorum Israel in foribus tabernaculi testimonij, dixerunt: Pater noster mortuus est, & filij non fuerunt ei, sed filiæ: & ideo non deleatur nomen patris nostri de medio tribus suæ. non est ei masculus. date nobis possessionem in medio fratrum patris nostri. Et obtulit Moyses petitionem earum Domino Deo: & locutus est Dominus Moysi, dicens: Recte filiæ Salpadæ locutæ sunt: & ideo dabitis eis possessionem hereditatis in medio fratrum patris earum. Et, dicimus hæc filiis Israel: Homo si decesserit & filios non habuerit dabitis hereditatem proximo eorum de tribu eius, & possidebit omnia eius. Et erit hæc filiis Israel iustificatio iudiciorum, secundum quæ constituit Dominus Moysi. XVI.

GAIVS Institutionum libro III. legitimas sic ordinat successiones. INTESTATORVM hereditates lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes existimantur liberi qui in potestate morientis fuerint, veluti filius, filia, vel nepos neptisve, pronepos proneptisve ex nepote filio nato prognatus prognatave. nec interesse naturales liberi an adoptiui. Ita demum tamen nepos neptisve, & pronepos proneptisve suorum heredum numero sunt, si præcedens persona desierit* siue alia ratione, veluti emancipatione. Nam si per idem tempus quo quisque morietur, filius in potestate eius sit, nepos ex eo suus heres esse non potest. Idem & in ceteris deinceps liberorum personis dictum intelligimus. Vxor quoque quæ in manu eius est, Is sua heres est: quia filiæ loco est. item nurus quæ in filij manu est. nam

& hæc neptis loco est. sed ita demum erit sua heres si filius cuius in manu erit, dum pater moritur in potestate eius non sit. Idemque dicimus & de ea quæ in nepotis manu matrimonij causa sit. quia proneptis loco est. Postumi quoque qui si viuo parente nati essent, in potestate eius futuri forent, sui heredes sunt. Idem iuris est de his quorum nomina ex lege Ælia Sẽtentia vel ex Senatusconsulto post mortẽ patris causa probata in potestate eius futuri essent: & de eo filio qui ex prima secundaque emancipatione post mortem patris manumittitur, intelligimus. Cum filius filiave & ex altero filio nepotes neptesve existent, pariter ad hereditatem vocantur, nec qui gradu propior est vlteriorem excludit. Æquum enim videtur nepotes neptesve in patris sui locum portionemque succedere. Pari ratione etsi nepos neptisve sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptisve, simul vocantur. Et quia placebat nepotes neptesve, item pronepotes proneptesve in patris sui locum succedere, conveniens non in capita, sed in stirpem hereditates diuidi: vt filius dimidiam partem hereditatis fruat, ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam. Item si ex duobus filijs nepotes extent, ex altero filio vnus forte vel duo, ex altero tres aut quattuor, * altera dimidiam. * *De agnatis.* Si nullus sit suorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege duodecim tabularum ad agnatos. Vocãtur autem agnati qui legitima cognatione iuncti sunt. Legitima autem cognatio hæc est quæ per virilis sexus personas coniungitur. Ita qui eodem patre nati sunt fratres, agnati sibi sunt, qui etiam consanguinei vocantur: nec requiritur an matrem eandem habuerint. Item patruus fratris filio, & inuicem is illi agnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles inter se, id est, qui ex duobus fratribus progenerati sunt, quos plerique etiam consobrinos vocant. Qua ratione scilicet etiam ad plures gradus agnationis peruenire potuerimus. Non tamen omnibus simul agnatis dat lex duodecim tabularum hereditatem, sed his qui tunc cum certum est aliquem intestato decessisse, proximo gradu sunt. nec in eo iure successio est. Ideoque si heres proximus omiserit, vel

antequam

antequam hereditatem adierit, decesserit, sequentibus nihil iuris competit. * Ideo autem nō mortis tempore certum fuerit aliquem intestatum decessisse quam si quis testamento facto decesserit, melius esse visum est tunc requiri proximum, cum certum esse cœperit neminem ex testamento heredem fore. Quod ad feminas attinet, hoc iure aliud in ipsarum hereditatibus capiendis placet, aliud in ceterorum ab his capiendis. Nam & feminarum hereditates proinde agnationis iure redeunt atque masculorum. nostræ vero hereditates ad feminas vltra consanguineorum gradum non pertinent. Itaque soror fratri sororive legitima heres est: amita vero & fratris filia heres esse non potest. Sororis autem nobis loco est etiam mater aut nouerca, quæ per in manum conuentionem apud patrem nostrum ius filiæ consecuta est. Si quis defunctus erit, si sit frater & alterius fratris filius, sicut ex superioribus intelligitur, frater potior est, quia gradu præcedit. sed alia * faciat iuris interpretatio inter suos heredes. Quod si defuncti nullus frater exstet, sed sint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet. sed quæsitum est si dispari numero sint, forte nati ex vno vnus vel duo, & ex altero tres aut quatuor, vtrum in stirpes diuidenda sit hereditas, sicut inter suos heredes iuris est, an potius in capita. Iamdudum autem placuit in capita diuidendam hereditatem. Itaque quotquot erunt ab vtraque parte personæ, in tot portiones * fuerunt. Si nullus agnatus sit. eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat. Qui sint autem gentiles primo Commentariorum & vltimum est. & cum illic admonuerimus gentilitium ius in desuetudinem abijsse, superuacuum est hoc quoque loco de ea re curiosius tractare.

PAVLVS libro sententiarum VII. sub titulo De testamentorum successionibus. INTESTATI dicuntur qui testamentum facere non possunt, vel ipsi linum, vt intestati decederent, abruperunt: vel hi quorum hereditas repudiata est, cuiusve conditio defecerit. Sine iure Prætorio factum testamentum * abiecta doli expectatione obtinebit. Eorum quorum testamenta rumpuntur, aut irrita fiunt, ipso quidem iu-

re * testamenti decedunt * Intestatorum hereditas lege duodecim tabularum primum suis heredibus, deinde agnatis & aliquando quoque gentibus deferebatur. Sane consangui-
* neis lex non adprehenderat interpretatione prudentium primum inter agnatos locum acceperunt. Sui heredes sunt hi, primo loco filius, filia in potestate patris constituti: nec interest adoptiui sint an naturales & secundum legem Iuliam Papiamve quæsiti, modo maneant in potestate. Qui sui heredes sunt, ipso iure heredes etiam ignorantes constituuntur,
* vt furiosi, aut infantes, & peregrinantes, quibus bonorum possessionis propter Prætoriam actionem non erat necessarium. In suis heredibus adeo ad mortem testatoris rerum hereditariarum dominium continuatur, vt nec tutoris auctoritas pupillo, nec furiosis curator sit necessarius, nisi forte soluenda sit hereditas: quamuis etiam furiosus si resipuerit, & pupillus si adoleuerit, abstinere possint. Post mortem patris natus, vel ab hostibus reuersus, aut ex primo secundove mancipio manumissus, cuiusve erroris causa probata, licet non fuerint in potestate, sui tamen patri heredes efficiuntur. Post filios, filias, ad intestatorum successionem inter suos veniunt nepotes, pronepotes, neptes, proneptes, ac deinde masculino sexu post filium descēdentes, si nullus parentum impedimēto ipsis in aui potestate vel proaui familia remanserit. Parentes enim liberis suis cum quibus in potestate fuerunt ipsi ordine successionis obsistunt. Filij si cum nepotibus ex alio filio susceptis in familia retinentur, ab intestato ad patris successionem cum fratris filijs vocantur: quibus in patris sui partem venientibus, hereditas in stirpes non in capita diuiditur, ita vt filius & plures nepotes singulos semisses habeant. Idque euenit si ab eo ex duobus filijs * in patrum numero nepotes successerint. Ex filia nepotes sui heredes non sunt. in aui enim materni potestate alienam familiam sequentes, ipsa ratione esse non possunt. Eo tempore suus heres constituendus est, quo certum est aliquem intestatum decessisse: quod ex euentu deficientis conditionis, & ortu nepotis qui viuo auo post mortem patris natus, iniri potest. Quem filius emancipatus

ſuſcepit, vel adoptauit, ſui heredis locum in aui ſucceſſione, ſicut ipſe pater, obtinere non poteſt : Adoptiuus tamen ne quaſi cognatus bonorum poſſeſſionem eius potiri poteſt. Si ſui heredes non ſunt, ad agnatos legitima hereditas pertinebit, inter quos primum locum conſanguinei obtinent. Agnati autem ſunt cognati virilis ſexus per virilem deſcendentes, ſicut filius fratris, & patruus, deinceps & tota ſucceſſio. Inter agnatos & cognatos hoc intereſt. In agnatis enim etiam cognati continentur: inter cognatos vero agnati non comprehenduntur. Et ideo patruus agnatus eſt & cognatus, auunculus autem cognatus tantummodo eſt. Conſanguinei ſunt eodem patre nati, licet diuerſis matribus, qui in poteſtate fuerunt mortis tempore, adoptiuus quoque frater ſi non ſit emancipatus, & hi qui poſt mortem patris nati ſunt, vel cauſam probauerunt. Soror iure conſanguinitatis tam ad fratris quam ad ſororis hereditatem admittitur. Conſanguineis non exiſtentibus, agnatis defertur hereditas, pro vt quis alterum gradu præceſſerit. Quod ſi plures eodem gradu conſiſtunt, ſimul admittuntur. Si ſit frater defuncti, & fratris filius & nepos * fratres & non exiſtentes * filius fratris nepoti præfertur. Sed ſi duorum fratrum ſint liberi, non in ſtirpes ſed in capita hereditas diſtribuitur, ſcilicet vt pro numero ſingulorum * virium diſtribuatur hereditas. Feminæ ad hereditates legitimas vltra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur. Id quod iure ciuili Vocania * rationem videtur effectum. ceterum lex duodecim tabularum ſine vlla diſcrepatione ſexus cognatos admittit.

VLPIANVS libro ſingulari ſub titulo de legitimis hereditatibus, INTESTATORVM gentilitiorum hereditates pertinent primum ad ſuos heredes, id eſt, liberos qui in poteſtate ſunt, ceteroſque qui liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſint, ad conſanguineos, id eſt fratres & ſorores ex eodem patre. Si nec hi ſunt, ad reliquos agnatos virilis ſexus per mares deſcendētes eiuſdem * familiæ. His enim cautum eſt lege duodecim tabularum hac, SI INTESTATVS MORITVR CVIVS HERES NEC EST AGNATVS PROXIMVS

FAMILIAM HABEATVR. Si agnatus defuncti non sit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat his verbis, SI GNATVS NESCIT GENTILES FAMILIAM HERES HANC. nec gentilitia iura in vsu sunt.

ITEM ab intestato institutionum. AB intestato quoque hereditas defertur aut per ius ciuile, aut per Prætoris beneficium. per ius ciuile suis heredibus, vel liberis qui in potestate fuerunt, filij filiæ & deinceps qui in locum defuncti parentis, qui ex eodem nati sunt, succedunt.

ITEM eodem libro. POST suos ab intestato legitimi admittuntur, primum consanguinei, ij sunt fratres & soror qui in eiusdem potestate patris fuerunt, & si ex diuersis matribus nati sunt. Consanguineos & adoptio facit, & adrogatio, causæ probatio, & in manu conuentio.

ITEM eodem libro. * ET consanguineis legitimi vocantur, hi sunt agnati qui nos per patris cognationem contingunt virilis sexus. Nam sciendum feminis vltra consanguineas, hereditates legitimas non deferri. Suis Prætor solet emancipatos liberos, itemque ciuitate donatos coniungere data bonorum possessione: sic tamen vt bona, si quæ propria habent, his qui in potestate manserunt, conferant. Nam æquissimum putauit neq; eos bonis paternis carere, per hoc quia non sunt in potestate, neque præcipua bona propria habere, cum partem sint ablaturi suis heredibus.

ITEM libro qui supra. * DE suis heredibus. Post consanguineos Prætor vocat cognatos. Cognati autem sunt qui nos per patrem aut matrem contingunt. Post cognatos virum & vxorem. Et hæc si qui decessit, non fuit libertinus vel stirpis libertinæ. Ceterum si libertinus est vel libertina, ad patronum eius legitima hereditas patronamve lege duodecim tabularum refertur.

ITEM eodem libro. POST familiam patroni vocat Prætor patronum & patronam: item liberos & parentes patroni & patronæ. deinde virum & vxorem, mox cognatos patroni & patronæ. Quod si is qui decessit liber fuit ex remantipatione manumissus, lex quidem duodecim tabularum manu-

missori legitimam hereditatem detulit, sed Prætor æquitate motus decem personas cognatorum ei prætulit has, patrem, matrem, filium, filiam, auum, auiam, nepotem, neptem, fratrem, sororem, ne quis occasione iuris, sanguinis necessitudinem vinceret. Sed Imperator noster in hereditatibus quæ ab intestato deferuntur eas solas personas voluit admitti quibus decimæ immunitatem ipse tribuit.

MODESTINVS REGVLARVM LIB. III.

SVB TITVLO DE BONIS LIBERTORVM & de testamentis.

CVM in testamento dies & Consules adiecti non sunt, non nocet quominus valeat testamentum.

***

*

CONST. CXXXIII.

DE VSVRIS SVPRA DVPLVM NON COMPVTANDIS.

IMP. IVSTINIANVS. PP. AVGVSTVS, *Hermogeni Magistro Officiorum.*

MANIFESTISSIMA est nostri nominis constitutio, quæ vsque ad dupli quantitatem exactionem debiti concludit. Si igitur creditores tui quidam in duplum acceperunt, alij adhuc minus consecuti sunt: hi quidem qui in duplum ex vsurarum quantitate per diuersa tempora consecuti sunt, nullam aduersus te inquietudinem proponere concedantur: alij au-

tem ſi ſimili modo repleti fuerint, eo modo ſilere compelluntur. Et ſi debita ſubſecuti fuerint, feneritias cautiones recuperare, vel ſi remanſerint, ſuis viribus vacare, ſi preces veræ ſunt, præſentis oraculi ſanctione decernimus.

Similis huic conſtitutioni Græca ſubſequitur, quæ iubet in his tantum quæ ciuitates mutuantur, locum non habere.

* *

CONST. CXXXIIII.

DE PARTIARIIS SOLVTIONIBVS VSVRARVM IN DVPLVM Computandis.

IMP. IVSTINIANVS A. ARSILIO.

QVIDAM mutuatus ab aliquo quingentos aureos, ſoluit aliquam quantitatem vſurarum, quaſdam autem debens cautionem emiſit in ſexcentis aureis. Quoniam autem omnis ſolutio ad nongentos quadraginta nouem aureos peruenit, & creditor dicebat totum in vſuris ſolutum fuiſſe, & exigebat ſexcentos qui cautione continebantur: Ait autem lex, Si reliquos quinquaginta vnum ſoluerit vt debitum duplicetur, nihil aliud exigetur: quamuis veteres dixerint, Tunc ſuper duplum non competit debitum, quando nulla ſolutio in medio contigit. Dat. XVIII. Kl. Maias, CP. Biliſario. V. C. Cons.

DE ALIENATIONE RERVM ECCLESIÆ MISIÆ RELICTARVM *pro captiuorum redemptione & alimentis pauperum.*

SCIMVS antea legem promulgaſſe per quam omnes alienationes Eccleſiaſticas inhibuimus. Sed poſtea alia lege proſpeximus quatinus liceat pro ſolutione * Eccleſias vel alias quæ piis domibus deputatæ ſunt, perſoluere. Sed & hoc in noſtra venit memoria quod Martino viro ſanctiſſimo Epiſcopo * Clinate ciuitatis, formam & ante legem noſtram dedimus prohibentem eum Eccleſiaſticas res vendere, ne qui ex potentioribus neceſſitatem ei imponant ſecundum ſuum propoſitum res Eccleſiaſticas alienare. Sed & in noſtra venit memoria alia res quam pro diuinis fecimus vaſis, pro quibus omnibus abdicauimus ne cui liceat ſacroſancta vaſa vel venundare, vel obligare, niſi tantummodo in redemptionem captiuorum: quia animæ redemptio aliis omnibus rebus precioſior eſt. Sed hæc quidem antea. Subſecuta ſunt quæ * nam ratione neceſſaria nobis fuit ad preſentis legis memoriam. Venit etenim in preſenti memoratus ſanctiſſimus vir in hanc ſanctiſſimam ciuitatem, & edocuit nos multos terras ſine reditu, vel domunculas, vel vineas relinquere ad redemptionem captiuorum, vel pauperum alimonias, & alienatione prohibita memoratos actus, licet piiſſimi ſint, attamen inhiberi, competens ſibi permitti per legẽ hoc facere. Sãcimus itaque ſi quis reliquerit ad redemptionem captiuorum, vel pauperum alimonias, res immobiles, ſi quidem certus reditus eſt ex relictis rebus colligendus, manere legatum, vel hereditatem, vel donationem, nulla alienatione mutilanda, cum poſſit ex reditibus redemptio vel ſuſtentatio fieri. Si autem vel certus reditus non eſt, vel domus pene diruta & longe ab Eccleſia poſita, vel vineæ quarum fructus non ſemper ſimiles ſed varij colliguntur, & incurſionibus forſitan Barbaricis dediti, in his tantummodo

ſpeciebus permittimus venditionem hac ſpeciali lege in memorata prouincia fieri, ſi tamen domus intra fines Eccleſiæ vel vineæ iuxta muros ciuitatis minime poſitæ ſint: ita vt in venditionis inſtrumento ipſa verba teſtatoris exprimantur, vt ei placuit venditionem fieri, & redemptionem ex his captiuorum vel alimonias pauperum celebrari. Et ſi hoc ita ſubſecutum fuerit, habeat venditio firmitatem, liceat ſine metu alterius legis, & Oeconomis Eccleſiaſticis, & viro ſanctiſſimo Epiſcopo vendere, & emptoribus habere eaſdem res firmo iure. Habebunt autem Dei omnipotentis crimen œconomi Eccleſiæ, ſi pretia quæ acceperint in aliam cauſam conſumpſerint, licet piiſſima ſit, & non in prædictas duas tantummodo cauſas, ad imitationem legis quæ ſuper ſacroſanctis vaſis alienandis lata eſt. Sic etenim venditio neceſſaria procedat, ne actus piiſſimi exinde fraudentur, & animæ hominum inde pereant: cum & terrarum poſſeſſio & rerum immobilium non talem habeat curam, nec ita ſit neceſſaria vt captiuorum redemptio & vita egentium, quæ & animas ſaluant, & Deo omnipotenti placabiles ſunt. Grauitas itaque tua quæ per hanc ſpecialem legem noſtra decreuit æternitas, tam effectu mancipare quam obſeruare procuret. *

* *

*

DE CONSILIARIIS DN. IVLIANI ANT. DICTATVM.

SI emerſerit de clericis, vel monachis, vel aſcetrijs, ſiue de conditione eorum, ſiue de ſubſtantijs, ſiue de alienatione, ſiue de legitima portione, ſiue de debita liberis eorum vel alijs quibuſdam perſonis, ſiue de accuſatione, vel ſententijs, vel ſportulis, vel apud quem litigare debeant, vel de conſecra-

consecratione eorum, * Item de Episcopis si qua emerserit quæstio lege in Nouellis Const. relatam cuius initium est De priuilegijs, & est circa CXX. Const. Sin autem de rebus Ecclesiasticis, vel alienatione, vel emphiteusi, vel conductione quærere volueris, lege iterum Nouellas duas constitutiones circa CX. relatas. ** Si autem quæratur apud te de custode, de possessione, lege in III. libro Cod. Titulo XVIIII. & præsertim II. eius Constit. Sin autem de dilatationibus quæ debeant præstari his a quibus probatio exigitur lege lib. III. Cod. Tit. XVIIII. Si autem de curialibus quæris vel de alienatione, vel de legitima portione quæ debeat curiæ & publico præstari, lege lib. X. Titulo competenti subiectas constitutiones. Lege autem & post Codicem Nouellas, Constitutione vna quidem cuius inscriptio est De nouem vncijs, & est circa XL. constitut. altera autem quæ de naturalibus filijs loquitur, & est circa LXXX constitutionem. Habes autem & alias duas constitutiones quæ de curialibus loquuntur, & sunt circa C. Constitut. Si autem de testium productione quæras, lege libro IIII. Cod. tit. XX. & libro XXII. Digest. Titulo. V. De testibus, & in Nouellis eam constitutionem quæ inscripta est, de testibus. Non prætermittas autem nec constitutionem prælatam in Nouellis in qua plura dicta sunt de testibus, & de instrumentis admittendis, cuius inscriptio est de instrumentis, & est circa LXX. constitutionem. Quod si apud te quæsitum fuerit de testibus hereticis, lege in libro I. Cod. Tit. V. constitutionem vltimam. Leges autem & circa LX. Const. Nouellarum. Inuenies quod heretici de curiali conditione omnimodo possunt testimonium dicere. Frequenter autem legere debes. Tit. de probationibus in lib. IIII. Cod. & libro XXII. Digestorum relatum. Sed & Titulum de quæstionibus in lib. XLVIII. Digestorum positum. Cotidie autem legendus tibi est lib. VIIII. Cod. propter criminales discussiones. & maxime Titulo de custodia & exhibitione reorum, in quo est Græca constitutio quæ de temporibus loquitur intra quæ oportet criminales exilij causa mitti, quando hac sunt coercitione digni. Quod si de fiscalibus vel tri-

butis emeſerit quæſtio, inuenies in libro x. Cod. a primo Tit. vſque ad* aliut complures Titulos. Si autem de patrimoniali capitulo aliquid emerſerit, lege in primo libro Cod. & lib. XI. competente Titulo lib. L. Digeſtorum. Lege autem diligenter & Tit. de officio Præſidis tam in libro I. Protorum quam in lib. I. Cod. relatum. Quod ſi de religione quæratur apud te & de hereticis, legere debes quinto titulo. lib. I. Cod. & alios plures Titulos poſt eum poſitos. Quæ autem pertinent ad querellam, Conſtitut. circa CV. Nouellarum relatam. Lege autem & aliam inter Nouellas conſtitut. cuius inſcriptio eſt de diuerſis capitulis. ibi invenies quod hodie non cogitur teſtator ſua manu heredum nomina ſcribere. Lege autem & Conſtit. Nouellam, quæ innouauit agnatorum & cognatorum iura, & ab inteſtato ſucceſſiones formauit, quæ eſt relata circa. C V. conſtit. Lege autem & de nuptijs Nouell. Conſt. frequenter, & duas conſtit. in Nouellis poſitas de repudiis & adulteriis, quæ ſunt circa finem Nouellarum. Omni autem modo lege Tit. I. lib. XLII. Digeſtorum. Nam ibi de re iudicata & de interlocutionibus invenies. De compromiſſariis autem ſiue arbitris, invenies in lib. IIII. Protorum, & in lib. II. Cod. circa finem eorum librorum titulos competentes. De adſcriptitiis autem invenies lib. XI. Codicis Tit. de colonis cenſitis, & alios complures tales titulos tam de colonis priuatorum quam de tamiacis, & ſimilib. Si quæſitum fuerit apud te hoc quod natum eſt quem ſequatur vel cuius ſit cōditionis, quære ea quæ cum legibus * Perlege autem & de nuptiis Cōſtit. in Nouellis in qua plura inuenies de dote & de nuptiali donatione. Et frequenter legenda eſt tibi eadem conſtitutio. Alias enim inſcriptiones reliquarum conſtitutionum legere debes. Ex his enim per coniecturam capias quid innouatum eſt in nuptijs * cauſis. Lege autem & primam conſtitut. Nouell. in qua de legatis & de lege Falcidia & de inventario & alia vtiliſſima plura relata ſunt. Lege autem & in lib. VI. Cod. conſtit. De iure patronatus, & conſtit. ſub titulo de Caducis tollendis. Conſtit. de inuentario ſub Tit. de iure deliberandi, vltima Latina ad Senatum: & conſti-

tut. de incertis personis sub Titulo competenti : qui omnes Tituli in VI. lib. Cod. relati sunt plurima & vtilissima continentes. Quod si quæratur * auo forte ad absentem condemnare vel alio modo prægrauare, legenda erunt constitutio in primo Titulo tertij lib. Cod. relata e nostri principis cõstitut. De iureiurando autem si quando fuerit quesitum, debet legere primo Tit. IIII. Cod. lib. Legere autem debet & in lib. VII. Cod. De re iudicata & diuersis sententijs & interlocutionibus Tit. competentes. De Emphiteusi autem & de conductionibus invenies lib. IIII. Cod. vltimum & penultimum. In his autem titulis non prætermittas illam pulcherrimam legem qua cauetur licere intra annum sine pœna a contractu in conductionibus recedere. Lege autem constit. inter Nouellas relatam de mandatoribus & fideiussoribus & de duobus reis promittendi. Quod si de numerata pecunia quæsitio emergat, lege competentem Tit. in lib. IIII. Cod. & Nouellam constitutionem post Codicem positam De dote cauta & non numerata. Non lateat vero te quod Ecclesijs quadraginta annorum præscriptio opponitur, vt cauetur constit. circa centesimam Nouellarum posita. Ecclesiæ Romanæ autem centum annorum præscriptio obijcitur, vt est relatum in lib. I. Cod. Tit. de rebus Ecclesiasticis constit. principis nostri : & quod ciuitas pupilli siue adulescentis locum obtineat, quod frequenter quidem dicitur, vbi autem relatum est, ignoratur. Est autem positum in lib. II. Cod. Tit. LIII. const. IIII. De ordine autem edictorum siue peremptorij siue aliorum, & de præconum vocibus absentes * eum post litis contestationem invenies, in lib. I. de Iudicijs, titulo primo circa media loca Tit. I. Sin autem actor intentionem suam deseruerit, quid iuris sit, in Nouell. const. post Codicem promulgatum invenies circa C V. Constitut.

EXPLICIT DE CONSILIArijs feliciter.

ITEM COLLECTIO DOMINI IVLIANI ANTECESSORIS.

TVTORES, vel diuisam tutelam administrant, vel indiuisam communiter gerunt. Et si quidem diuisa est siue a testatore siue a iudice, vnusquisque pro sua administratione tenetur: nisi forte aut cum oportebat contutores remouere vt suspectum * homini, non remouit aut tardius remouit. Quod si ipsi inter se diuiserunt tutelam, tunc adsimilantur eis qui communiter administrationem gesserunt. & ita relatum est in lib. v. Cod. Tit. LIII. const. secunda. Si autem indiuisa tutela sit, distinguitur: & interea dicendum est facultatem habere pupillum & in solidum quem voluerit tutorum suorum eligere. Si tamen rem de qua agitur omnes gesserunt, sed siquidem omnes soluendo sint litis contestatæ tempore, diuiditur inter eos actio: si autem quidam eorum eo tempore soluendo non sint, onera eorum hi qui soluendo sunt, recipiunt. Sed si quidem ex negligentia communi vel eorum tantum culpa qui soluendo non sunt, condemnati fuerint idonei tutores, ceduntur eis actiones pupilli, vel habebunt vtilem actionem aduersus contutores suos. Quod si ob dolum communem condemnati fuerint, nulla eis cessio vel opitulatio datur. In tantum autem idoneis contutoribus constitutis, alij tutores ob culpam communem non condemnantur insolidum, vt etiam magistratus municipales & fideiussores necesse sit ante eos conueniri, si soluendo sint. tunc enim vltimæ personæ publicæ * cum querela pupilli in eo sit, quod non remoti fuerint tutores vt suspecti, vel quod satisdatio exacta non sit. Et hæc omnia manifestissime dicta sunt lib. XXVI. Tit. III. Digestorum. Primo hæc si omnes rem de qua agitur, administrauerint. Quod si quidam gesserunt, quidam non, siquidem ex negligentia obligati sunt, siquidem soluendo erant hi qui administrauerunt eo tempore quo deposuerunt tutelam, postea autem ad egestatem peruenerunt, si quidem

per pupillum hoc factum eſt, ad eum non ad tutores ipſius periculum pertinebit, vt relatum eſt in prima Conſt. Tit. LII. lib. v. Cod. Quod ſi nihil per eum factum eſt, interea oportet eum qui adminiſtrauit, conueniri, ita etſi ſoluendo eſſe dicatur. ſed nihilominus euentus ei qui non adminiſtrauit, periclitatur. & ita relatum eſt in vltima Conſtit. eiuſdem Tit. Hæc ſi ob neglegentiam accuſatur tutor. Si autem ob dolum, aut de lata culpa, tunc adſimilantur hi qui non adminiſtrauerunt eis qui communiter indiuiſam tutelam geſſerunt, vt eſt relatum libro v. Cod. Tit. LII. Conſt. II. Dico autem non adminiſtraſſe tutelam & eum qui rem de qua agitur non adminiſtrauit. nam quantum ad eam rem, non immiſcuit ſe adminiſtrationi. Hæc ante condemnationem. Quod ſi contra omnes tutores condemnatio prolata eſt, tunc diuiditur quantitas aduerſus omnes æqualiter, & vno non idoneo inuento, alijs periculum non imminet, vt eſt relatum in libro VII. Cod. Tit. v. Conſtit. ſecunda. Quod ſi heredibus tutorum vel curatorum quæſtio emerſerit, lege LIIII. Tit. lib. v. Cod. nam ibi pleniſſime de his atque manifeſtiſſime expoſitum eſt. Secundum eas diſtinctiones oportet nos eas quæ videntur eſſe contrarietates diſcernere.

EXPLICIT.

PETRI PITHOEI I.C.
NOTÆ.

INAVDIERAM equidem antea fuiſſe ex priſcis ſcriptoribus aliquem qui cum Moyſis legibus Romanas contuliſſet: ac memini Io. Tilium antiquæ eruditionis hominem, cum de veterum Iuriſconſultorum reliquiis ſermo eſſet, narrare ſolitum, habuiſſe aliquando ſe eius operis fragmenta pauca, quibus ille Licinnij Rufini nomen tribuebat, an ex coniectura, an potius ex veteris libri fide non ſatis ſcio. Illud affirmare

liquet quæ nunc damus ex antiquissima Sequanorum aut Mandubiorum potius bibliotheca in qua per annos octingentos & amplius latuerunt, non esse Licinij Rufini cuius nomine ad Iulium Paulum in libris nostris consultatio inscripta est: ac, vt quod sentio, dicam, non fuit tanti hæc collectio quæ aut Licinij aut Iurisconsulti alicuius paulo clarioris ingenium & acumen desideraret. Tota illa operæ fuit, sed eius operę cuius precium iniuria temporis sic incendit, vt iam nihil fortasse hoc genere tanti videatur. Nam vt cōcedamus plures veteris iuris P.R. regulas vnius Vlpiani Titulis contineri, sane & illi præterquam quod ab his nostris nomen suum partesque mutuantur, vnius, vt ita dicam, genij notionisque sunt, nec tam perspicue repræsentant quid Tribonianus, quid collegæ in excerpendis digerendisque & huius & aliorum scriptis sibi concesserint. Qua de re in eo tractatu quem de libris vtriusque iuris pridem delineauimus, plenius disseremus. Nunc de collectore huius libelli, cuius nomen titulumque exemplar ipsum prioribus duabus paginis purum non prætulit, hoc tantum dicere possumus, videri eum Theodosij iunioris temporibus vixisse, & post consulatum quidem ipsius xv. quo demum Codex editus legitur, ex quo hic constitutionem retulit vnam, non omissurus, vt verisimile est, de homicidio non voluntario Valentiniani singularem legem si tum quoque edita, aut in certum Nouellarum corpus redacta fuisset. Sed de re incerta nihil temere affirmare velim. Illud potius mirer, cur hic idem illam de impudicis legem non ex Præfecturæ Vrbanæ scrinijs, sed ex Theodosiano Cod. pleniorem recitat quam hodie in corpore ipso extet quod hac quidem parte pro integro eiusdem Tilij beneficio hactenus habuimus. Cæterum quod ad nos attinet, in horum editione veteris libri scripturam bona fide expressimus, retentis etiam leuioribus mendis si quę varias coniecturas reciperent, quibus ne in ora quidem exemplaris locum dedimus vt sua cuique libera diuinatio liberumque esset iudicium. Quæ inter exscribendum relegendumque occurrerant, in hunc locum reiecimus vnde facile exturbari possent. Nam hunc qui-

dem agrum pro dignitate purgare atq; excolere, hominis est & otio abundantis, & veteris Iuris P.R. cognitione instructissimi,

Nobis non licet esse tam beatis.

AD TITVLVM I.

Si quis perc.] Extat libro IIII. Moysis, qui Numerorum inscribitur cap. XXXV. Sed quanam sacrorum librorum interpretatione hic collector vsus sit, nondum mihi satis liquet. Sane quidem plures hodieque extant in vetustioribus archiuis, quarum, vt Augustini verbis dicam, infinita est varietas.

Aliquod vas] Hoc nomine posteriorum temporum scriptores, omnes fere res complexi sunt quæ nobis inter mobiles atque instrumenta domus numerantur. Sed & veteres in re militari inter contubernia vsurparunt, vnde & Vasa conclamare, & Convasare apud eos legimus.

Sub Tit. ad Leg. Corn.] Extat inter receptas Pauli sententias sub Tit. 23. libro 5. ad quem etiam non erit fortassis alienum hoc loco monere duas priores sententias de circumcisis pertinere, quæ tamen hactenus sub alieno Titulo aberrarunt, vt & alia multa eiusdem operis.

Vt is Prætor iudexve.] Veteris exemplaris scriptura hæc fuit: *vt is Prætor iudexve quæstionis cui sortem obuenerit quæstio de sicarijs eius quod in vrbe Roma proprijs mille passus factus sit. Vtique erat cum iudicibus cui ei ex legem sortem ob.* in quam quid & cur nobis permiserimus apertum est. Auctorem præterea habuimus M. Tullium, cuius hæc sunt in oratione pro Cluentio: *Iubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est, iudicem quæstionis, hoc est Q. Voconium, cum his iudicibus qui ei obuenerint (vos appellat, iudices) quærere de veneno. In quem quærere? infinitum est, quicunque fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. Quid eadem lex statim adiungit? Recita. Deque eius capite quærito.* Loquitur vero de quæstione veneficij quæ eundem habuit auctorem & eadem rogatione comprehensa fuisse videtur, sed diuersis capitibus vt hic locus arguit & l.3. D. ad l. Corn. de sic. quam etiam ob causam sæpius hæc iudi-

cia diſtinguntur tanquam ex diuerſis legibus vt in l. 3. D. de bon. damnat. & apud Martialem eo loco, *Non de vi, neque cæde, nec veneno.* Et ſane diuerſos habuiſſe iudices diuerſoſque Prætores veriſimile eſt. Idque Ciceronis verba plane confirmant, ſi coniungantur cum præcedentibus huiuſmodi, *Opinor hæc omnia lege fieri, totumque hoc iudicium quaſi mente quadam regi legis & adminiſtrari. Quid ergo eſt: hæc quæſtio ſola ita gubernatur. Quid M. Plætorij & C. Flaminij inter ſiccarios. Quid C. Orchinij peculatus? Quid mea de pecunijs repetundis? Quid aliæ quæſtiones?* Vnde fortaſſe non immerito quis ſuſpicetur in l. 2. §. capta. D. de orig. iur. quod in Pandectis Florentinis deeſſe videtur, ſic potius eſſe ſupplendum, *Deinde Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituit, veluti de falſo, de parricidio, de ſiccarijs, de veneficijs, & Prætores quatuor adiecit.* nam iniuriarum quidem iudicium ex lege Cornelia inter priuata ab auctoribus noſtris perpetuo relatum eſt l. 2. & vlt. C. de iniurijs. vt pote quod & ciuiliter moueri poſſit: & in l. Prætor. §. 1. D. de iniur. Cornelia non de iniurijs, ſed de ſicarijs potius exaudienda eſt, vt & in l. 23. §. ſi dolo. D. ad leg. Aquil. Nec tamen inficior ex lege Cornelia iniuriarum ſeruum reum non recipi, ſed duriore pœna extra ordinem affici, & quod ad ſeruos attinet excedere eam quæſtionem quodam genere priuatæ modum l. 12. §. vlt. D. de accuſat. Ideoque cum de ſeruo ageretur in l. 5. D. Si ex nox. cauſ. ag. hæc recte Vlpianus ſic coniunxit, *Capitalium actionum iniuriarumque nomine.* Sed hæc aliena nec huius loci quæſtio eſt, ac vereor ne iam etiam notarum modum exceſſerim. Illud tamen addere liceat eſſe hoc exemplum aliud exercitionis publici iudicij lege delegatæ ad l. 1. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd.

Relatis.] Hæc ſunt collectoris quæ ideo forma literarum a ceteris diſtingui voluimus, vt & reliqua omnia quæ illius eſſe viſa ſunt.

Coercit compeſcit.] vet. *coerci compeſci.* & paulo poſt, *pertinet ire hæc.*

Vt & ad ſeruum & peregrium.] Cicero pro Cluentio, *Vbi omnes mortales alligat lex, ita loquitur, qui fecit fecerit, omnes viri, mulieres, liberi,*

liberi, serui, in iudicium vocantur. Omnibus legibus serui rei fiunt, quarum pœna in seruos cadere potest l. 12. §. vlt. D. de accusat. In seruos etiam admissa delicta legibus vindicantur, adeo vt & ipsi seruo nō ad sugillationem domini facta iniuria legibus inulta non relinquatur. l. Item apud Labeonem. §. si quis. D. de iniur. l. 6. D. ad l. Iul. de adult. Et tamen, illud etiam verum est quod & Fabius libro VI. vsurpauit, ad exules, ad seruos, ad peregrinos nullam legem pertinere. Sed hęc ex mente verbisque legum diiudicanda sunt, & potissimum quidem ex subiecta materia. Peregrinus manumittens seruum non potuit Latinum facere. Cur ita? quia lex Iunia quæ Latinorum genus induxit, ad peregrinos non pertinet. Prætor tamen non permittebat ita manumissum seruire, nisi aliter lege peregrina cautum esset. Hoc scripserat Iure consultus quidam, siue is Vlpianus fuit, seu Gaius, seu quis alius, in libro regularum, cuius ego nuper fragmentum magna parte erui ex veteri Glossario Cl. Puteani viri selectissimæ eruditionis & iudicij recti. Quod de peregrino diximus fortasse & ad deportatum non male trahetur l. 2. D. de interdic. & relegat.

Si autem.] Extat apud Moysem eo loco quem supra notauimus, extat & de eadem re Nouella Constitutio Valentiniani, qua fere vtimur. Addatur & Num. lex ex vetustissimo Seruij exemplari ad illud Virgil. Egl. 4. *Ipse sed in pratis aries. Sane,* inquit, *in Numæ legibus cautum est vt si quis imprudens hominem occidisset pro capite occisi & natis eius in concione offerret arietem. Ergo hic bene videtur arieti dignitatem dare, dicendo: Ipse, qui oblatus homicidam crimine homicidij possit exsoluere.* Sed placet etiam Philonis locus ex lib. I. de vita Moysis, ὁ κτείνων μ inquit, ἄνθρωπον εἰ καὶ δικαίως καὶ ἀμυνόμενος· καὶ βιασθεὶς ὑπαίτιος εἶναι δοκεῖ διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν. Placet & ille Plutarchi ex Causalibus. in quo rationem inquirens cur non nisi sacramento adacti militēt πότερον ὅτι inquit, τὴν ἀναγκὴν μόνην ἐξουσίαν εἶναι δεῖ ἀ τοῦ ἀνελεῖν ἄνθρωπον· ὁ δὲ ἄνουνόμου καὶ προστάγματος τοῦτο ποιῶν: ἀνδροφόνος ἐστίν.

Rescripto Hadriani.] Refertur & hoc rescriptum in l. §. Diuus D. ad Leg. Corn. de sic quem cum hoc contulisse non inutile erit.

Sic lapide.] Vetus hæc ſcriptura propius accedit ad clauis quam clauæ nomen, quod & Græci interpretes retinuerunt libro 60. βασιλ. Tit. 39. & 59.

Vt homicidam ſeruum.] Franciſcus Pithœus frarer meus, cuius ego ingenuis virtutibus digna ex alijs audire malo quam ipſe dicere, putat hunc locum ſic emendari poſſe: *vt homicidij reum ſupplicio maiore iubeto adfici.* niſi quis ita malit, *vt homicidam ſeruum ſupplicio maiore.* Certum eſt enim ex perſona delinquentis vt crimen, ita pœnam augeri.

Qui hominem.] Reliqua fuit prior pars apud Paulum lib. v. Sent. Titu. xxiii.

Conſilium.] Paterculus, *Facta*, inquit, *maiores noſtri ad conſilium dirigebant.* Seneca de Tranquil. lib. II. *Poteſt euenire vt faciat aliquis iniuriam mihi, & ego non accipiam, tanquam ſi quis rem cum e villa mea ſubripuit, in domo mea ponat, ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Poteſt aliquis nocens geri, quamuis non nocuerit. Si quis cum vxore tanquam cum aliena concumbat, adulter erit, quamuis illa adultera non ſit. Aliquis mihi venenum dedit, ſed vim ſuam mixtum cibo perdidit: venenum illud dando ſcelere ſe obligauit etiam ſi non nocuit. Non minus latro eſt cuius telum oppoſita veſte eluſum eſt. Omnia ſcelera & ante effectum* (ſic legendum) *operis quantum culpæ ſatis eſt, perfecta ſunt.* Seruius ad illud Virgil. ex libro VI. *Auſi omnes immane nefas, Secundum Romanorum morem dicit, quo non tantum exitus punitur, ſed voluntas.* Sic & Impp. in l. I. C. Th. de ambitu πρωδύτερομ ἐλλωικῶς. *Pari ſorte leges ſcelus quam ſceleris puniunt voluntatem.* Sane in rebus non vſque adeo turpibus etiam factum exigitur l. I. §. beſtias. D. de poſtulando. l. 18. D. de pœnis. quæ pertinet ad edictum. Quod quiſque iuris, non ad publica iudicia. Itaque oratorie magis quam iuridice ab his ad illa M. Cato pro Rhodienſibus argumentatus eſt apud Gell. libro. 7. capite. 3. & rectius quidem Aſconiua Pædianus, *Qui ius*, inquit, *dicit factorum iudex eſt non futurorum, duntaxat in ciuilibus cauſis.*

Caſu teli.] fuga teli magis quam iactu vt olim in exceptionibus ſcribi ſolitum M. Tullius auctor eſt. Auguſtin. de lib. arbitr. lib. I. *Nam & miles hoſtem, & iudex vel miniſter eius nocentem, & cui inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi vi-*

dentur peccare cum hominem occidunt.

Quod si in rixa.] Extat in l. vlt. D. ad leg. Corn. de sicar. ex qua fortasse hic quoque non male ita legetur, *ictus quoque ipsos*. Cætera cur à Triboniano prætermissa sint, non est obscurum.

Frater vester.] Ex hoc Antonini rescripto & eo quod proxime sequitur, Gordiani, confecta est a Triboniano l. 1. C. ad leg. Corn. de sicar.

Lætouis.] Pro Læto II. id est iterum consule. Nam bis quidem aut ter Consul in notatione temporum non vsque adeo Latine dici videtur. Et tamen sæpe in veteribus libris ita scriptum memini.

Quod si dominum.] Quo hæc pertineant non video. Extat sane rescriptum quod sequitur in l. 5. C. eod. tit. & hoc esse Diocletiani & Maximiani subscriptio arguit.

Cum quidam.] Leguntur & hæc in l. 4. §. 1. ad leg. Corn. de sicar. At neque rescripti neque consultationis verba adiecta sunt, quibus in hoc genere quod sciam elegantius nihil est.

In quinquennium.] Ponitur & illa lex apud Rhetores vt imprudentis cœdis damnatus quinquennali exilio multetur, vt apud Quinti. lib. 7. cap. 5. & Declam. 296. & 305.

Consultationis.] Vet. *consolationis*, quomodo & in optimo Seruij exemplari scriptum est eo loco lib. 3. Æneid. *Augurium est exquisita Deorum voluntas, per consolationem auium aut signorum.*

Em.] An hæc emissam consultationem, an aliud quiddam significent non satis scio. Illud fortasse fœlicius diuinasse videbor, ista sub finem quæ quis super esse putauerit (*Vel res*) notas esse quæ veterem formulam contineant, Velim rescribas: aut potius quando ad principem sermo est, Velis rescribere. Sic apud Plinium sæpe, Rogo rescribas, & infra, Vellem mihi rescribere.

Cognouit quod Clodius.] Malim *cognoui*, & infra, *interdixi, decreui*, &c.

Dum sago iactatur.] Vet. *dum sagu iactatur.* Sed iam notus est ex Suetonio & Martiale veterum ludus. Appellatio ipsa non vsque adeo fortassis nota quam ex veteri Glossario didici, in quo ita est. *Sagatio* παλμος.

Culpa Marij Euaristi.]Veteris libri ſcriptura hæc eſt, *culpa manu Euaristi*, quam ideo adnotare libuit quod & hanc coniecturam reciperet, *culpante manu Euaristi.* excuſa tamen magis placuit.

Adque apparebat.] Huius loci ſententiam facile eſt mente concipere, verba ipſa ſanare difficile eſt.

Vrbe Italia prouinciæ Veticæ.] Ant. Oiſelus meus, de cuius eruditione, iudicio, rerumque ac iuris prudentia ſingulari quicquid dixero minus erit, hunc locum ſic malit legere, *Vrbe Italica prouinciæ Beticæ*, quod mihi quidem facile perſuadet, quando & Italicam Beticæ vrbem eſſe vel ex Ptolemæo conſtat, & prouincia, atque adeo Italia & vrbe interdicere delicto grauius non immerito videatur. Scio tamen non defuturos qui lectionem ſcriptam magis probent, quam etiam confirmat l. 1. §. 1. D. de effract. & expil.

Recte Egn. Taurine.] Vet. *Recte & Taurine.*

Refert enim.] Sunt igitur illa Diui Hadriani in l. 5. § vlt. D. de pœnis. vnde & hic lubentius ita legerim. *Et ſane distinctio hæc pœnam aut iuſtam prouocare debet.* Iuſta, id eſt legitima, alioqui iuſtitiam, quæ cum æquitate coniungitur non recte ſtricti iuris temperamento opponemus l. placuit. C. de iudic. l. 31. §. 1. D. depoſiti. Gratiæ fortaſſe rectius, vt in l. 17. § pen. D. ad leg. Iul. de adulter.

Rem facti quis.] vet. ex. *rem pacto.* hoc vult, factum non ius.

Geret.] Vet. ageret. Extat in l. pen. §. 1. D. ad leg. Iul. de vi publ. Sed nec moribus noſtris qui occidendi hominis cauſa telum gerit, vtique homicidij pœna punitur: & hac parte lex Cornelia in vſu apud nos eſſe deſijt, vt poſteriorum temporum Doctores recte annotarunt.

AD TITVLVM II.

Si autem contenderint.] Extat apud Moyſem Exod. XXI.

Homo foris.] Vet. *fortis.*

Acceſſionis mercedem.] *Ceſſationis.* hæc vero interpretationem

recipiunt ex l.vlt.D.de his qui deie. vel effud.& l.3.D. Si quadru. paup. fec.dic.

Vlpianus libro regularis.] Sic vetus exemp. Ego vero non dubito quin & hæc ipsa & alia quædam huius Eclogæ sint ex libro singulari Regularum Domitij Vlpiani, cui etiam antea semper adscripsi titulos illos qui Io. Tilij immortali beneficio ante annos aliquot editi sunt. Mouit me præter scribendi rationem, quod cum in Pandectis nostris duo tantum capita ex eo libro reliqua essent, nempe XVII. de testibus, & XXV. de obligat. & actionib. illud quidem totidem verbis inter istos Titulos legitur, alterum cur non extet causa in promptu est, cum & titulus ipse desideretur, vt & alios plures non frustra desiderari hæc collectio indicat, ex qua etiam quosdam supplere, quosdam rectius emendare est. Sunt igitur illi Tituli ex corpore non omnium Vlpiani scriptorum, sed ex corpore libri singularis Regularum, vt & Æmilij Papiniani sententia vnica ex ipsius corpore, id est ex libro singulari Responsorum collecta quæ tanquam purpuræ lumen centonem illum Gothicum in fronte deturpat magis quam honestat.

Iniuria siquidem.] Hæc pertinent ad iniurias rerum, id est quæ re fiunt membro rupto vel osse fracto, & ad honorariam earum pœnam de qua in §. pœna. Instit. de iniur.

Adque collegi.] An *idque collegi ex facto*, quod verius est. Ex facto autem dicit quia de illis iniurijs loquitur quæ re fiunt, vt proxime monuimus. Nam & iniuriarum atrocitas ex alijs etiam circunstantijs æstimatur.

Papianus.] Sic in vetustissimo exempl. constanti fide scripptum est. Sic & in Aniani Breuiario. Sane à Græcis non nisi Papianus scribi solet, & ab ipso Iustiniano Nou. 4. & 108. à Latinis frequentius Papinianus dicitur.

Per hominem.] Certum est iure P.R. filiosfamilias noxæ dedi potuisse, nec eos modo sed & filias §. vlt. Inst. de nox. act. Ea fuit patriæ potestatis auctoritas, quã & Papiniani tẽporibus eo vsq; valuisse hic locus indicat. Cuius etiã iuris vestigia quædã reliqua sunt in Pandectis. Vnũ hic indicasse sufficiat in l.3. §. Si eũ quis. D. de lib. hom. exhib. De his vero & illa circa propria

ac differentia subtilitas, quam vt magnam Quintilianus proponit de addictis, seruine sint an liberi. Ego quidem seruire vtrosque dixero, nec impari multum iure l.33. & seqq. D. de nox. act. Neutros tamen seruos dixero, vt nec eum qui redemptus ab hostibus, redemptionis pretium nondum exsoluit. l.2. C. de postlim. reuers. Sunt vero hæc inter se longe diuersa & in seruis etiam ipsis sæpe distinguntur. l.27. §. de eo. D. ad l. Iul. de adult. l.18. D. de. nox. act. l. 24. de vsufr. leg. Nam & e contrario serui sunt quidam reuera, nec tamen seruiunt: & aliud est liberum, aliud in libertate esse, vt recte Quintilianus disserit declam. 340. & 342. Tanta est rerum verborumque differentia in causis libertatis. Huiusmodi sunt iure nouo Coloni l.2. de colon. Thrac. in legibus Langobardorum Aldij l.4. de prohib. alien. ser. & iure nostro quia manus mortuę dicuntur. Sed placet exemplum veteris iuris non vsquequaque vulgare, quod me docuit auctor ille Regularum, quem Puteano nostro deberi dixi. Apud veteres inter amicos manumissi, seruiendi tantum metu dimittebantur, manebant serui, & manumissores audebant eos in seruitutem denuo per vim ducere. Ideoque recte Massenio seruus apud Plautum in Menæch. inter amicos manumissus, *Meliore*, inquit, *opus est auspicio liber perpetuo vt siem.* Interueniebat Prætor & non permittebat seruire. Postea habuerunt propriam quandam libertatem ex lege Iunia quæ exæquauit eos Latinis colonarijs (quos ego ad nouum ius Latij refero. Nam & vetus fuisse aliud Seruius notat, & illæ singulares literæ apud Valerium Probum confirmant, C. L. P. R.) effecitque liberos, negato tamen vltimę voluntatis arbitrio, vt Saluianus Timothei nomine scripsit lib. 3. ad Eccles. cathol. & probat l. 1. C. Th. de petitione heredit. & Gaius lib. 1. Instit. qua de re alibi plenius. Ita post legem Iuniam inter amicos manumissi, nec seruiunt, nec serui sunt, sed libertini: non iustæ tamen nec solidæ libertatis, vt & Seneca in lib. de beata vita significat. denique seruorum liberi & liberorum sunt spurij, vt ait l. 2. C. Th. ad S. C. Claud. Ergo vt ad rem redeam, liber homo noxæ deditus seruit, & ei adquirit qui deditum accepit. Verum si tantum

adquisierit quantum damnum datum est, liberatur, cogiturque is qui deditum accepit, ipsum manumittere. cogitur autem a Prætore: sed fiduciæ, inquit, iudicio non tenetur. Quid est hoc? An significat fiduciæ iudicio non posse cogi manumittere, cum videri posset hoc ab initio quodammodo actum per fidem taciti contractus, vt litis æstimatione accepta deditum dimitteret: quemadmodum seruatur in eo qui suis nummis redimitur l. 3. D. de obseq. parent. vel patron. præstand. l. 4. §. 1. D. de manumiss. sed auxilio & officio Prætoris id fieri, vt de seruo Iustinianus paulo dilucidius scripsit in §. 1. Instit. de nox. act. An vero quia manumissionem liberi hominis præcedit mancipatio, in qua fiducia interponi solet (ex parte quidem emptoris aut revendendi remancipandiq;, aut etiam interdum manumittendi: ex parte vero mancipantis de indemnitate fiduciarij ob impensas ipsius actus, vel etiã ob actiones noxales, ceterasq; eius generis quibus alioqui ex persona liberi hominis teneri posset) hoc potius Papinianus significat, eum qui sibi noxæ deditum manumittit fiducia non teneri, quia non sponte manumittit: vt nec alias qui facto alterius coactus vendit, de euictione teneri solet nisi ex suo facto? Sed hoc fortasse subtilius est. Illud nõ minus, An filius famil. ita manumissus, in patris naturalis potestatem recidat, siquidem legi XII. tab. trina mãcipatione satisfactum non est. Nam sane accepto pretio vendere non minus est quam aut non defendere, aut noxæ dedere. & est quod hic filio magis ob noxiam imputetur. Ita frustra quæratur hoc casu, an is qui noxæ deditum auxilio Prætoris manumittit, iura sibi legitimæ successionis adquirat. quod forsan nõ frustra quæri videretur in ceteris liberis qui vna manumissione sui iuris fiũt, si per omnia liberorum hominum manumissores patronis exæquarentur, & non edicto Prætoris enumeratæ essent certæ personæ. Et hic profecto neq; gratuitum neq; reuera beneficium præstat, cum cogi possit, & nihil amplius quam operam suam vel inuitus accommodat, quasi pretio recepto sartaque noxa l. vlt. D. de obseq. parent. Hæc sunt eius iuris quod ille apud Gellium cum lance & licio euanuisse dicit, cuius tamen co-

gnitio quanti ſit momenti in ceteris partibus, ij demum intelligunt qui riuis & caſtellis ita vtuntur vt fontes ipſos non negligant.

Rupiſſe.] Extant hæc in l. 24. §. rupiſſe. D. ad l. Aquil. ſed verbis aliquantulum mutatis: ac vereor ne illa etiam quæ ſequuntur, *Aquilia enim eas duntaxat ruptiones quæ damna dant, perſequitur* (ſic enim reponendum arbitror) non ſint Vlpiani. Sane nec ea collector hic agnouit, qui alioqui aut continua diuidere, aut diuiſa continuare non ſolet.

Paullus libro ſingulari.] Quonam? De iniuriis. Sic ſequentia vtcunque ſuadent. Atqui nullus hoc titulo liber Paullo tribuitur in eo indice qui Pandectis præfixus eſt, in quo alij quidam notantur ex quibus nihil deſumptum legimus. Et tamen hunc ipſum habuere compoſitores qui hæc ad verbum tranſtulerunt in ſuas Inſtitutiones ſub tit. De iniuriis, quem cum hoc loco conferre cuilibet, licet, & ex eo quod hic deeſt, ſupplere. Quod autem ſequitur, ſic fortaſſe non male reſtituetur, *Commune enim omni ei nomen iniuriæ eſt*, quod & Franciſco fratri chariſſimo ſuboluit.

Labeo.] l. 15. De iniuriis.

Qui iniuriam.] hæc ſunt verba legis ipſius XII. tab. in quæ ſibi quiſque pro arbitrio licere exiſtimet. Quod ſequitur de ſeruo & libero, valde corruptum obſcurumque eſt. Ego pertinere cenſeo ad illud legis caput quod de grauioribus iniuriis fuit quarum æſtimatio hactenus fruſtra quæſita hinc fortaſſe non male diſci poterit. Nam omnes quidem huiuſmodi iniurias non eſſe talione vindicatas, vel vnus A. Gellij locus arguit, apud quem cum Phauorinus dixiſſet, *Nonne tibi quoque videtur nimis eſſe dilutum, quod de iniuria punienda ſcriptum eſt*, SI INIVRIAM ALTERI FAXIT XXV. ÆRIS POENÆ SVNTO? *Quis enim erit tam inops quem ab iniuriæ faciendæ libidine* (ſic legendum ex veteribus libris) XXV. *aſſes deterreant*? reſpondet noſter Africanus non omnes iniurias iſtis aſſibus quamuis librariis vindicatas. *Sed iniurias* (inquit) *atrociores vt de oſſe fracto, non liberis modo, verum etiam ſeruis factas impenſiore damno vindicarunt quibuſdam autem iniuriis talionem quoque impoſuerunt.* Fuit vero & alius

alius eiusdem legis articulus de iniuriis, quo capite vindicabatur si quis carmen condidisset, quo alteri infamiam flagitium ve faceret. Fustis pœna, cuius Horatius meminisse videtur, nulla, vt opinor, fuit: & poetice dictum est cum significare vellet, abstinuisse pœnæ metu, tracta a canibus similitudine, vt & Helenio Acroni subuoluit. Quin & histriones ipsos immunes verberum Augustus ipse responderat, quod Tacitus lib. 1. Annalium Tiberium sequutum refert. Quæ statuitur pœna in l.5. §.si quis D.de Iniuriis. putatur esse ex lege Cornelia. Sed est magis ex ipsa lege Iulia. ex S.C. tamen esse dicitur in l.21. D. de testib. l.18. §.vlt. D.qui test.fac. poss. Lex Cornelia ex tribus causis actionem dedit, quæ longe aliæ sunt. Sane Arnobius lib. 4. aduers. gentes ob conuitium petulans formulam ex edicto dari significat, & verissimum est. Qui locus reuocat mihi in memoriam alium quendam non dissimilem M. Vellij Paterculi (sic enim apud Priscianum scribitur) ex posteriore volumine qui in B. Rhenani editione ita conceptus est. *Primus ille & vtinam vltimus* (de Silla loquitur) *exemplum proscriptionis inuenit, vt in qua ciuitate petulantis conuitij iudicium historiarum ex alto redditur, in ea iugulati ciuis Reipublicæ constitueretur auctoramentum, plurimumque haberet qui plurimos interemisset, nec occisi hostis quam ciuis vberius foret prœmium, fieretque quisque merces mortis suæ.* Quid alij supposuerint referre nihil attinet: ego sic lubentius legerim, *Petulantis conuicij iudicium iniuriarum ex albo redditur.* Iniuriarum nomen generale est, & habet subspecies multas. Nam est iniuriarum iudicium ossis fracti, & membri rupti, carminis famosi. Itaque iuridice loquitur, qui dicit, Iniuriarum petulantis conuitij iudicium, vt, legis Aquiliæ hominis occisi &c. leuiorem speciem iniuriæ complexus est quam summæ crudelitati opponeret, fortasse non omissurus & ipsius Syllæ legem si hanc quoque iniuriæ speciem complexa esset. Grauius Seneca Corneliam de sicariis auctori obiecit, cum de eadem re ageret in libello de diuina prouidentia. *Videant* (inquit) *largum in foro sanguinem, & supra Seruilianum lacum* (*id enim proscriptionis Syllanæ spoliarium est*) *Senatorum capita, & passim vagantes per vrbem percussorum greges, & multa millia*

ciuium Ro. vno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata. Quid ergo? Fœlix L. Sylla, quod illi descendenti ad forum gladio submouetur? quod capita consularium virorum patitur ostendi, & precium cædis per quæstorem ac tabulas publicas numera? Et hæc omnia facit ille qui legem Corneliam tulit. Quæ posteriora verba suadent vt apud Paterculum pro *Reipublicæ* legam non *Romani* (quis enim non hoc superesse videat?) sed *e Publico*: vt respondeat illis, *per Quæstorem & tabulas publicas*. Sed & paulo post ita legendum, *Nec tantum in eos qui contra arma tulerant, sed in multos insontes sæuitum*, adeo perspicuum est vt probatione non indigeat.

Qui autem iniuriæ in quid aget.] Sic vet. malo *inquit*, vt ad Prætorem referatur. l. 7. D. eod.

Et taxationem.] Esse hoc legum verbum Iustinianus dixit No. 82. Pertinet vero hic locus ad id quod idem scribit de æstimatione iniuriarum a Prætore permissa in §. pœna Inst. eod. tit.

Quanti vadimonium.] si quidem satisdatio ipsa vel cautio iudicio sisti certam summam continet. Nam & interdum ita vadimonium concipitur, *Quanti ea res erit.* de vadimonio etiam in actione iniuriarum locus est in l. si eum §. qui iniuriarum. D. Si quis caut.

Vnam nominis suo re destinare.] Non inficior ad hanc veterem scripturam propius ita legi posse, *Vnam nomini suo rem destinare*, sed illud malim *Vnam nomine suo rem designare.*

Non vocem agentis.] Vocatio in ius actionis editionem præcessit, sequuta est ipsa actio litisque contestatio. Immo & in iure ad album plerunque actio edi solebat. Itaque recte Iustinianus omnium actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficisci ait, quæ est de in ius vocando. quem & ipse ordinem in vetere iure digerendo religiose sequutus est.

Quod Auli.] Hoc fuisse solemne verbum in formulis actionum, & alij notarunt & hic locus plenissime probat. Sic & apud Fab. lib. 6. c. 8. *Colaphum tibi ducam, & formulam scribam, Quod caput durum habeas.* Exempla sunt ex libris nostris præter iam notata in l. 17. §. 1. D. de in rem vers. l. 2. D. Quod iuss. l. 133. D. de verb. oblig. l. 21. §. vlt. D. de negot. gest. l. 47. de ædilit.

edict. l. vlt. D. si quadru. paup. fe. di. l. 26. §.neque. D. de, nox. act. l. 1. §. an pater. D. de fur. l. 1. §. si is qui nauem, & l. 5. D. de exercit. act. Fuit & in exceptionum formulis vsitatum Quod præiudicium non fiat, Quod metus causa. Inst. de excep. Quod non vi l. 1. §. 1. & §. denique. l. 7. §. bellissime. & §. seq. D. Quod vi aut clam. l. 1. §. sunt qui. D. Ne quid in loco publ. Quod facere possim l. 7. & l. 14. in fine D. de except. & infra. Quod rem sestertiorum &c. Sed & in conceptione stipulationum, Quod ego decem credidi. l. 47. D. de rei vind. l. 42. D. de fideiuss. l. 1. §. si manumisero. D. Quar. rer. act. non dat. l. 8. § 1. D. de pignerat. act. l. 122. §. Flauius. l. 135. §. Seia. de verb. oblig. l. 15. D. de acceptil. l. 58. D. de rei vindic. Quo pertinent & illa in testamentis quorum exemplum extat in l. 19. D. liberat. leg. Vnde & apud Ciceronem in orat. pro Quintio illa verba, *Vt sibi Quintius iudicatum solui satisdet ex formula, Quod ab eo petat &c.* non modo ad actionis sed & ad satisdationis formulam referri possunt, & melius quidem quam ad edictum ipsum, quamvis constet ad exemplum etiam edicti actiones fere conceptas. Illud fortasse non vsqueadeo obuium, in conceptione formularum non semper Caium Seiumque, aut Titium ac Mæuium, sed & Agerium actoris, Nigidium rei nomen sustinuisse. cuius moris in acceptilationis Aquilianæ formula reliquiæ extant: & in l. tutor. §. 2. D. de vsur. Agerio Gaius Seius coniungitur. Sed de tota ea veteris iuris parte expectamus votis multis tractatum quem B. Brissonius celeberrimum ingenium fori nostri iampridem pollicetur, cui vtinam ea rerum prolatio tandem aliquando volenti eueniat, quam summa ipsius eruditio ingeniique singularis dexteritas meretur, & studiosorum vtilitas expostulat.

Mala.] Vet. *mola.*

Causa mortis.] Hæc sententia indicat iure P. R. non fuisse certum dierũ numerũ, sed hoc totũ quæsitoris & iudicũ arbitrio permissum. Pertinet vero magis ad titulũ nisi proximũ quod de libero homine loquitur. Nouum vero non est in huiusmodi eclogis esse quædam capita fugitiua: qualia multa in libris nostris Doctor meus adnotauit, quibus & hæc addi pos-

ſunt, l. 1. & 2. D de ceſſ. bon. l. 3. D. Qui pet. tut. vlt. D. de loco publ. l. 4. C. de probat. Sane in l. Labeo, in fi. D. de ſtatulib. quod ex Pactumeio Clemente traditur, ad titulum non ſatis pertinet, niſi ex priori dictione repetita ſyllaba cum ſuperioribus coniungatur hoc modo, *dediſſet & Pactumeius Clemens &c.* At in l. 5. §. vtrum D. ſi vſusfr. pet. quod Vlpianus adiecit *non ſeruitutem*, quamvis a propoſita quæſtione alienum videatur, ideo tamen adiectum eſt, ne ſententiã Iuliani de ſeruitute probaſſe argueretur. quod alias fortaſſe amplius exponemus.

AD TIT. III.

Si quis.] Exod. XXI. hanc vero dierum interpretationem Conſtantinus ſuſtulit in l. 1. C. de menedat. ſeru. vt & Zeno in l. penult. C. de inceſt. nupt. a Moyſis lege nonnihil receſſiſſe videri poteſt.

Niſi id dolo fiat.] Hoc igitur caſu reus erit dominus homicidij: ſed punietur tanquam homicida ſerui, non vt homicida liberi hominis. Punietur autem ex lege Cornelia non ex plebiſcito.

Si Dominus.] Extat & in l. 2. D. de his qui ſunt ſui vel al. iur. & in Inſtit. mutatis etiam nonnullis, quæ nihil neceſſe putauimus ſingillatim notare.

Dominorum.] Non fuerunt ante has Conſtitutiones impunitæ dominorum in ſeruos iniuriæ. Nam Seneca lib. 3. de benef. *Poteſt*, iniquit, *ſeruus dare beneficium domino ſi ab eo poteſt iniuriam accipere. Atqui de iniurijs dominorum in ſeruos qui audiat poſitus eſt, qui & ſæuitiam & libidinem, & in præbendis ad victum neceſſarijs auaritiam compeſcat.* Lege quoque Petronia dominis poteſtas ablata eſt ſuo arbitratu ſeruos dandi ad depugnandas beſtias l. 11. §. vlt. D. ad l. Cornel. de ſic. Sed & apud Græcos ſeruorum fortunæ humaniter conſultum Athenæus eleganter oſtendit lib. 6 Dipn. capite 7. prolatis in ea rem Hyperidis, Lycurgi & Demoſthenis verbis.

Infamiæ iniuria.] Sic vet. & fortaſſe recte ſi ad impudicitiam referatur.

Fraudem fecerit.] veluti si cum tempore pactus sit vt seruum redhibeat. Theoph.

Diuus etiam Adrianus.] Spartianus in eius vita, *Seruos* inquit, *a dominis occidi vetuit, eosque iussit damnari per iudices si digni essent.* Diuus etiam Marcus domino seruum accusare permisit vt Gaius notat lib. 1. Inst. l. seruos. D. de accusat. De seruorum vero criminibus cognoscebat Romæ quidem Præfectus vrbi, in prouincijs Præsides, vt in idem auctor est, & probat l. 1. §. si quis seruum. & §. quod autem. D. de off. P. V. l. 24. §. vlt. D. de pig. act. l. 9. D. de manumiss.

Itaque & ipse.] Hic locus valde corruptus est, & fortasse non infeliciter ita restituetur, *Itaque & ipse curare debes iuste ac temperate tuos tractare, vt & facile requirere eos possis, ne si apparuerit vel imparem te impendijs esse, vel atrociorem dominatione sæuitiam exercere, necesse habeat Procos.* VC. *ne quid tumultuosius contra accidat, præuenire te, & ex mea iam auctoritate ad alienandos eos compellere. Glabrione & Omullo Conss.* Cuius loci emendationem aliqua ex parte Nic. Fabri viri optimi indicio acceptam referre non ingratum est.

Requirere.] fugitiuos scilicet.

Ad alienandos.] bonis conditionibus. itaque iusto pretio vendere compelletur arg. l. 4. §. 2. D. de in di. addict. & de euictione cauere: quamvis alias nemo cogatur rem suo precio vendere, & qui inuitus vendit, de euictione non promittat l. 8. §. vlt. & l. seq. D. de act. rer. amot. l. 35. §. petitor. l. 70. D. de rei vindic.

Gregor. lib. XVIIII.] Hic numerus mihi valde suspectus est.

AD TIT. IIII.

Quicumque.] Leuit. xx. Deuteron. xxii. Exod. xxii.

Prioribus legibus pluribus abrogat.] An *derogat*, vt Vlp. dixit de lege Aquilia, an potius *obrogat*? Nam & sic apud Liuium vbi vulgo scriptum legitur lib. 9. *Et quia vbi duæ leges sunt semper antiquæ abrogat noua*, in vetustiss. exemplari scriptum lego, *obrogat:* & apud Lactant. lib. 6. diu. Inst. sic Ciceronem scripsisse alias monuimus, *huic legi neque obrogari fas est, neque derogari ex ea aliquid*

licet, neque tota abrogari potest. Verum reperio veteres quoque ita loquutos. Auctor libelli de viris illustribus. *Minutio*, inquit, *Rufo Trib. legibus suis abrogante*, & paulo post de Apuleio Saturnino, *huic legi multis nobilibus abrogantibus*. Ouidius 2. de Tristib. *Et nimium scriptis abrogat ille meis.* Sed Modestinus noster longe apertius in l.102. D. de verb. signif. *Abrogatur legi cum prorsus tollitur.* Itaque veterem scripturam non temere violandam censeo: quamuis, vt verum fatear, & in illis Plinij locis abrogandi verbum lubentius reposuerim.

Secundo vero.] Hoc caput sic restituo, *Secundo vero capite permittit patri, si in filia sua quam in potestatem habet, aut in ea quæ eo auctore cum in potestate esset viro in manum conuenerit adulterum domi suæ generiue sui deprehenderit, inque eam rem socerum adhibuerit, vt is pater eum adulterum sine fraude occidat, ita vt filiam incontinenti occidat.* Quod ait, *inque eam rem socerum adhibuerit*, videtur pertinere ad filiam quæ eo auctore cum in potestate esset, viro in manum conuenit. Cuius iuris quod iam in manum conuentio euanuisset, nulla sunt, quod sciam, in hoc tractatu apud Iustinianum vestigia. Nam quod Vlpianus ait in l.23. §.1. D. eod. ad priorem illam capitis partem non pertinet.

Ait, in potestatem.] Sic vet. atque ita etiam M. Tullium locutum Gellius auctor est lib.1. cap.7.

Sine fraude.] Sine periculo, impune, vt ex iure Seruius notat, qui & illud addit ad XI. Æneid. in optimo libro meo, Fraudem veteres pœnam vocasse ab eo quod præcedit id quod sequitur: citatque hoc M. Tullij ex Cornelianis, *Ne fraudi sit ei qui populum ad concionem vocarit.* quod in editis exemplaribus frustra quæretur.

Inuidia autem.] Sic vet. lib. Sed nemo non fateatur sic potius scriptum à Paulo, *In vidua autem.* Quod si verum est sane fateamur in occisionem filiæ viduæ patrem habuisse ius præcipuum, siquidem & hoc ius sic recte exprimitur. At in accusationem filiæ viduæ non habet pater ius præcipuum l. 22. §. 1. D. eod. Ius vero præcipuum in eo etiam est vt intra sexaginta dies eius voluntas expectetur, nec vlli alij interea agendi potestas fiat l.14. §.2. D. eod. itemque vt iure patris accusans

non facile calumniæ pœna adficiatur. qua de re mox dicetur.

Auctoritate quoque.] legi poteſt, *Auctoritate quoque paterna*, poteſt & ſic, *Auctoritate quoque legis patrem poſſe interficere vel Conſularem vel patronum ſuum ſi in filiam.* Pertinent vero hæc ad interpretationem eorum verborum, *Eum adulterum*: circa quæ & idem olim ex ſententia legis quæſitum eſt. Sed verba ipſa conditionem adulteri non diſtingunt l.24.§.1.D.eod.tit. Papiniano quidem in patronum durum viſum eſt l.38.§.penult. forſan quod ad ius mariti attinet, cuius impetui & calori minus lex conceſſit quam paterni nominis pietati. Atque hæc quidem ita temperari poſſunt. Placet tamen Cl. Puteani coniectura qui hunc locum ſic potius emendat, *Vel Conſularem vel Prætorium ſi eum in filiam adulterum deprehenderit.*

Si ex interuallo.] veteris libri ſcriptura hæc eſt. *Sed interuallum filiam int.t.c.niſi perſequatur illum interfecerit. Continuationem enim animi videtur legis auctoritatem fecisſet.* Huc pertinet l.23. §. vlt. & l. 32. D. eod. Auctoritate legis dixit vt & Alexander in l.4. eod. tit.

Secundum leges.] Ex legis Iuliæ verbis quæ filiumfam. maritum ab eo qui ſui iuris eſt non ſeparant. l.6.§.2.

Auctoramento rogati.] De auctoratis alibi diximus; Sed quæri poſſet vnde origo verbi. Ego ad illud Plutarchi problema lubens refero cuius & ſuperius meminimus, vt ne viderentur priuato iure contra fas arma tractare, ſacramento quodam & religione in eam rem auctoratos eſſe.

Quo loco & deditius.] Si de libertino dediticio accipias, fruſtra adiectum videbitur. Ego deditium potius accipio liberum hominem noxæ deditum, cuius inter ſeruos & libertos media quædam conditio eſt. Et videntur veteres iuris auctores nomen ab eodem fonte ſic variaſſe ambiguitatis diſcernendæ gratia. Quod & in alijs factum Soſipater notauit in Grammaticis.

Diuum Marcum & Commodum.] l.38.§.Impp.eod.tit. Illud D. non erit alienum hoc loco annotare, quod Diui Marci & Commodi reſcriptum extat in l.14. D. de off. præſ. Diuis fra-

tribus passim tribui l.13.§.vlt. De eod. & l.penult. D.de lege Pomp. de patricid. Nam & Verus Commodus dicebatur. sed hic Commodus M.F. exaudiendus est.

Magnus Antoninus.] Caracalla, qui corpore Alexandri Macedonis conspecto Magnum atque Alexandrum se iussit appellari.

Pepercit.] Sic & Vlpianus dixit ignosci marito in l.3.§.si maritus.D.de S C. Silan. At ego a D. Pio vltimum quidem supplicium remissum, pœnam tamen inrogatam video, sed molliorem d.l.38. & l.1.§.vlt. D. ad leg. Corn. de sic. Et hoc quoque parcere atque ignoscere est. Tandem vero ferrum mariris in omnes porrectum est Nouella const. Maioriani de adulteriis, quam & plerique omnes populi adprobarunt. Cuius iuris vestigia quædam notasse memini inter ea fragmenta quæ discordantium canonum Concordiæ nomine Gratianus collegit 33.q.2. can.Inter.

Qui iure.] Iure mariti sine calumnia vir accusare potest, l. 37. D. de minoribus. Notandum est quod ait. *potest.* Nam & potest calumniæ pœna victus adfici. Et hoc est quod dicitur, Iure mariti accusantem calumniæ periculum non euitare, & sine periculo calumniæ non posse agere. l. 4. §. vlt & l.3. D. ad leg. Iul. de ad. videlicet si euidens eorum calumnia apparuerit. Verum non facile ei hoc iure accusanti calumniæ pœna irrogabitur, vt fit in eo qui iure publico accusat. l.15.§. lex. D. eod. l.2. C. Qui accusar. non poss. Sic hæc διαφωνία temperanda est.

Sine calumniæ pœna.] Calumniatoribus siue ex lege Remmia seu qua alia frontem inuri solitum constat. Sed quæ fuerit illa litera iam diu quæsitum est, de quo nihil habeo certius quam quod Iulianus in Antiochico sic scribit, εἶτα, ὡς ἐκ τοῦ πώγωνός μου πλέκειν δεῖ σχοίνια, καὶ ὅτι πολεμῶ τῷ χῖ. πόθος δὲ ὑμᾶς εἴσεισι τοῦ κάππα, καὶ ὑμῖν γε οἱ πολιοῦχοι τῆς δὲ τῆς πόλεος θεοὶ διπλοῦν δοῖεν, ὅτι πρὸς τοῦτο καὶ τὰς ἀστυγείτονας ἐσυκοφαντήσατε πόλεις ἱερὰς καὶ ὁμοδούλους ἐμοί. Quod si quis putet Græcorum esse illud K, discat & veteres Romanos Kalumniam scripsisse non calumniam, & hac quoque litera pro singulari vsos cum idem

significare

significare vellent, hoc & Terentius Scaurus, & Velius longus, & Diomedes de Ortographia tradidere. sed propius ad Iulianum Isidorus lib. I. Eth. de notis iuridicis differens, per duo K K calumniæ causa significari scribit. Fabius quoque lib. I. Inst. ipsam nominum notam esse ait. Et quando totus ille Fabij locus mirum in modum deformatus est. operæ precium fecero si hic eum integriorem adscripsero. K, inquit, *& ipsa quorumdam nominum nota est & Q cuius similis effectu specieque (nisi quod paululum à nostris obliquatur) Kappa apud Græcos, nunc tantum in numero manet, & nostrarum vltima qua tam carere potuimus quam Psi non quærimus.* Quæ si quis cum impressis conferat, facile intelliget quid nos in eis restituendis cum ex veterum librorum scriptura, tum ex non incertis coniecturis præstiterimus. Sed quid vetat & Velij locum ex Puteani nostri codice adiicere? Est enim sane quam elegans, necdum, quod sciam, integre à quoquam editus, Sic igitur Longus. *Hinc superſunt ex multis K & C & Q de quibus quæritur an scribentibus sint necessariæ. & qui K. expellunt, notam dicunt esse magis quam literam, qua significamus Kalumniam, Kaput, Kalendas hac eadem nomen Cato notatur non magis igitur in numero literarum esse oportet, quam illam notam 7. qua Centuria, & quam Ɔ conuersum quo Caia significatur quod notæ genus videmus in monumentis, cum quis libertus mulieris ostenditur. Caias enim generaliter aſpicis omnes mulieres accipere voluerunt.* Vbi pro *Catonis keſonis* nomen ex Scauro reponendum est. Sed & illud, *Auſpicis*, vereor ne non pro *Auſpices* scriptum sit. Pertinet enim is locus ad veterem nuptiarum ritum quo auspicibus adhibitis Caius Caiam ducebat, & verisimile est quod Plutarch. ἐν αἰτίοις scribit, εἰσάγοντας τὴν νύμφην hæc verba præeuntes suggessisse *Vbi tu Caius ego Caia*, ad auspices essere ferendum. Sane Fabius cum de Caiæ nota idem tradidisset, subiecit, *Quia tam Caias vocitatas esse quam Caios ex nuptialibus sacris apparet*. At nos iam paulo longius quam par fuit fortasse excucurrisse videbimur. nulla tamen homini studioso discendi occasio importuna esse solet. & nobis hoc saltem luxu interdum genio indulsisse, condonabitur.

Vt libertinus.] patronum ex lege Iulia publicorum iudicio-

rum l. 8. in fine D. de accuſat. vel quemlibet ſi rem ſeſtertiorum triginta milium, aut filium non habeat, vt proximo reſponſo continetur.

Aut minor.] Hoc eſt ex verbis legis ipſius Iuliæ de pudicitia l. 15. §. lex Iulia D. eod.

Qui ſine connubio.] Connubium eſt ius legitimi matrimonij, vt recte Seruius definit. Itaque cum peregrino connubium non eſt. Seneca lib. 4. de benefic. *Promiſi tibi filiam in matrimonium poſtea peregrinus apparuiſti. Non eſt mihi cum extraneo connubium.* Itaque iure mariti peregrinus non accuſat. ſed accuſat tamen iure quodam hominum καὶ ἐξ ὁμολογίας, vt Africanus eleganter ex Homero arguit in l. 13. ſ. 1. D. eod. nec ei opponetur infamia, quæ alias iuſta fuit exceptio etiam in ciuilibus cauſis. ſ. vlt. Inſt. de except. non hæc, Quod libertinus rem HS X X X aut filium non habeat, quæ vna fuiſſe videtur ex illis præſcriptionibus legis Iuliæ de adulteriis & maritandis ordinibus, de quib. in l. 15. §. penul. D. hoc tit. aut fortaſſis etiam legis Iuliæ & Papiæ quod ad filium adtinet. Nam priuilegia liberorum ex illis fere ſunt legibus. l. 2. D. de minorib. Denique nulla præſcriptio obiicitur ſuam iniuriam vindicanti. Immo & hodie ceſſant omnia illa præſtigia verſati iuris, vt ait l. 28. & l. 32. C. hoc tit. Eſt & de præſcriptionibus ex lege Iulia locus in l. 5. D. de accuſat. vbi hæc verba *Præſcriptione vtetur*, ſic accipio, vtetur exceptione mulier. Ne in præiudicium ſeruus aut accuſetur aut torqueatur, l. 33. D. ad leg. Iul. de adult. in qua idem omnino reſcriptum referri exiſtimo. Cui conſequens eſt eo caſu à muliere nupta initium accuſationis fieri.

In vxorem adulterium.] vet. ex. *adulterum*, male. Sane de ſponſa quæſtio eſt, quæ ſimplicius ita definietur: In ſponſam adulterium iure mariti vindicari non poſſe ex lege Iulia quæ de vxore & nupta loquitur: Diui tamen Seuerus & Antoninus reſcripſerunt etiam hoc vindicandum, & ex hoc reſcripto quaſi ſponſa iure quoque præcipuo accuſatur, l. ſi vxor. ſ. Diui. iuncto ſ. ſi minor. in fine. D. ad leg. Iul. de adult. Atque ita intelligenda videtur l. 9. C. eod. tit.

Papianus libro sing. de adulter.] Hic liber continuit responsa quæ ad legem Iuliam de pudicitia pertinebant. Sed & alios Responsorum libros Papinianus scripsit de varijs consultis.

Aut eo auctore.] vet.lib. *aut eum auctorem* Ergo non qui iure præcipuo accusare potest, & occidere potest. Sed nec qui occidendi ius habet, ius præcipuum in accusationem habet, vt in vidua dictum est. Cæterum hic locus arguit, emancipatam filiam iure patris accusari posse, quamuis vidua non possit. Scæuola tamen cum de iure patris ageret, eam posuit quæ in potestatem esset l. 14. §. pen. verum in his quæ simul consistere possunt, non qui vnum dicit & alterum tollit: & est Muciani ingenij de iure aperto præcise ad propositum respondere, vt in l. 34. §. vlt. D. de pignorib. si modo Florentina scriptura retineatur.

Cum patri lex regia.] Atqui ius patriæ potestas timoribus receptum dicitur l. 8. D. de his qui sunt sui vel al. iur. Sed non est nouum quæ veteribus primum legibus introducta sunt, moribus adscribi, maxime cum de vtendi ratione agitur, quæ tota ex moribus pendet. Sic & substitutio pupillaris quæ iure potestatis fit, moribus fieri dicitur. Sic furiosis & prodigis ex XII. tab. curator datur, at moribus fit interdictio, quæ & ipsa ex lege XII. tab. fieri dicitur. Et sane quædam sunt iura patriæ potestatis, quæ non tam ex verbis ipsis legis, quam ex interpretatione & auctoritate prudentium quasi per consequentiam, aut ex plurium annorum obseruatione tacito populi consensu obfirmata manarunt. At potestatem ipsam vitæ necisque in liberos ex lege Regia esse hic locus apertè confirmat. Quod & Dionys. Halicarnas. tradit, & Vlpianus noster in XII. tabulas translatum testatur, vt pleraque alia ex Regum legibus. Frustra vero Papiniano hæc quæstio proposita fuisset, si non idem quoque ius eo tempore obtinuisset. Quod si verum est, & Tribonianus pro præsenti præteritum tempus supposuit in l. in suis D. de lib. & post. her. inst. Sane quidem sub Augusto exemplum est iudicij paterni & domestici in filium, cuius & ipse princeps pars fuit, apud Senecam lib. 1. de Clement. vt non immerito idem auctor pa-

rentes magistratus domesticos appellarit lib. 2. de benefic.

Quod bonum fuit.] Sic etiam scriptum est. In l. 3. & l. 10. D. de. bon. poss. contr. tab. l. 13. §. aliquando D. ad SC. Vell.

Dedisse vt.] Fortasse melius, *dedisse, set vt.* Hoc velle videtur Papinianus, legem Iuliam non tam dedisse patri ius necis in filiam, quam necessitatem imposuisse filiam occidendi, siquidem & adulterum vellet occidere. & recte, *hæc adiectio.* Nam si quis verba ipsa legis expendat, hoc maxime agit, vt impune adulterum pater occidere possit: adijcit tamen veluti temperamentum quoddam nimij caloris, dum modo filiam in continenti occidat. Non dat igitur lex ius occidendi filiam cum adultero, sed adulterum potius cum filia, l. 20. D. eod. & est filia ipsa vt ita dicam, in conditione magis quam in dispositione.

Quod forte filiam.] Desunt quædam huiusmodi, *quod forte filia effugit, aut casu euasit.*

Non dubitantur non ambigitur. Sed si deponas.] Sic vet. legendum videtur, *non dubitatur. Sed si de pœna tractas quin aliquid eius honestissimo calori permittatur, non ambigitur. Sic dicit, non ambigitur, non vt quasi &c.* hæc autem posteriora verba videntur esse collectoris, vel potius Pauli, aut alicuius eorũ qui ad Papinianum notas scripserant, quarum auctoritatem Theodosius & Valent. infirmarunt in l. 1. C. Th. de respons. prud. Iustinianus restituit adempta etiam Papiniano sententiæ prærogatiua, immemor ipse iudicij sui quod etiamnum extat in l. cum acutiss. C. de fideic.

Vsque ad exitium.] Leg. *exilium* l. 4. C. ad leg. Iul. de adult. l. 1. §. vlt. D. ad leg. Corn. de sic.

Marito vel patre accusante.] Etiam iure publico siue extranei. sed hoc est ex constitutionibus, l. 6. C. eod.

Iniuriam lecti.] vet. lex. corrupte. Constantinus dixit Genialis lecti in l. 30. C. eod. tit. vt & alij auctores multi.

Sed quoniam.] l. 17. D. de quæstionib.

Paulus libro sent.] leg. *libro secundo sententiarum*, & quæ sequuntur sic supplenda sunt ex l. 22. D. hoc tit. *permittitur tam adoptiuo quam naturali patri.*

Prope est vt non poßit.] Et ſic Papinianus reſpondit in l.20. Sed Iuriſconſultis diuerſas inter ſe opiniones tueri conceſſum eſt, vt Fabius quodam loco ait. Atque vtinam hæc eadem libertas conſcientiæ & veritatis potius fiducia quam contentionis & gloriolæ ſtudio inter nos conſeruetur. Ego ſententiam non diuido, ſed à Paulo ſto, atque ita cenſeo: Quando adulterium iure naturæ probrum ducitur, eius quoque vindictam ex iure potius gentium quam ex ipſis legum verbis æſtimandam. Qua etiam ratione nec dignitatem quidem auctoritate legis Paulus excepit.

Et liberos.] An *libertos*. Sed exceptio vxoris ad liberos magis pertinet quorum numero & illa habetur quæ in manum conuenit. Atque ita Nic. Fabro noſtro videtur viro & doctiſſimo & humaniſſimo, cuius fidei atque amicitiæ multum me debere lubens merito profiteor.

Inuenta.] Extat apud Paulum lib.2. Sentent. ſed corruptior. Quomodo autem reſtituenda ſit, hic locus indicat, in quo tamen mariti verbum fruſtra repetitur.

Sub ſpecie.] Fortaſſe rectius *Sub ſpe*: quamquam vtrumque leuiter ferri poteſt.

AD TIT. V.

Qui manſerit.] Extat Leuit. xx.

Capite punitur.] An ſit hæc pœna legis Scantiniæ dubitari poteſt: an potius Iuliæ de adulterijs, qua etiam in marem ſtuprum vindicatur, vt & ea quæ de vi publica eſt ſi per vim ſtuprum illatum ſit l.29. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult. Fabius quidem nihil præter decem milium multam ſtupratori minatur, & Plutarchus auctor eſt Capitolinum à Senatu pecunia multatum quod Claudij Marcelli filium de ſtupro appellaſſet, an quod non perpetraſſet, an quod non ſatis conuictus videretur, dubitari poteſt. At hic ipſe legi nomen dediſſe dicitur, ſiue vt Macedo Senatuſconſulto, ſiue quod ipſe illam tuliſſet. nec enim nouum eſt primum aliquem ſua ipſius lege punitum. Sane Valerius C. Scantinium appellat, & Tribunum

plebis facit: Plutarchus Aedilem collegamque Marcelli, & Capitolinum tantum nominat. Porro Vvisigothorum legibus huiusmodi stuprum castratione vindicatur.

Nec testamentum ei ex maiore parte.] Sicut nonnullis pro beneficio datur vt pro parte dimidia testamentum facere possint, veluti seruo publico P. R. ita alijs, pro pœna interdicitur ex maiore parte bonorum testamenti factio. Sunt igitur quidem pro parte testabiles, pro parte intestabiles. Cuius rei gratiam populus aut princeps facit cum liberam testamenti factionem concedit. Quod de seruo publico diximus vnus Vlpianus tradidit, nec alius, quod sciã, eius iuris auctor hactenus laudatus est. Sed videor mihi inter senticeta M. Varronis vestigia quædã illius notasse, verum ita perturbata vt non facile a quouis agnosci possint. Sic autem lego ex vetustioris scripturæ reliquijs sub finem lib. VII. de ling. Lat. *Habent plerique liberti a municipio manumissi: in quo vt societatum & fanorum serui, non seruauerunt proportionem & rationem. Et Romanorum liberti debuerunt dici, vt a Fauentia Fauentius, a Reate Reatinus, sic a Roma Romanus, vt nominantur libertini a libertis orti, & e publicis seruis P. R. qui manumissi, ante quam sub magistratuum nomine qui eos liberarunt succedere cæperunt.* Vt significet Varro, quæ analogia est inter Roma & Romanus, eandem esse videri inter libertus & libertinus quo nomine temporibus Appij cæci & deinceps aliquamdiu censiti sunt non ipsi qui manumitterentur, sed ingenui ex ijs procreati, vt Sueto. libro 3. scripsit, & Vlpianus noster monet apud Athenæum. Addit Varro, libertinos etiam dictos qui ex seruis publicis P. Rom. manumissi erant. quasi plus aliquid essent quã liberti & propius ad ingenuitatem accederent, vt pote qui & ante manumissionem quodammodo libertorum iure vterentur, cum testamenti factionem haberent, possentque non modo ipsi testamentum facere, sed ex aliorum etiam testamento sibi capere, ex parte scilicet dimidia. Quod vt rite fieri videretur, cum alioqui heres iure Ro. esse non possit qui ne nomen quidem, immo nec personam habet, hic iuris color a prudentibus excogitatus est, vt serui huiusmodi in capiẽda hereditate nomen sibi eius

magiſtratus adſumerent cui miniſtrabant. Ergo & in teſtamento teſtes eſſe poterant, cum iuris ciuilis aliqua ex parte communionem haberent (quod pertinet ad l. 20. §. ſeruus. D. de teſtament.) & familiæ emptores, quia & mancipationis ius habuerunt, quod alioqui ciuium Ro. proprium, poſtea Latinis tantum colonarijs Iunianiſque conceſſum eſt, atque etiam peregrinis iis quibus ius commercij datum erat, vt ad Gaium Vlpianus adiecit. Tacit. lib. 2. Annal. *Et quia vetere S C. quæſtio in caput domini prohibebatur, Tiberius mancipari ſingulos actori publico iuſſit.* & lib. 3. *Seruos Silani actor publicus mancipio accepit.* Quod tamen Xiphilinus ex Dione ab Auguſto prius conſtitutum referens. τῷ δημοσίῳ) inquit) ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι. Et ſane eos actores publicos ſeruos P. R. fuiſſe nemo eius antiquitatis peritus negauerit. Fuerunt igitur olim ſerui ij eodem pene iure quo poſtea liberti principis ex conſtitutione Gordiani quam ex Gregoriano recitat Theodericianus I C. ſub Tit. de libertatibus. φιλοσοφώτερον Leo ſeruis principis plenum rerum ſuarum arbitrium etiam morientibus conceſſit Nouell. Conſt. 38. quod etiam aliquatenus ſuis ſe indulſiſſe Plinius nepos gloriatur. Porro quod additur apud Varronem *& rationem*, quamquam belle habere videatur, vereor ne non ſuperſit, aut potius *Romæ* locum occupet, errore non obſcuro. Nam & in veteribus monumentis hæc etiam ſæpe coniunguntur, Vrbis Populique Romani. Vrbis Varro non dixit, ſed Romæ, vt analogia conſtaret. Sed nos etiam notis iſtis ſuam analogiam conſtare non concedimus. Si cui tamen noſtra hæc de loco obſcuriſſimo coniectura probabitur, is facile peccati, quodcunque eſt, veniam dabit.

Hoc quidem iuris.] Sunt hæc aut collectoris, aut alterius cuiuſdam qui hæc poſt ex Theodoſiano adiecit, vel potius ex Præfecturæ vrbanæ archiuis. Nam in ipſo Codice hæc conſtitutio breuius relata eſt, quod & ante monuimus.

AGVC NOVIS.] Sic vet. quod ex alijs conſtitutionibus ſic reſtitui poteſt. *Orienti vicarie Kariſſime nobis.*

Prop.] In C. Th. paulo alia eſt ſubſcriptio, nempe hæc, P P. *in foro Traiani* VIII. *Id. Aug. Valentiniano* IIII. *& Neoterio Coſſ.* In

veteri quidem exemplari ſcriptum eſt, *Minere* non *Mineruæ*. Sed in eadem regione vrbis quæ Fori Ro. nomen prætulit, & Traiani forum, & Mineruæ atrium fuiſſe vel ex P. Victore conſtat.

AD TIT. VI.

Quicunque.] Leuit. xx.

Vlp. libro Regulari.] Lego, *Vlpianus libro ſingulari Regularum, ſub Titulo, De nuptijs.* Atque ex hoc loco reſtituenda arbitror quæ hodieque corrupta extant inter fragmenta Vlpiani Tit. 5.

Ex tertio gradu.] Vviſigothorum legibus vſque ad ſextũ cognationis gradum nuptiæ prohibitæ ſunt qui gradus ex Pauli Sententijs numerantur: quod & Vviſigothus Iſidorus ſequutus eſt, vt non immerito Saluianus eius gentis caſtitatem laudibus extollat. Sed nos & Saluianum integriorem & leges illas XII. libris compſitas breui, Deo faciente, in publicum dabimus.

Sed tantum fratris filiam. Et hoc Vlpiani temporibus obtinuiſſe multi Pandectarum loci euincunt. Sane conſtitutio illa D. Neruæ cuius Xiphilinus ex Dione meminit, ad fratris potius filiam pertinuiſſe videtur. nam & hæc ἀδελφιδῆ dicitur. Conſtantinus tamen & Conſtans cum alterum magis prohibere vellent, vtrumque complexi ſunt ea lege quæ ex veteribus libris in Codice Theodoſiano nuper reſtituta eſt ſub Titul. de inceſtis nuptiis, ex qua etiam hoc idem ius ad Gaium Anianus adiecit libro 1. Inſtitut. Titul. de nupt.

Sed vel cognatam.] Puto leg. *Si vero cognatam.* Quod ſequitur, *contra interdictum*, ſic interpretor, contra ius ciuile. Pertinent vero hæc ad legem Iuliam de adulteriis, & explicantur fuſius in l. 38. D. eodem tit. quo etiam referendum eſt Diuorum fratrum reſcriptum ex l. 57. §. 1. D. de rit. nupt.

De nuptiis ſub titulo.] melius *ſub titulo de nuptiis.*

Si cunctos.] leg. *ſi cunctos ſub imperio noſtro agentes piam religioſamque & quietam & caſtam in omnibus more colere perſpeximus vitam. More*

tam More est vitæ quadam honesta ratione atque instituto. Horat. lib. 4. odar. *Mos & lex maculosum edomuit nefas*. Petronius Satyrico:

Artis seueræ siquis amat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius more
Frugalitatis lege polleat exacta.

In Nouella etiam Theodosij & Valentiniani de lenonibus, *Pio circa omnium verecundiam proposito, mansuetudinis nostræ mori pudicitiæque suggessit*. Sic enim potius legendum arbitror, nisi cui magis placet *ori*. προαιρέσεως illa Epicteto κατὰ φύσιν gignit ἕξιν, id est, perpetuæ cuiusdam voluntatis constantiam quæ morem efficit, aut ipsa illa potius mos est. Varro apud Ambrosium Macrobium lib.3. Satur. *Mos est in iudicio animi quem sequi debet consuetudo, idest, cultus moris.*

Successione careatur.] Forsitan, *successione careant, vt*. Puteanus tamen malit, *successione arceantur.*

Apud affectus.] Hinc apparet affectus dici non de liberis modo & vxore, sed & de reliquis cognatione & adfinitate coniunctis. Vulcatius in Auidio. *Nec in eius liberos aut affectus sæuit.*

Cum filia nepte.] Hinc sumpta est l.17. C. de nupt. in qua ex Constantini & Constantis lege a Triboniano adiecta videntur illa verba, *Præterea fratris filia.*

Nihil enim.] Priorem huius sententiæ partem Puteanus noster sic emendat, *Nihil enim nisi sanctum ac venerabile nostra iura custodiunt*. Posteriorem ego sic. *& ita ad tantam magnitudinem Romana maiestas cunctorum numinum fauore peruenit, quoniam omnes leges suas &c*. paulo post, *contra disciplinam veterem indulta*. & infra, *qui tam euidenti crimini se post edictum nostrum non dubitabit insuere* vel, *crimine inficere.*

In die tertio.] Fortasse melius, *in diem tertium.*

Ermogenianus sub titul.] Hic velim illud obseruari Codicem siue Hermogenis siue Hermogeniani libris non distingui, sed titulis tantum.

Et Diogene.] Fortasse. *Tiberiano & Dione conss.* Quæ sequuntur sunt collectoris, sed indicant quanta veterum religio fue-

rit in constitutionibus Imp. recitandis circa diem & Cos. credo equidem post l. 1. C. Th. de diuers. rescr. quam Iustinianus cum ad priuilegia restrinxisset, postea facile neglexit.

Et qui coniunctæ.] Lego, *Ei qui coniunctione sororis filiæ.* Vide l. 57. D. de tit. nuptiar. l. 38. §. idem Pollioni. D. ad leg. Iul. de adulter. *Coniunctionem* autem dixit non *connubium.* quod est ius legitimi matrimonij. vt supra Paulus *ductam* non *vxorem.* his tamen nominibus interdum facile abutimur. Nam & idem Paulus libro 2. Sentent. dixit matrimonia iniussu parentum contracta non solui, cum proprie hæc matrimonia non sint. Quæ sequuntur sunt Eclogarij siue collectoris.

Maledictus.] Extant Deuter. cap. XXVII.

AD TIT. VII.

Quod si XII.] Et hæc quoque collectoris sunt, sed ita deturpata vt mens potius quam plena & articulata vox audiatur.

Si perfodiens.] Exod. XXII.

Magistratibus.] municipalibus, vt Duumviris & alijs qui custodiarum potestatem habent, l. 52. §. si quis. D. de furt. l. 10. D. de custod. reo.

Vlp. lib. VIII.] Legendum arbitror, *lib.* XVIII. Sed in Titulo ipso collector fallus videtur. nam hæc ad legem Aquiliam omnino pertinent, non ad Edictum, Si quadrupes, quod est de damno sine iniuria dato ex XII. tabulis. Et vero magna pars horum hodieque extat in l. 3. & 5. D. ad leg. Aquil.

Quia non occidit.] Leg. *quia non iniuria occidit.* quod perspicuum est.

Omnimodo.] M. Tullius & post eum Seneca itemque Augustinus de eadem re, *quoquomodo.*

Et Pomponius dubitat num hæc lex nunc sit in vsu.] Hic locus indicat exceptiones illas in fure nocturno, Si parcere ei sine periculo suo non potuerit. &, Sed melius fecerit &c. esse ex iure ciuili, id est ex interpretatione prudentium, non ex lege XII. tabularum: sed nec ex Cornelia.

Quin lege Aquilia teneatur.] Videtur legendum, *non teneatur.*

Quod fit lege permittente, non poteſt videri iniuria factum. Quod ſequitur, *Si tamen cum poſſet adprehendere*, eſt ex iure ciuili, non ex legum verbis.

Contumeliam.] ὕβριν ex ſententia Labeonis, quam tamen Paulus non probauit.

Fures ad forum.] vet.ex.*ad furtum.* Emendationem noſtram probat & quod ex Paulo relatum eſt ſub Tit. de abigeis. *Ad forum* autem eſt ad examinationem ciuilem ſiue ad ius ordinarium, vt ex Marciano Tribonianus maluit adſcribere. Quod ſequitur de nocturnis extat in d.l.1.D.de furib.baln.

Dum pœna.] Paulus Oroſius lib.4.hiſt. *Furtum ne leges quidem niſi multa pecuniaria, vel ad ſummum exilij, circa quemlibet hominum vindicandum cenſuerunt.* Seruius tamen in illud Maronis ex lib. 8. *At furis Caci mens effera,* notat furis nomen pro ingenti ſcelere poſitum. *Capitale enim*, inquit, *apud maiores fuerat ante pœnam quadrupli.* Apud nos quoque furta ſunt quædam facile capitalia vt domeſtica, & repetita, quæ more a maioribus tradito ſuſpendio fere vindicari ſolent.

Contrectat.] dolo malo. Semper furtum contrectando fit. Sic lego in l.6. D. de furt. Sunt vero hæc ex lib.2. Sentent. Recept.

Comprehenſus.] Vel viſus ex ſententia quorundam, quam Seruius ad illud Virgilij ſequutus videtur Æcloga 3. *Non ego te vidi*, cum manifeſti magis arguatur illis verbis, *Et cum clamarem &c.* l.7.D.de furt.

Furtorum.] In l.14. §. qualis. D. de furt. puto ab Vlpiano ſcriptum, *Omnes furti actiones competere*, id eſt concepti, oblati, manifeſti, nec manifeſti, ope, conſilio. alioqui ſane idem vocabulum fruſtra repetatur.

Concepti inuenta eſt.] Fortaſſe melius, *res concepta.i.inuenta eſt.* vt & paulo ſuperius, *Concepti agere poteſt.*

AD TIT. VIII.

Si ſteterit.] Deuter. XIX.

Qui falſum.] Et hoc fortaſſe eſt ex lege Iulia de adulterijs,

cuius plura capita fuisse constat, vt & illud quod est in l. 18. D. de testibus.

Hi qui falsum vel aliqua.] Fortasse leg. *hi qui falsa vel obliqua*, id est, varia. Extat hæc sententia apud Paulum lib. 5. Sent. & in l. 16. D. de testib.

Vel vtriusque parti.] *vtrique parti*, Impudentia eius cuius ita anceps fides vacillat, vt diuersa duobus testimonia præbuerit, quin crimine falsi teneatur nec dubitandum est, l. 27. §. 1. D. ad leg. Corn. de fals.

Hi qui.] Extat Tit 25.

Vlp. lib. VIII.] De off. Procos. vt indicat l. 7. §. 1. D. ad l. Corn. de fal.

Statilio & Tauro.] Statilij Tauri plures consulatus in fastis reperiuntur, sed in notatione horum temporum quem potissimum sequar non habeo. si quis tamen coniecturæ locus est, sic lubentius reposuerim *Statilio Tauro & Scribonio Libone Conss.* Nam his Conss. S C. Libonianum circa legem Corneliam factum verisimile est.

Testamentaue inuicem dicenda.] In Pandectis *testimonia*, & in l. 1. D. eod. male, vt mihi quidem videtur, *inspicienda*. An testamentum pro testimonio? vt contra testimonium pro testamento apud Corn. Tacitum in vita Agricolæ, & in veteri Regularum fragmento cuius supra memini. & sane in vtroque nomine præter testationem nihil reuera agnoscimus. Verbi tantum productio variata est. non frustra tamen rerum caussa hæc distinguuntur, vt in l. 15. D. hoc tit. Ceterum nec frustra ait *dicenda aut consignanda*. Nam testimonium vel per tabulam datur, vel coram dicitur: hoc quidem olim in publicis religiose obseruatum, illud suo tempore potius in vsu fuisse testatur auctor libri de oratoribus qui Tacito passim tribuitur, quem ego libentius M. Fabij librum de causis corruptæ eloquentiæ inscriberem, nisi me annorum ratio aliquatenus remoraretur. Non est verò vtriusque testimonij eadem fides l. 3. §. Gabinio. D. de testib.

Obstruendas.] Fl. *ob instruendas* in l. 1. D. eo. & paulo post, *ad obligationem innocentium*, pro, *in accusationẽ*. sic enim & hic lubẽs

reponerem ex l. 2. D. de concussionibus nisi quis *in occisionem* malit dictum, vt in necem, id est in perniciem. Et infra *renunciandum remittendumue*, non *denudandum*. denunciat accusator reo vt eos testes producat, quibus suam ipse accusationem confirmare velle se dicit, vt ex Apuleij priore Apolog. constat. Ceterum qui improbe coeunt in alienam litem vt quicquid ex condemnatione in rem actoris redactum fuerit inter eos communicetur, lege Iulia de vi priuata tenentur ex S C. Volusiano l. 6. D. ad l. Iuliam de vi priuata.

Cotta & Messala.] Hoc diuersum est ab illis quæ iisdem Coss. facta referuntur in l. 12. §. si seruus. D. de accusat. l. 4. §. proficisci. D. de off. Procons. Fuerunt vero & alia S C. circa legem Corneliam. Et hoc fortasse ex S C. est, quod falsi nominis vel cognominis adseueratio pœna legis Corneliæ coercetur l. 13. D. ad leg. Corn. de fals. videlicet si id in fraudem alterius factũ sit, siue quo quid alienũ interciperetur aut possideretur, vt Paulus ait lib. 5. Sẽt. Alioqui libero nominis cognominisq; mutatio periculosa nõ est l. 1. C. de mutat. nom. nam seruo solus dominus pro arbitrio nomẽ imponit, & ad voluptatẽ quidẽ, vt in Orat. pro Rosc. Amerino notauit Vulcatius seu quis alius vetus interpres, cuius fragmenta quædam vispellionum aliquando manibus pretio extorsimus. Sic quæ more apud veteres recepto stupri licentiam apud Ædiles profitebantur nomina mutasse vel vnus Plauti locus ex Penulo arguit. *Hodie*, inquit *earũ mutarentur nomina, facerentq; indignum genere quæstum corpore.* Nam quod Iuuenalis Messalinam Lyciscæ titulum mentitam ait, ad fornicis titulos magis pertinet, de quibus est & illud Petronij. *Video quasdam inter titulos nudasque meretrices furtim conspatiantes.* Sic enim eum locum plane restituendum libri me veteres post Senecam docuerunt. Sic & C. Staienus Ligur impune se ipse adoptauit, & de Staieno, Ælium fecit, vt M. Tullius iocatur in Bruto: sed vsque adeo infeliciter vt pene vbiq; verum nomen amiserit. Nam in omnibus fere exemplaribus Stalenus scribitur vt & in Topicis & actionis secundæ in Verrem lib. II. qui est de iure dicundo, *Quem tu mihi Tubulum, quem Staienum*, vbi vulgo corrupte, *Quem*

tu mihi Bulbum, quem Stalenum, Itemque pro A. Cluentio, *Dico de C. Aelio Staieno*, & paulo poſt. *Qui tu*, inquit, *Paete, hoc enim ſibi Staienus cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat, ne ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuæ quam generis vti cognomine videretur.* Sed vereor ne etiam apud Saluſtium in poſteriore oratione ad C. Cæſarem de Rep. ordinanda hoc idem nomen hactenus amiſerit eo loco, *Reliqui de factione ſunt inertiſsimi nobiles, in quibus, ſicut inſtituo, præter nomen nihil eſt additamenti*, legendumque ſit potius, *in quibus ſicut in Staieno.* Quod ex his quæ poſuimus interpretationem accipit. Notus eſt Staieni paries, nota Æliorum virtus ab Ennio vſque laudata. Sed vetuit poſtea Claudius peregrinæ conditionis homines vſurpare nomina duntaxat gentilitia, vt Suetonius in Claudio ſcripſit.

AD TIT. IX.

Falſum.] Exod. xx.

Eadem lege.] Lege Iulia publicorum iudiciorum enumeratæ ſunt perſonæ, quibus teſtimonium in vitis denuntiari non poteſt, ſeu potius quæ a dicendo teſtimonio excuſantur interdum etiam volentes, l. 4. D. de teſtib. De eis qui omnino a teſtimonio arcentur, nihil videtur illa lege cautum. Sed multæ aliæ leges in ſua quæque quæſtione de ea re cauerunt, vt lex Iulia de vi, & repetundarum, & peculatus l. 5. & 13. D. eo. Et hic quidem eius quæ de vi fuit duo capita proponuntur, quorum prius ſic reſtituendum arbitror ex Calliſtrato in l. 3. §. lege. D. de teſtib. *Eadem lege q. teſt. omnino, quibus inter inuitis capite* LXXXVII. *& capite* LXXXVIII. *in hoc his verbis: Hominibus hac lege in reum teſtimonium dicere ne liceto, qui ab eo parenteue eius libertoue eius cuius eorum libertus libertaue erit, liberauerit, quiue impubes erit, quiue iudicio publico damnatus, quiue eorum in integrum reſtitutus non eſt, quiue in vinculis cuſtodiaque publica erit, quiue depugnandi cauſa auctoratus erit, quiue beſtias depugnare locauit, locauerit, præterquam qui iaculandi cauſa ad vrbem miſſus eſt, erit, palamue corpore quæſtum fecit, fecerit, quiue ob teſtimo-*

nium dicendum pecuniam accepisse iudicatus erit, neu quis eorum hac lege in reum testimonium dicat. Capite &c. Non frustra autem distinguit auctoratum ab eo qui bestias depugnare locauit, vt & Paulus lib. singulari de adulterijs. Nam hic quidem operas turpiter tantum locat, ille totum se seruiliter addicit: & recte Acron atq; Porphyrio auctoratos appellari scribunt eos qui se ludo vendunt. nam & sic de iisdem vt opinor Manilius lib. 4. Astron.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ,
Atque hostem sibi quisque parat.

Hoc formula ipsa indicat ex Petronij nostri Satyrico ante hac prodita, quam & hic meo iure adscribam. *In verba,* (inquit) *Eumolpi sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferroq; necari, & quicquid aliud Eumolpus iußisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animosque religiosißime addicimus.* Quo pertinet & illud Tibulli lib. 1. Eleg.

Vre meum potius flamma caput & pete ferro
Corpus, & in toto verbere terga seca.

Qui aculandi.] Sic vet. fortasse, *iaculandi*, repetita ex syllaba priore litera. Iaculatores dicebantur qui leonibus alijsue feris animalibus in Circo cōficiendis operam dabāt, quales à Boccho primum missos cum L. Sylla leones in Circo solutos dedisset, Seneca testatur in lib. de breuit. vitæ. Porro ex hoc loco satis apparet legib. Romanis non congruere quod Hermenop. lib. 1. Prochiri ex Praxi Magistri tradit, in testibus de vi nec vitæ qualitatem spectari.

Homines inuiti.] Ergo in l. 5. D. de testib. *In legibus*, id est, non tantum in lege publicorum iudiciorum, sed & in lege Iulia de vi &c.

Susceptos testes.] Sic vetus exempl. sed quis non admittat *suspectos*? Atque ita hodieque scriptum legitur apud Paulum lib. 5. Sentent. additurque *Suspectos gratiæ.* Ego vetustiorem scripturam non temere contemnendam censeo. Suscepti dicuntur & clientes quos paterfamilias in fidem suam ita suscipit, vt pars quodammodo familiæ censeantur, quam ob caussam libertis fere coniungi solent, vt in l. 3. D. de vsu & habit.

l.5. D. de his qui deiec. vel eff. l.7. D. de capt. & postl. l. 89. D. de furt. l.3. C. de nouationib. Eius veteris iuris reliquiæ adhuc extant in l. quidam cum filium. D. verbor. oblig. quod ex Seruio & Saluiano IAC. CVIACIVS Doctor meus iampridem in lucem protulit, vt & alia multa hactenus hominibus nostris incognita per quæ

Illum summa manet Romani gloria iuris.

Atque vtinam vir immensæ doctrinæ & cum priscis illis legum coryphæis sine inuidia comparandus, cuius me studiosorum numero censeri hoc vnum est quod in maxima laudis parte ponam, ad hæc quoque vel inuitatus descendere voluisset. nam illis quantum meriti nostra hæc perturbata exaratio detrahit, tantum ex eius doctissimis & absolutissimis commentariis accederet splendoris & gloriæ. Non abs re igitur susceptorum & clientum testimonium vt domesticum non admittitur, l.24. D. de testib. l. præsenti. §. penult. C. de iis qui ad Eccles. conf. in qua familiaris nomen & ad susceptum non male referetur. Sane Gellius ex M. Catonis oratione in Lentulum inter cætera & hoc refert, *Testimonium aduersus clientem nemo dicit*, libro 5. Noct. c.13. Susceptorum etiam nomine vtitur Iulius Seuerianus in præceptis Rhetoricis quorum fragmenta quædam post integriorem editionem Corn. Celsi titulo nuper prostituta sunt.

Si sint.] Malim vt apud Paulum, *In adfinem vel cognatum*. Est vero hoc ex lege Iulia publicorum iudiciorum, vt idem Paulus tradit in l.10. D. de gradib. & adfinib. in qua tamen agnatorum nomen & pro cognatis positum legimus.

Itemque liberti.] Et hoc habet optimum exemplar. nec fortasse absurde necessitudinis nomen etiam de libertis vsurpabitur, & de seruis, vt in l.2. C. Th. de testamen. Est enim vt sanguinis, sic & amicitiæ, & affinitatis, & officiorum necessitudo quædam. quamquam illud quod Callistratus ait, propter reuerentiam personarum quosdam non admitti ad testimonij fidem, omnibus magis conueniat.

AD

AD TIT. X.

Si aliquis.] Exod. XXII.

Vel commendato.] Commendare nihil aliud eſt quam deponere l. 186. D. de verb. ſign. Sed hic Modeſtinus differentias perſequitur inter commodatum & depoſitum. Itaque commodati nomen vbique reſtitui malim.

Conuentus eſt.] Repoſui *conuentus etiam culpam &c.*

In depoſiti vero cum ſola.] Vet. *cauſula.* poteſt vero & in depoſito depoſitarij vtilitas verti l. 5. §. 2. D. Commodati.

Et in fiduciæ iudicio.] Sane in fiducia pignoris quæ inſtar legis commiſſoriæ eſt, quin hoc verum ſit dubitari non poteſt. d. l. 5. §. 1. vel cum fundus ea lege alicui mancipatur, vt eum mancipanti remancipet, veluti ſi quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipio tradat, vt ei cum tempus ſuſpectum præterierit, reddat: quo etiam genere fiduciam contrahi Boëtius tradit. nam hoc certe contractu quamuis commendati ſiue depoſiti ſpeciem quandam gerat, fiduciarius tamen reuera ſit dominus. At cum fiducia ita contrahitur vt ſeruus ſuis nummis ematur atque manumittatur, nomen imaginarius ille emptor accommodat, præterea nihil illi adeſt abeſt ve. l. 4. ſ. ſiue autem. D. de manumiſſ. In mancipatione etiam liberti hominis quæri poteſt quæ vtilitas fiduciarij interueniat. nam ſeſtertius ille nũmus aſſiũ quatuor qui dicis gratia numerationis loco nõ in hac ſolum ſed in omni alia imaginaria venditione interueniebat, vix eſt vt reuera precium dici poſſit, l. 20. §. vlt. D. de adq. poſſ. l. 43. D. locat. l. 16. D. de reg. iur. tale ſaltem quod fiduciario diligentiam imponat. Nec inficior tamen etiam in huiuſmodi contractibus maiore aliquo precio fidem commodari poſſe; & hos nonnihil ad mandatum accedere.

In mandati vero iudicio dolus.] Deſunt hic nonnulla quæ forſitan non male ita ſupplebuntur, *In mandati vero iudicio dolus & culpa præſtatur: itemque in tutelæ iudicio, quamuis pupilli non etiam tutoris vtilitas in adminiſtratione verſetur.* In mandati iudicio quin

& culpa vel leuis præstetur, dubium non est. Idemque videtur in tutore statuendum, qui aliena quodammodo ex mandato gerit negotia, cuius tamen scio in quibusdam partibus leuem culpam excusari l. 7. §. competit. D. de administr. tut. De leuissima quæri non abs re potest. Sed hæc tractatio amplior est quam vt notis capi queat.

Et in actione rei vxoriæ.] Tribon. scripsit, *in pignore & in dote* l. 5. ʃ. 1. & l. 8. D. commodati.

Actione depositi.] Hinc sumpta est l. 23. D. depositi. in qua cur illa verba adiecta sint *seruo constituto*, non satis intelligo: nisi restituto aut legatur aut intelligatur.

Cibariarum.] Cibariorum l. 18. ʃ. 1. D. Commod. & apud eundem Modestinum in l. 4. D. de alim. leg. sic & alimonium legitur & alimonia.

Cui res commendata.] Melius. *Commodata.*

Respondit deposita.] Fortasse, melius *Res apud te deposita si subripiatur, dominus domui &c.* vt sit *domui* dictum quemadmodum alias in Pandectis *domi* secundo casu. sed hic superesse videtur. Idem vero obtinet & si depositarius culpam repromiserit, aut depositionis precium acceperit: quibus tamen casibus vi bonorum raptorum datur. l. 2. ʃ. si in re. D. vi bonor. rapt. Apud Quintilianum Declamat. 361. depositarius furem damnasse quadruplumque exegisse fingitur scholastica licentia: cuius est etiam illud, non potuisse dominum furti agere. quæ in foro nullus prudens dixerit.

Si modo soluendo fuerit. Actio.] Veteris libri scriptura hæc fuit, *Si modo soluenda actio fuerit.* Cæterum casus est quo commodatori furti actio datur, licet dominus ipse furti agere non possit in l. Si vxor D. de act. rer. amot. Pertinet vero hic locus ad l. vlt. C. de furtis.

VII. *& Quid.*] Forte, *Septimio & Quadrato.* Extat vere hoc idem rescriptum lib. 4. Cod. Iust. sub Titulo de deposito, Const. 10.

Si sacellum.] Extat apud Paulum lib. 2. Sent. & in l. 29. D. eod. tit.

Eam hancque in tibi commisero.] Legendum videtur, *Si pecu-*

niam deposuero, eamque in vsum tibi commisero.

Periculo tuo erit.] Etiam si non vtare l. 9. ſ. vlt. D. de reb.cred. aliud est si ita deposuero, vt si velis vtaris: tum enim & si periculo sit, l. 4. & l. 10. D. eod. ex vsu demum mutui actio nascitur vsuræque debentur l. 1. §. si pecuniæ. D. depositi.

Postquam perdideris.] Malim, *postque eam perdideris*, Paulo aliter Vlpianus in l. 1. §. si rem depositam. D. eo tit. Dolo semel admisso periculum rei ad depositarium pertinere.

Ex causa depositi lege XII. *tab.*] Credo hanc esse depositi actionem in duplum ex inficiatione & dolo malo, cuius & Iustinianus meminit in §. furti. Inst. de actionib. & Paulus lib. 1. Sent. Tit. de actionib. quę per inficiat. dupl. si modo pro *depẽsi*, legatur depositi. Nam sane in actione illa negotiorum gestorum ἀπὸ χαλῶ δαπανήματος, quę & recte depẽsi dici potest, non de rupta fide agitur, sed de indemnitate eius qui alienum negotiũ gerens aliquid expendit, vt Vlp. de depositario dixit in l. 5. D. hoc tit. cui iudicio non video cur plus tribuatur quam contrario mandati. At ex deposito certum est & ob dolum condictionem competere tanquam aduersus furem l. 13. D. eod. vt mirum non sit eum quoq; vt manifestum duplici pœna coerceri ob inficiationem quæ inter grauiora delicta non immerito à veteribus habita est.

Incursu.] Extat in l. 1. C. Depos. aucta à Triboniano quibusdam verbis.

Dominus horreorum.] Extat & hæc constitutio in l. 1. C. de locat.

AD TIT. XI.

Si quis inuolauerit.] Exod. XXII.

Totidemque boues.] Sic vet. sic & Ostrogothus scriptor Tit. 3. ex Pauli lib. v. Sent.

De stabulo.] Ergo & hic atrox abigeus est. Sed tamen lenius coercetur si a stabulo domitum pecus abegerit, quam si a silua vel grege. Sic enim legendum esse in l. 3. ſ. 1. D. de abig. Doctor noster ex Græcis interpretibus admonuit.

Aut a ferro.] Fortaſſe melius, *aut ferro conducta manu*, vel, quod Faber mauult, *aut cum ferro, aut conducta manu*: vt hæc etiam diſtinguantur.

Abigeatores.] Sic. vet. apud Paulum, *Abactores*, cuius etiam ſcriptam lectionem codex noſter confirmat.

Aut fuſtibus cæſus.] Illud hic annotare placet, Fuſtis pœnam interdum capitalem fuiſſe, vt in decimatione militum, ad quam videntur etiam pertinuiſſe Saluſtij verba quę apud Seruium duobus locis corrupte leguntur. Sic autem reſtituenda arbitror, *Sorte ductos fuſti necat*, quæ & ipſa Corn. Tacitus de eadem re vſurpauit lib.3. Annal.

In pœna.] vet. *imponat.*

De abigeis.] Referuntur & hæc ex eodem libro in l. 1. D. de abig. ſed ita vt Triboniani manum facile agnoſcas.

Alioqui nec.] Malim vt in Pand. *alioquin &c.*

Quod maximo.] Malim *quod maxime*, id eſt, vt plurimum.

Eſt autem differentia.] Eam differentiam hic vnus locus habet, vt & alia quædam noſtris interpretibus hactenus incognita. Sane ex Paulo didiceramus, ad gladium datos intra annum conſumendos eſſe. De ludo nihil dum tale, quod ſciam, audieramus. Eſt autem ludi nomen generalius & continet ferrum, gladium, arma, ceſtus, arenam, venationem, quę omnia inter mediocres pœnas vno ludi verbo Paulus complexus eſt lib. 2. Sent. Tit.17. Ergo qui ad ludum damnatur, non ſtatim ad gladium damnatus intelligitur, id eſt ad ferrum, ſiue ad ludi gladium, vt a Capitolino ſcriptum eſt in Macrino ad differentiam decollationis. At qui ad gladium datur, vix eſt vt ad alium ludum datus intelligatur, quam tamen interpretationem Vlpianus hic tentat. Eſt & de ludo locus non ſatis animaduerſus apud auctorem eius hiſtoriæ ex qua ſecundus Machabæorum liber factus eſt, dum narrat Iaſonem Oniæ fratrem ſummum Pontificatum ambientem apud Antiochum Epiphanem; petiiſſe ab eo pro ſummo beneficio, vt Ieroſolimitani deinceps ab ipſo Antiocheni dicerentur, liceretq; in ea vrbe gymnaſium conſtituere. Quod cum ille facile impetraſſet, magno ardore ſub ipſa arce

gymnasium καὶ ἐφηβίαν instituisse in quo optimos quosque adolescentes ὑποτάσσων id est, quodam auctoramento sibi subiiciens, ὑπὸ πέτασον ἦγεν: quod vetus interpres transtulit *in lupanaribus posui*, non vsquequaque fortasse recte. Nam & si Iudæis velatæ mulieres pro meretricibus habeantur, & apud Romanos flauus galerus in prostibulis notatus sit, petasus tamen cursorum est, & in ludo depugnantium, aut disco certantium, præsertim apud Gręcos ad quorum gymnasia locus ille magis pertinet. & recte Pollux πέτασον εἶναι ἐφήβων φόρημα, quo loco ἐφήβους appellat eos qui iuuenes dici videntur in l. 28. §. solent. D. de pœn. vt & in veteri epigraphe *Alectus inter iuuenes*, de pantomimo legitur. Plautus Pseudolo, *etiam opus est chlamyde & machæra & petaso.*

Damnatis continetur.] Lego *mandatis*, nam & de his rebus Præsidibus in prouincias, proficiscentibus præcepta dabantur l. 35. D. de pœn. & aliis multis lōcis.

Non vtique.] Non semper. nam & aliquando consumuntur. immo id interdum sententia ipsa comprehenditur l. 2. C. Th. ad leg. Fab. de plag.

Post inter palam.] Sic vet. lego *post interuallum.*

Pileari.] Tanquam liberati. est enim hoc liberationis siue præmij insigne: Tertullianus de spectacul. *Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, Idem gladiatori atroci petat rudem & pilleum, præmium conferat.* vnde & pillei manumissionum in Aurelij Victoris Breuiario. Galerus aut petasus non recte pilleus dicitur. Sed an hæc pillei impositio statum publicum reddit ad instar restitutionis cuiusdam in integrum? Sustineo. Rudis sane vacationem potius periculosi laboris quam libertatem donasse videtur Ouid. 2. Eleg. *Tutaque deposito poscitur ense rudis.* Fuit enim hoc signum honestæ missionis artis gladiatoriæ, quam gladiator stans ad crepidinem Circi sub Circulo amphiteatri, a populo petere & impetrare solebat vt Acro in Horatium significat.

Ex fermentis.] Sic vet. in Pand. rectius, *ex armentis.*

Berbicem adducunt.] *Veruecem abducunt*: Posteriores fere berbicem & pronunciarunt & scripserunt, vt apud Anianum &

Paulum Monachum, & in Longobardicis Francicisque legibus. vnde nobis remansit vocabulum.

Qui cum gladio.] Firmicus lib. 6. Mathes. *Faciet pecorum abactores insequentibus hominibus minaci semper gladio resistentes.*

AD TIT. XII.

Si exibit ignis.] Exod. XXII.

Qui casa. Lego, *Qui casam aut villam*, vt in l. 28. §. incendiarij D. de pœn.

Venti fuerint his.] Lego *furentis*, & paulo post *dati damni æstimatione sarciatur. æstimatione* autem id est, dupli compendio. Paul. libro 5. Sent. & hæc est actio quæ incensarum ædium dicitur in l. iurisgentium. §. si paciscar. D. de pact.

Perdum.] Sic vet. an *per odium*, id est ob inimicitias, vt Callistratus dixit aliquanto rectius quam Paulus, inimicitiarum gratia, quæ duo quo vinculo sociari possint, non satis video.

Incendiarij quidquid.] Malim, *qui quid. Facile* autem est vt plurimum.

De naufragiis.] Puto legendum, *Vlpianus lib.* VIII *de officio Procos. sub titulo de naufragiis & incendiariis lex quidem Cornelia.* Nam & de naufragiis eo libro Vlpian. tractasse indicat l. vlt. D. de incēd. ruin. & nauf. in qua huius quoque sententiæ pars extat. Sæpe vero inter exscribendum euenit, vt vel vnius vocis repetitio librarij oculos fallat: quod & accidisse arbitror in l. statu libri. §. Quintus. D. de statu lib. cuius sententiam lubens ita repleuerim, *An videatur sententia qua vicit, ad eam rem valere. Et ait* (nempe Q. Mutius) *ad eam rem valere. qua propter, &c.* Sic & in l. 27. D. de furt. *Si chirographa aureorum decem, decem tabulæ fuerint*: & in l. 58. §. acceptis D. ad leg. falcid. *Acceptis centum, centum hereditatem, &c.* sic legendum.

Sed variæ sunt.] deest, *species*, vel *circumstantiæ.*

Aut certe.] Hæc quoque ita supplenda videntur, *aut certe exilio vel deportatione adficiendi sunt qui hæc committunt.*

Vlpianus lib. ad edictum.] Lego. *lib.* XVIII. *ad edictum.* Extat pars quædam huius capitis in l. 27. D. ad leg. Aquil. quæ si quis

conferre non grauabitur, & nos molestia notarum liberabit, & melius intelliget quid sibi iuris nostri compositores permiserint. Nobis hic vetustissimi exemplaris scripturam bona fide representasse satis fuit.

Id enim.] Lego. *Ait enim, si stip. inc. ig. fugit, Aquilia lege eum non teneri sed in factum agendum, quia principaliter hic non exussit: sed dum aliud agit, sic ignis processit. cuius sententia & rescripto Diui Seueri comprobata est hæc in verba.* Quæ sequuntur quomodo restituenda sint, non satis video. Et tamen hic sensus plenus est, *Si ignis pabuli gratia factus &c. iudicium cum ea adire potes. Cum ea.* i. cum Vectoria.

Si litis æstimatio permittitur.] Id est, si Vectoria iudicium suscipere & litis æstimationem sufferre malit, quam noxæ dedere aut in defensos seruos relinquere. Nam alioqui recusare atque euitare iudicium potest.

Si forte.] Confer. §. si fornicarius. l. 27. D. ad leg. Aqu.

Tamen eum.] Puto legendum *tam in eum qui ad fornacem obdormiuit, quam in eum qui ignem subiecit, vel neglegenter curauit.*

Siue homo periit siue debilitatus est.] Hæc verba pertinent ad superius exemplum de medico, & reponenda videntur continuo post illa, *Aquilia cessat.* Omissa vero sunt a compositorib. pandectarum fortasse quod Caij sententiam magis probarent quæ extat in l. 8. D. eod. tit.

Relegatum est.] *Relatum est.*

Et ait.] Viuianus scilicet. quod ex præcedentibus consequitur. In Pandectis tamen scriptum est, Proculus: & rectius quidem vt sequentia indicant.

Me inter actionem.] An inter actionem accipiemus incerti actionem siue in factum subsidiariam? an potius ita legemus? *Me interim actionem, id est in factum impetrare.* Quod mihi quidem magis probatur. *Interim* vero, id est, ante damnum datum. Et proprie impetrare de huiusmodi actionibus vsurpauit, quæ & permitti dicuntur. l. 45 D. solut. matr. & indulgeri tribuique l. 28. D. de procurat. & accommodari l. 22. D. de aqua & aqu. pl. arc. l. vlt. D. de transact. §. item si quis postulante. Inst. de actionib. & constitui l. 16. D. ad exhibend. & decerni l. 2.

D.de administrat.rer.ad ciuitat.pert.l.20. D. de tutel. & rat. distrah.l.22.D.de constit.pec.l.2.§.interdum. D. de vulg. & pup.subst.l.penult.D.de adquir.hered.l.15.§.eleganter.D.de damn.inf.l.pen. D.de fideic.libert.l.46.§.1. D. de administr. tut.nempe quia ex æquitate causa cognita dant.l.15.§.Prætor ait,si quis.D.de iniur.l.18.§.vlt.D. de damn. infect.l.5.D. de præt.stipul.Actio directa ordinaria est l.5.C.si res al. pig. data sit. & vtili Prætoriæque opponitur.l.26.§.2.D. de noxal. act.

Ad exemplum Aquiliæ.] Sic in l.53. D. ad leg. Aqu. in factum actio ad exemplum legis Aquiliæ, & vtilis actio damni iniuria quasi ex lege Aquilia in l.51. D. de furt. Vtilis actio ad exemplum directæ instituitur.l.1.C. de precario. vnde & vtilis in rem quasi in rem actio dicitur in l.1.§.proponitur. D.de superficieb.

Sed & si quis serui inquilini.] Fortasse melius, *sed & si serui inquilini insulam exusserint.*

Et fructui missi sint.] Lego, *mihi sint.*

Hd.] Sic in vet.ex.

AD TIT. XIII.

Non transmouebis.] Deutero.xix. Extat & de Termino prisca lex Numæ Pompilij apud Verrium Flaccum, qua qui terminum exarasset,ipsius & boues sacri erant. Nihil fere religiosius Numa sanxit. Nam & templum vt Deo posuit, & ferias instituit,noluitque animatum quicquam pacis Præsidi sacrificari, quod Plutarchus in Romanicis eleganter sic expressit, τὸν τέρμινον ὡς ἐπίσκοπον καὶ φύλακα φιλίας καὶ εἰρήνης, ὥστε δεῖν αἵματος καὶ φόνου καθαρὸν καὶ ἀμίαντον διαφυλάττειν. Sed hoc iam suo tempore neglectum idem alio loco testatur. vnde & Horatius in Epest. *Et agna festis cæsa Terminalibus.* Quin & Siculus Flaccus in terminis defigendis,hostiæ immaculatæ cæsæ sanguinem instillari solitum scribit,& Prudentius extis seu gallinæ pulmone termino fieri significat.Illud quoque Numæ videtur, vt Termino non nisi sub diuo sacrificaretur, quod nefas

fas putaret Terminum intra tectum consistere. Itaque quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, vt Sex. Pompeius tradit. Quod etiam cum Capitolium Tarquinius ædificaret religiose obseruatum Seruius testis est, ob idque in Capitolio pronam (sic legendum apud Seruium non *primam*) partem tecti patuisse quæ lapidem ipsum Terminum spectaret. Vnde non abs re quæri potest, Plinij verba hæc ex lib. 18. cap. 2. *Tertiam ex ijs nominare sub tecto religio est*, an ad Terminum referenda sint, an ad Dionysium. οὐδὲ γὰρ τὸν Διόνυσον ὀμνύουσιν ὑπὸ τέγῳ, vt Plutarchus ait. Ego quidem ad Terminum malim, & nominandi vocabulum ad sacrificium quam ad iusiurandum referre. Et fortasse ille locus mendo non caret, atque ita potius alicui legendus videatur, *Terminum ex* XII. *nominare sub tecto religio est*. Nam de Termino multa duodecim tabulis cauta quis nescit? in quas etiam si quis veterem illam Numæ sanctionem translatam velit, non contradicam. Sic enim & vbi XII. tabularum auctoritas contemni cæpit, eadem illa quæ legibus cauebantur, in alia latorum nomina transierunt, vt Macrobius ait lib. 3. Satur. cap. 9. Sane & de sacrificijs & religionibus non pauca ijsdem tabulis comprehensa M. Tullius satis significat in libris de legibus, & Seruius tradit multa de sacris ab Faliscis petita post x. tabulas magna ex parte ab Atheniensibus mutuatas, quæ reliquis duabus Decemuiri complexi sunt. Adscribam vero & ipsa Liuij verba ex quibus etiam post XII. Regias leges retentas intelligamus. Sic igitur cum de Tribb. militum Consulari potestate ageret lib. 6. *In primis fœdera ac leges (erant autem eæ duodecim tabulæ & quædam Regiæ leges) conquiri quæ comparerent, iusserunt. Alia ex ijs edita in vulgus: quæ autem ad sacra pertinebant, à Pontificib. maximis vt religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa.* Itaque mirum videri non debet quod apud Tacitum legimus censuisse Claudium ad incestum procurandum sacra ex legibus Tullij regis piaculaque apud lucum Dianæ per Pontifices danda: Et in libris nostris de muliere quæ prægnans mortua sit humanda legem Regiam recitari audimus. At hæc paulo audacior coniectura est, & iam ipsi Notarum terminos exarauimus.

In eum qui per vim.] Sic apud Paulum ſcriptum eſt libro 1. Sent. vbi in vet. exempl. annotatum reperi idem ſtatui in Codicis Theodoſiani lib. 2. ſub hera. 26. quæ conſtitutio hodie deſideratur.

Diuus Hadrianus.] Refertur & in l. 2. D. eod. tit.

Viſus cauſa.] puto legendum *vſus cauſa.* quod à compoſitoribus Pandectarum omiſſum eſt.

AD TIT. XIIII.

Quicunque plagiauerit.] Exod. XXI. Deuteron. XXIIII.

Ciuem Romanum ingenuum.] vet. exemp. *Ciuem id manum ingenuus liber.*

Impp. relegatur.] Sic vetus. quo ſignificatur, in perpetuum relegari.

Super ea re.] vt codex habuit *ſuperare.*

Intra milliarium centeſimum.] Fuit hic terminus vrbis, aut potius Præfecturæ vrbanæ & ſolitarum regionum l. 1. §. initio. D. de off. Præf. vrb. vbi quod in Pand. Fl. ſcriptum eſt *Egreſſum eſt* P. V. *notionem,* eadem phraſi dictum videtur qua in l. 12. §. facti. D. de capt. & poſtl. *Sequendum eſt Iuliani ſententiam:* & in l. 19. D. de nouat. *denegandum eſt exceptionem* quibus etiam non diſſimiles dicendi rationes notari poſſunt in l. 1. §. vlt. D. de contr. tut. act. l. 12. D. Si quis omiſſ. quo tex. l. 19. §. 1. D. de negat geſt. l. 45. ſub fi. D. Solut. matr. vnde & in l. 4. §. non omnis. D. de re milit. ſic lubentius legerim, *Nec tamen facile indulgendum eſt extra ordinem iudicationem his qui negotium ante habuerunt: ſed ſi in tranſactionem res recidit, indulgendum eſt.* Extraordinem autem iudicatio indulgetur vt militi.

Cognoſcat.] Extraordinem, vt de expilata hereditate dicitur in l. 3. D. de exp. hered.

Sit in via commiſſa. fortaſſe melius, *Sit iniuria commiſſa:* quanquam & excuſa lectio defendi poteſt.

Quam præſidis partib.] l. 4. C. ad leg. Fab. de plag. l. 2. C. de pœn. Quædam prouinciæ procuratoribus cohibebantur vt Tacitus loquitur: ſed aliæ vt procuratoribus tantum qui ne

deportandi quidem ius habuerunt : aliæ vt Præsidis vicem tuentibus.

Plane post sententiam.] videlicet cum iam de bonis quæritur, non de crimine l. 1. & 2. C. vbi. cau. fis.

Huius certe.] Hic locus proculdubio corruptus est, & si quid coniectura valeo, deest nomen aut vrbis aut regionis Armeniæ. Hoc vt suspicer, facit *Certæ* reliquum nomen quo Parthis ciuitatem significari Hermolaus Grammaticus ex Stephano auctor est.

Qui ciuem Ro. eundemque qui.] Malim, *eumue qui in Italia liberatus sit*: quod etiam sic interpretari audeo. Italiæ multa olim fuere priuilegia cum in censitionibus, iure nexus, vsucapione, exceptione annali, tum in iure capiendi, & alijs huiuscemodi, quæ pro summo beneficio prouincialibus quibusdam colonijs postea concessa sunt, vt eodem iure essent quo & ipsa Italia: quam ob rem iuris Italici dictæ sunt, quod ius est liberę ciuitatis, siue liberæ conditionis, cuius signum apud eas fuit Marsyæ simulachrum, vt Seruius in Virgilium notat. Huius generis priuilegiorum Italiæ illud etiam fuisse videtur, vt quem Latinus in Italia manumitteret, quamuis Romanum ciuem non faceret, tamen quod ad legem Fabiam, eodem iure esset quo ciuis Romanus. ait autem.

Liberatus sit.] Proprie. Nam Latinus vt dixi, qui manumittit, ciuem Romanum facere non potest. itaque hæc non iusta manumissio est, sed liberatio potius à seruitute. Denique non est hic reuera actus legitimus, & iterari potest. Sic enim legimus apud Vlpianum iteratione fieri ciuem Romanum qui post Latinitatem quam minor annis xxx. acceperat, iterum rite manumissus est ab eo cuius ex iure Quiritium seruus fuit, cuius rei & Iustinianus meminit Nouell. 78. & in illo Regularum fragmento, cuius iam superius meminimus, scriptum est minorem xx. annorum manumittere nec vindicta posset, nec testamento. itaque nec Latinum facere posse. tantum enim apud Consilium posse manumittere seruum causa probata. hunc autem qui manumittitur quotcunque sit annorum, Latinum fieri, & solum ad hoc ei procedere liber-

tatem vt iterum manumitti, & ciuis Ro. fieri possit.

Vendiderit.] l. 15. C. hoc tit. Sed hoc Apuleius legi Corneliæ tribuit lib. 8. de asin. aur. *Prudens* inquit, *crimen Corneliæ legis incurram, si ciuem Rom. pro seruo vendidero.* Et vero falsi ab emptore redargui posse videtur, vt & is quis duobus eandem rem vendiderit, l. 12. D. ad leg. Corn. de fal.

Sestertij L.] *sestertium.* hæc est illa pœna pecuniaria legis Fabiæ quæ in desuetudinem abiisse dicitur in l. vlt. D. eod. tit. cuius tamen vestigia quædam reliqua sunt in l. 12. D. de manumiss. & l. 12. capt. & postl. quibus etiam aliud quoddam §. sed si in captiuo. D. de huius legis caput continetur: itemque aliud in l. 1. §. 1. D. de fugit.

Populus.] Leg. *populo*, hodie fisco l. 6. C. hoc tit. cuius rescripti pœna ex lege Fabia, prohibitio vero ipsa ex S C. est l. quod sæpe. §. si quis amico. D. de contrah. empt. l. arbor. §. Iudex. D. comm. diuid.

Sciendum est tamen.] Sunt hæc collectoris, qui Nouellarum constitutionum nomine videtur innuere Constantini legem qua ob plagium liberi hominis, seruus aut libertinus statim, id est primo quoque munere bestijs obiicitur: liber sub hac forma in ludum datur vt antequam aliquid faciat quo se defendere possit, gladio consumatur l. 1. C. Th. ad leg. Fab. de plag. sed extat & antiquior paulo Diocletiani constitutio qua in vrbe hoc idem crimen capite vindicatum est l. 7. C. eod. Quo pertinet etiam Nouella Leonis 66.

AD TIT. XV.

Non inueniatur.] Deuter. XVIII.

Vlpianus lib. VII. *de off. Procos.*] Hoc libro Domitius de varijs criminibus tractauit, atque inter cætera de iis quæ ad religionem pertinent: vt mirum non sit quod eo etiam rescripta principum nefaria collegerat, vt doceret quibus pœnis affici oporteret eos qui se Dei cultores profiterentur. Quod eum totis septem libris de officio Proc. fecisse ex corrupto Cæij Lactentij loco hactenus male creditum est.

Interdictos est.] Lego, *interdicta est.*

Vetus hæc.] Seruius 4. Aeneid. *Cum multa sacra Romani susciperent, semper magica damnarunt. Probrosa enim ars habita est ideo excusat cum ait. Testor ego magicas inuitam accingier artes.* Extant vero & varia de Mathematicis Senatusconsulta apud Tacitum libro 1. & 12. Annal. & primo secundoque Historiæ Augustæ, cæterosque eius ætatis scriptores, quæ hic colligere neque otij neque instituti est nostri, quibus potius esset quæ sequuntur in integrum restituere, si quam facile est peccare, tam facile esset peccatum corrigere.

Similem incertum.] Fortasse, *similem artem.*

Et professio.] Legendum videtur *an exercitio & professio. Et quidem* &c. atque ita Oiselo nostro videtur, qui & paulo post ita legit, *Nec dissimulandum &c.*

Et publice reprehenderent.] An potius, *responderent*? Nam & horum vt iuris conditorum proprie responsa dicuntur.

Qui visi erant.] Fortassis melius, *qui ausi erant vel consulere vel exercere, quam quod &c.* Quo pertinet aureum illud Taciti ex lib. 1. Histor. *Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.* Est vero hoc vulgi vocabulum. Gellius lib. 1. *Vulgus*, inquit *quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos vocat.* Et Ammianus lib. 29. *Mathematicis, vt memorat vulgus.* quo etiam libro plura ille de Mathematicis.

Ad locum.] Sic olim notare solebant particulas quas ex constitutione aliqua aut recitabant, aut exscribebant, adiectis etiam interdum primis constitutionis verbis: cuius moris plures sunt in Theodosiano codice reliquiæ, quibus etiam accidit vt ea verba nescio quo modo in textum ipsum irreperent, & excerpti partem occuparent, vt in l. 3. de postulan. & Nouella Maioriani de Episcopali iudicio.

Motu Cassiano.] Est & huius Cassiani furoris tumultusque mentio in eo Pauli fragmento quod extat in Codice Iust. sub titulo ad leg. Iul. maiest. & apud Tertyllianum in libro de fuga in persequutione, & in Apologetico. historia ipsa à Capitolino & Gallicano pluribus narratur.

In Insula Syrum.] Lego, *in insulam Syrum.* Est & eius insulæ mentio apud Strabonem: & Seruius ad illud Virgil.3. Aeneid. *Mycone celsa Gyaroq; relictus quida*, inquit *per historiam tactū putant. Nam inter Myconem & Gyarum Syrum vnum de Cycladibus esse dicunt, vnde fuit Pherecides philosophus.* Sic enim in optimo exemplari reponendum arbitror: nam totus ille locus in editis hactenus exemplaribus deest.

In communionem.] Fortasse melius, *communiorem.*

Inanißima] An potius, *Inmanissima*?

Ornare.] Malim, *ordinare.*

Maximi enim criminis.] Seruius ad illud Virg. ex lib. VIII. *Veterum ne ignara Deorum*, *Cautum*, inquit, *fuit & apud Athenienses & apud Romanos, ne quis nouas introduceret religiones. nam ideo & Socrates damnatus est, & Chaldæi & Iudæi sunt vrbe depulsi.*

Debere.] Puto legendum, *neque reprehendi à noua vetus religio debet. Maximi enim criminis est retractare quæ semel ab antiquis tractata & definita suum statum & cursum tenent ac possident.*

De terroribus.] Sic vetus exemplar, nisi quis agnoscat, *deterioribus*: quo verbo, ne quid dissimulem, a principibus Christiano nomini infensissimis, sacrosanctam religionem perstringi credibile est. in eoque etiam miror huius collectoris simplicitatem dicam, an potius oscitantiam, qui cum hoc maxime ageret vt longe ante diuinis legibus cautun ostenderet, quod Romanis postea comprehensum est. non animaduertit quæ contra Manichæos dicuntur, etiam ad Christiani nominis contumeliam pertinere. Sed ea fuit apud maiores nostros conscientiæ fiducia, is candor, vt summa fide omnia referrent & atrocissima hostium maledicta facile contemnerent. Sic in Theodosij Codice constitutiones quasdam legimus, sanciuntur Synodi quæ ab vniuersa ecclesia pro hæreticis damnatæ reiectæque sunt. Sic & Iuliano Diui nomen vt optimo principi tribui audimus. Quæ si quis tollenda cēseat, tollat & ea quæ in eo qui Iustiniani nomen præfert in monazontas ex Valentis furoribus reliqua sunt. Tollat & Cyrilli libros quibus Iuliani in Christianos dicteria inseruit. Tollat denique Taciti, Trogi, Suetonij, Galeni, Luciani, Rutilij, Eunapij, at-

que adeo Iuliani ipſius ſcripta , quibus ſacroſanctam religionem conuitijs atque opprobriis laceſſitam quis non videat? Sed eſt omnium fortiſſima veritas.

Nuperrime.] Sane & Euſebius eius ſectæ originem ad horum principum initia retulit, quanquam ex Epiphanio ſatis conſtat ſub Aureliano & Probo Impp. cæpiſſe in Perſide, vnde Manes, tandem & ipſe a Perſarum rege ſupplicio affectus, diſſcipulos habuit plures, qui inſaniæ nomen vitantes, ſe non Manicheos, ſed Mannichæos appellarunt, & auctorem ſuum Mannem, tanquam manna fundentem. Ne quis autem putet Manichæos Chriſti nomen ita profeſſos vt a gentilium ſacris abſtinerent, vt cæteri fere qui a noſtris heretici iudicati ſunt, diſcat ex Philaſtrij indice eos diis etiam deabuſque immolaſſe.

Detrimenta inſerere] Malim , *inferre.*

Vſque ad eos.] Melius *vſque adeo,* & paulo poſt, *ad hanc inauditam & turpem, & per omnia infamen ſectam.*

Ipſos quoque Forenſibus vel Proconneſibus.] Metalla multa numero fuerunt vt Vlp. ait in l.8. §. eſt pœna. D. de pœn. Proconenſium mentio eſt apud Iuſtinianum Nouell.22. De Forenſibus nihildum legiſſe memini, & fortaſſe hic locus ſic potius legendus eſt, *Elafonenſibus vel Proconnenſibus metallis,* ſi quidem & ille apud Plinium integer. manſit ſub finem lib. v. hiſtor. in quo ita legitur, *Inſulæ in Prompontide ante Cyzicum Elafoneſus, vnde Cyzicenum marmor, eadem Neuris & Proconneſus dicta.* Sane τοῖς φεννησίοις καὶ προικοννησίοις παρεδίδοντο μετάλλοις apud Theodoret. ſcriptum reperio. Apud Athanaſium aliter. εἰς μέταλλον (inquit) ἀποςαλῶαι, καὶ μέταλλον οὐκ ἁπλῶς, ἀλλ᾽ εἰς τὸ τῆς φαινῶ ἔνθα καὶ φονοὺς καταδικαζόμενος ὀλίγας ἡμέρας μόγις δύναται ζησάι. At in Epiphanio ἐν τοῖς φοινησίοις μετάλλοις legitur.

Vt igitur.] hic locus ſic reſtitui poteſt , *vt igitur ſtirpitus amputari radix hæc nequitiæ de ſeculo noſtro beatiſſimo poſſit , deuotio tua. i. ac. ſt. tr. noſt. obſecundare feſtinet.*

AD TIT. XVI.

Scriptura.]Hoc eſt illud celebre iudicium quod a Moyſe refertur lib.IIII.cap.XXVII.

Gaius lib. III. *Inſtit.*] Sic vet. ex. Et Gaium quidem libros quatuor Inſtitutionum ſcripſiſſe Digeſtorum index præfert. Sed hæc eſſe potius ex libro ſecundo facile adducor vt credam. Cæterum ex ijs fragmentis ſatis iam liquebit qualem nobis Gaium Anianus ſuppoſuerit. Meliore aliquanto fide Tribonianus magnam horum partem tranſtulit in Inſtitutiones ſuas ſub Tit.1.lib.3. ex quo & ita ſupplere atque emendare multis locis facile eſt. nos ea tantum attingemus quæ compoſitores vltro omiſerunt vel quod poſterioribus conſtitutionibus immutata, vel quod penitus in vſu eſſe deſijſſent.

Pronepos proneptiſue.] cæterique ex his deſcendentes. Hos enim omnes ſuorum appellatione lex XII.tab.comprehendit, vt recte Fl.ſcriptum eſt in l.220.D.de verb.ſig. Suorum igitur nomen eſt ex XII ſiue ex iure ciuili l.7. D.de bon. damnat. Sui ſunt legitimi l.ſcripto.D.Vnde lib.

Vxor quoque.] Huius iuris veſtigium eſt in l.195.§.1.D.de verb.ſign.Seruius in lib.1. Georg. *Tribus* inquit, *modis apud veteres nuptiæ fiebant, vſu ſi verbi gratia mulier anno vno cum viro, licet ſine legibus, fuiſſet: Farre, cum per Pontificem Max. & Dialem Flaminem, per fruges & molam ſalſam coniungebantur, vnde conferreatio appellatur ex quibus patrimi & matrimi naſcebantur: Coemptione vero atque in manu conuentione cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, vt ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hereditatis iuſtum alteri faceret.* Hæc Seruius, non ille adulterinus & ſuppoſititius ieiunarum animarum ineptiis & commentis hactenus deformatus: ſed Seruius Putus purus, ex cuius fragmentis Danielis noſtri beneficio interim hæc exſcripſimus ea ſpe fore vt vir & doctrinæ & diligentiæ multæ, breui cum ex ſuis illis tum ex noſtris exemplaribus Seruium nobis magna ſui parte ſuperſtitem reſtituat. Porro ex hoc Seruii loco ſane quam eleganti illud mihi primum videor didiciſſe quod Dionyſius ſcribit de

nuptiarum quæ κατὰ νόμους ἱερούς contractæ ſunt, ad confarreationem potius referenda eſſe quamquam is omnino ritus Romuli temporibus nondum in vſu fuiſſe videatur, ſi verum eſt quod Plinius ſcribit a Numa primum in ſacrificiis far molamque ſalſam adhibita. Sed & illud, apud Tacitum lib. 4. Annal. & Hiſtor. 4. confarreatis parentibus genitos, patrimos & matrimos ſignificare, quo nomine hactenus cenſiti ſunt omnes quibus pater materque ſuperſtites eſſent. nec id quidem ſine auctoribus. Nam & hoc idem apud Sex. Pompeij breuiatorem in Flaminio legimus, & quem Dionyſius Halicarn. lib. 2. & Plutarchus in Numa ἀμφιθαλῆ παῖδα nominant, Heſychius exponit τὸν ἔτ' ἀμφοτέροις τοῖς γονεῦσι θάλλοντα, μηδενὸς ὠρφανισμένον. immo & ex Sibyllinis verſibus hi a Politiano referuntur,

χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς ἀλλὰ γονήων
Πάντων ζωόντων οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.

quos ille ſe de Zoſimi hiſtoria ſumpſiſſe ait. Sed adſcribam ad eam rem pertinentia Zoſimi ipſius Græca verba, quæ mihi ex doctiſs. diſertiſſimique viri epiſtola Cl. Puteanus communicauit, cuius ego eruditioni atque amicitiæ & hoc lubenter acceptum refero. nam Onuphrius quidem Panuinius Latine tantum antea retulerat. Sic igitur Zoſimus cum de ludis ſecularibus diſſereret, ἡμέρα δὲ τρίτη ἐν τῷ κατὰ τὸ παλάτιον Ἀπόλλωνος ἱερῷ τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς· (Horatius clariſſ. patribus ortos, Tacitus patricios fuiſſe exponit) μετὰ παρθένων τοσούτων οἱ πάντες ἀμφιθαλεῖς, ὅπερ ἐστὶν ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας, ὕμνους ᾄδουσι τῇ τε ἑλλήνων καὶ τῇ ῥωμαίων φωνῇ καὶ παιᾶνας, δι' ὧν αἱ ὑπὸ ῥωμαίους σώζονται πόλεις· Quæ noſter Puteanus ſic conciliat vt omnes patrimos matrimoſque, proprie dictos putet qui parentes adhuc viuos haberent, eoſque præterea confarreatos: viuos, boni omnis cauſa: confarreatos, propter auctoritatem ſacrorum. Sane quidem non alios vetuſto more patrimos matrimoſque legi ſolitos veriſimile eſt. Sed poſt omiſſam confarreandi adſuetudinem (quod Tacitus

iam ante Tiberij tempora accidisse significat) recte eius ætatis posteriorisque scriptores & ex vsu & proprietate ipsa verborum quæ confarreationis nihil habent, eos patrimos matrimosque interpretati sunt qui modo patrem matremque adhuc viuos haberent. Nam & sic olim pater patrimus dicebatur qui cum iam ipse pater esset, haberet etiam tum patrem. vnde & pater patratus Plutarcho in Probl. Verum quid prohibet & alios Seruij locos adijcere necdum, quod sciam, proditos, & totam coemendi confarreandique rationem quæ hactenus non satis cognita fuit, exponentes? Sic igitur in illud lib. 4. Æneid. *Liceat Phrygio seruire marito. Sane hic,* inquit, *coemptionis speciem tangit. Coemptio enim est vbi libra atque æs adhibetur & mulier atque vir inter se quasi emptionem faciunt, quod ante iam in* I. *Georg. Teque sibi generum Tethys emat: quoniam coemptione facta, mulier in potestatem viri cedit, atque ita sustinet conditionem liberæ seruitutis* (sic in opt. ex. legendum arbitror) *ait enim, Liceat Phrygio seruire marito, & in Georgic. Tibi seruiat vltima Thyle. Quoque omnis iste mos coemptionis & citra nominis nuncupationem dotis datæ taxatione expediretur, quæ res in manum conuentio dicitur, subiunxit, Dotalesq; tuæ Tyrios permittere dextræ. Quid est enim aliud dextræ quam in manum conuenire? quæ conuentio eo ritu perficitur vt aqua & igni adhibitis duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur: quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam iure Pontificio in matrimonium necesse est conuenire.* Et paulo post, *Mos apud veteres fuit Flamini ac Flaminiæ vt per farreationem in nuptias conuenirent, sellas duas iugatas ouili pelle super iniecta poni eius ouis quæ hostia fuisset, & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione flamen ac flaminica residerent. ait igitur, locaui. locata enim vxor dicitur quod simul cum eo sedeat dum confarreatur. Confarreationes autem tonitru dirimit.* Ad hanc autem coniunctionem quæ frugibus & mola salsa fieret, etiam diffarreationem proprie pertinuisse existimo, cuius apud Sex. Pompeium mentio est: vt non nisi contrario sacrificio vinculum illud confarreationis dissolueretur, quo nihil religiosius in sacris fuisse Plinius scribit, cum cætera matrimonia ex XII. tabulis facile dissoluerentur muliere domo exacta & res suas habere iussa clauibusque ademptis: demum

etiam confarreatione iam abolita, per libertum septem ciuibus Rom. puberibus præsentibus ex lege Iulia. Sed quod sequitur apud Seruium eo loco quem initio recitauimus, non sic accipiendum est, quasi in manum conuentio coemptione sola fiat, quod Boëtio visum est. nam & farre conuenitur in manum vt Vlpianus scripsit Tit. 9. & Seruius idem postea significat. Ergo tam confarreatione quam coemptione maritus in patris locum, vxor non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti & in sui heredis locum venit, estque in eius manu mancipioque, aut eius in cuius maritus manu mancipioque est, & Materfamilias proprie appellatur, vt post M. Tullium A. Gellius scripsit, & ex illo transtulit Seruius in lib. XI. Æn. Sed hic illud quæri non abs re potest, An ea quæ anno vno continuo absque vsurpatione apud virum fuit, post annum in eius manu esse incipiat & hæres ei sua fieri. Quod & Fabro nostro visum est, & mihi probatur. Nam quo vsucapio, quæ etiam rerum nec mancipi esse dicitur, nisi vt vxor viri fiat iure Quiritium, & in eius potestatem redigatur? Et sane M. Tullius hoc etiam modo mulierem in manum conuenire significat. sic enim in eius oratione pro L. Flacco constanti omnium exemplarium fide scriptum legimus. *In manum*, inquit, *conuenerat. Nunc audio. sed quæro, vtrum vsu an coemptione*, quamquam scio non deesse qui in matrimonium malint, sed quod sequitur, *Vsu non potuit: nihil enim de tutela legitima potuit sine omnium tutorum auctoritate deminui*, indicat hoc saltem vsu mulierem tutela liberatam, quod sine minima capitis deminutione fieri non potuit, id est, in manum conuentione vt Vlpianus explicat libro singulari Regularum Tit. de tutelis, & Boethius ipse in Top. sequitur, qui hæc alioqui non satis iuridice distinguit. Dicet aliquis. Quænam igitur erit illa forma vxoris quæ matrona proprie dicitur & tantummodo vxor habetur? Nempe hæc eadem quæ vel sine legibus cum viro est antequam vsucapta sit, siue intra annum, seu post annum, si trinoctium abfuerit vsurpandi causa, vt ex Q. Mutio Gellius tradit. Atqui hæc concubina potius videatur quam vxor. Immo vero in eius mulieris consuetudine cum qua

connubium eſſe poteſt, non concubinatum, ſed nuptias intelligimus l. 24. D. de ri. nupt. Et hic igitur in dubio nuptiæ præſumuntur, & vxor illa interea eſt: ſed non eſt in mancipio viri antequam vſucapta ſit. Hæc nos poſt tot ſcriptores de ritu & iure nuptiarum non adeo trita, qui aut non ſatis idoneo loco, aut prolixius tractaſſe arguet, ei ego tam ingratæ reprehenſionis occaſionem ſic inuidebo, vt tamen æquiorem mentem optaturus ſim.

Is ſua heres eſt.] lego, *ei ſua h.e.*

Quæ in filij manu eſt.] Ergo & qui in aliena poteſtate eſt, vxorem in manu habere recte dicitur, immo & hęc materfamilias a noſtris auctoribus appellatur l. 44. D. de adopt. licet eius vir paterfamilias non ſit: quod Verrij definitioni non ſatis congruit. Alias autem materfam. dici ſolet quæ nupta in patris vel aui poteſtate non eſt l. 30. & 34. D. Solut. matr. l. 5. D. de bon. damnat.

Quorum nomina ex lege.] Puto legendum, *quorum nomine ex lege Aelia Sentia vel ex SC. poſt mortem patris &c.* quod pertinet ad illud caput legis Æliæ Sentiæ cuius Vlpianus meminit Tit. 7. Qui locus, vt hoc obiter moneam, ſic meo iudicio reſtituendus eſt. *In poteſtate parentum ſunt etiam ij liberi quorum cauſa probata eſt per errorem contracto matrimonio inter diſparis conditionis perſonas. Nam ſeu ciuis Romanus Latinam, aut peregrinam, vel eam quæ deditítiorum numero eſt, quaſi ciuem per ignorantiam vxorem duxerit, ſiue ciuis Romana per errorem peregrino, vel ei qui deditítiorum numero eſt, aut etiam ſi Latino nupta fuerit, ex lege Ætia Sentia cauſa probata ciuitas redditur tam liberis quam parentibus præter eos qui deditítiorum numero ſunt, & ex eo fiunt in poteſtate parentum liberi.* Quod ſubiicit de S C. referendum videtur ad decretum ampliſſimi ordinis circa legem Æliam de Conſilio & cauſa probanda l. 1. in fine. D. de off. Cos. non tantum in minore ſed & inter diſparis conditionis perſonas, vt hic locus indicat. ad quod etiam conſilium pertinere videtur l. 24. D. de manumiſſ. quæ alioqui ſi de iudicio liberalis cauſæ accipiatur, inter fugitiuas non immerito cenſebitur.

Et de eo filio.] Eſt hic & alius agnationis modus ex manu-

missione qui ab Vlpiano quoque recensetur Tit. 23. Porro hi casus si quidem post mortem contingerent, ad iuris antiqui formulam, sin ante, sed post testamentum, ad legem Velleam olim pertinuerunt. quod latius explicare non est huius loci.

Cum filius filiaue.] Et hæc ex eodem Institutionum Titulo suppleri atque emendari possunt. Quod sequitur de agnatis, in titulum De successione agnatorum magna parte translatum est, quem cum hoc conferre cuiusuis operæ fuerit.

Æquum enim videtur.] Lex XII. tabularum agnatis præfert suos quoslibet sine distinctione. itaque sufficit suum heredem esse, nec spectatur proximior sit an vlterior. Quamobrem successionis siue, vt hodie loquimur, repræsentationis ratio aliqua ex æquitate habita est, vt inter suos heredes in stirpes non in capita diuidatur hereditas. quod prudentium interpretatione receptum Gaius significat. At eadem lex deficientibus suis heredibus agnatum non quemlibet vocat, sed proximum: ob idque inter agnatos semper in capita, numquam in stirpes diuiditur hereditas ex XII. tabulis. Qua etiam ratione idem in libertorum successione seruari Paulus tradit lib. 2. Sentent. ex sententia Iuliani in l. 23. §. 1. D. de bon. libert. Alio sensu auctores nostri dixerunt in suis & legitimis non esse successionem sequentis scilicet gradus eiusdem ordinis post delationem aut adquisitionem. quod veteri iure perpetuum est, ea etiam ratione quod proximo tantum legitima hereditas deferatur. l. 1. §. sciendum. & l. 2. §. legitima. D. de suis & legit. Si tamen filius matris hereditatem ad quam ex Orfitiano vt legitimus vocatur, sibi delatam repudiauerit, aut cũ agnouisset, abstinendi causa restitutus sit, cæteri legitimi admittuntur. Sed hoc fieri ex ipsius S C. verbis indicat l. 1. §. si nemo. iuncto §. seq. D. ad S C. Tertyll. In bonorum possessione Vnde cognati post delationem successio est l. 2. D. de success. edict. nempe quia ex sola Prætoris indulgentia pendet l. 1. D. vnde cogn. Non est tamen successio post adquisitionem l. vlt. D. de success. edict. Eadem ratione tentari potest & in honoraria. Vnde liberi esse successionem, cũ ea cognatis detur veluti emancipatis, nec tam spectetur ius ciuile

quam ipsa natura §. emancipati. & §. minus. Instit. de successſ. quæ ab intest. def. Sed hæc omnia Iustinianus exæquauit.

Quos plerique consobr.] Hoc verbum Triumviris displicuit, qui consobrinorum nomine hos semper intelligi voluerunt: quod tamen per abusionem fieri Theophilus recte notat. idque verbi etymologia suadet. consobrini enim quasi consororini dicuntur. Nonius, *Consobrini ex duabus editi sororibus, de quibus exempla multa sunt in antiquis auctoribus & maxime in Afranio & iuris vetustissimi scriptoribus* Sic legendum *non viris*, qui error etiamnum manet apud Suetonium in Nerone, & Capitolinum in Pio.

Ideo autem.] Lego, *Ideo autem non mortis tempore sed cum certum fuerit aliquem intestatum decessisse, quia si quis test.* &c.

Hoc iure.] Id est, iure ciuili, siue ex lege Voconia, ex qua est legitimæ cognationis nomen de masculis, non ex XII. tabulis. Aliud vero ex edicto Prætoris obseruatur §. cæterum. de legit. agnat. success. Mansit tamen in cognatorum definitione masculorum nomen in l. 2. §. 1. D. de suis & legit.

Proinde agnationis iure.] non suitatis. nam suos heredes fœminæ non habent. Hinc illa olim quæstio de iure apud Centum viros. Filius an frater debeat esse intestatæ heres. Sic enim apud Fabium legendum est lib. 4. Instit. non *intestato*, vel veteribus libris adstipulantibus. quod alias pluribus ostendimus in libro singulari de Centum viralibus, Decem viralibus, Septem viralibusque, & Quinque viralibus iudiciis. Et vero de intestati hereditate esset ea ineptissima quæstio, vt hodie est de matris successione post orationem D. Marci & S C. Orfitianum, quibus id actum est vt sine in manum conuentione matrum legitima hereditas ad filios pertineret, exclusis consanguineis & reliquis agnatis, quemadmodum Vlpianus scribit in fragment. Tit. 26. vbi notandum est quod ait, *sine in manum conuentione.* nam & ante SC. ea conventionis in manum vis fuit vt liberi matri succederent, non quidem vt liberi, sed vt fratres & agnati. An vt consanguinei? Non puto alioqui sane reliquos agnatos tum quoque exclusissent. Et vero eis sanguinis nomen vt fratribus proprie convenire non videtur.

Sed alia faciat.] Malim, *sed alia facit* (vel *fuit*) *iuris interpretatio* &c.

Iamdudum autem.] Hæc eſt illa quæſtio iamdiu inter Iuſtinianei iuris interpretes vexata, tandemque vſu potius noſtro quam certo aliquo illorum iudicio definita ex veterum tamen conſultorum ſententia, quæ & ipſa legis fuit cum proximos agnatos ad ſucceſſionem vocaret. Nam quibus proximorum nomen æque competit, quiq; æquo iure ſuo veniunt æquas etiam partes ferre rationis eſt. Sane cum alij ex legis aut ſtatuti verbis vt proximi vocantur, alij ſucceſſionis quodam iure ex aliorum perſona veniunt, æquitas poſtulat & illis ex lege partem integram conſeruari, & his inſimul non plus iuris deferri quam ille habiturus eſſet in cuius locum partemque ſuccedunt. Quæ viſio alterius tractationis eſt.

In tot portiones fuerunt.] Melius, *tot portiones fient.*

Gentiles.] Ponitur hæc lex a Cicerone non ſuis omnino verbis lib. 2. de Inuent. *Si paterfamilias inteſtatus moritur familia pecuniaque eius agnatorum gentiliumque eſto.* Quod de gentilibus reſtat ex XII. tab. in l. 53. D. de verb. ſig. ad ius tutelæ magis pertinet, a quo tamen ad hereditatem legitima argumentatio eſt. Eſt & de ſucceſſione gentilium verſus Catuli ad Mallium, & exemplum Centumviralis iudicij non tam fortaſſe ſenſu notum quam fama celebre, quod a M. Tullio refertur lib. 1. de Orat. in quo illud quæſitum arbitror, An in ſucceſſione liberti ab ingenuo gentilitio adoptati ius gentilitatis locum haberet, adeo vt gentiles eius familiæ in quam adoptatus erat libertus, eius cognatis præferrentur ex XII. tabulis. Qua in quæſtione potior fuiſſe videtur Marcellorum cauſſa ex Scæuolæ definitione. Nec inficior tamen libertos patronorum gentiles Latine dici poſſe eo modo quo & ſerui dominorum gentiles a Plinio appellantur ob ſimilitudinem nominum quæ gentis vocabulo interdum ſignificatur, vt ex Cincio Feſtus tradit. Quo ſenſu & nouus homo Arpinas Seruium regem gentilem ſuum dicere auſus eſt, & Hiſpalæ libertæ gentis enuptio conceſſa legitur apud Liuium lib. 39.

Primo Commentariorum & vltimum eſt.] Sic vet. Meminit & Commentariorum Gaij Iauolenus in l. ſi quis. D. de cōd. & de monſt. quod ego lubens ad libros Inſtitutionum refero quibus idem nomen a Boetio & Aniano tribui memini. Et vero probabile eſt ſub finem libri primi Inſtitutionum de gentilitatis iure tractaſſe Gaium cum de curatoribus diſſereret. Sed Iuſtinianus Commentariorum nomen etiam aliis libris tribuit in Procœmio Inſtitutionum.

Superuacuum eſt.] Antiquitatis cognitio iuris ſtudioſo non vtilis modo ſed etiam neceſſaria eſt, nec fruſtra veteres conſulti quantum in ipſis fuit, nihil eius penitus nos ignorare voluerunt. Eſt enim illud de omni cognitione Ariſtotelis καθόλου· εἴτις ἐξ ἀρχῆς τὰ πράγματα φυόμενα βλέψειεν, ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις καὶ ἐν τούτοις κάλλιστ᾽ ἂν οὕτω θεωρήσειεν. Sed eſt & illud verum Modum in quaque re optimum: nec eadem cura omnia aut ediſcenda aut pertractanda ſunt. Quædam ſemel noſſe vel non ignorare ſufficit: repetere atque inculcare tam putidum eſt, quam aut in gradibus morari cum aſcendas, aut in inſtrumento artis ipſius opus finemve conſtituere.

Sine iure Prætorio.] Hæc eſt veteris codicis ſcriptura quæ fortaſſe non male ita reſtituetur, *Sine iure Prætorio factum teſtamentum obiecta doli exceptione obtinebit.* Cuius ſententiæ ſpecies dari poteſt ex l. 1. C. Th. de famil. herciſcund. videlicet inter coheredes ſi huiuſmodi ſcriptura ſingulis aliquid adſcriptum ſit, oppoſita doli exceptione effici vt ea voluntas obtineat, nec aliquid amplius a ſingulis retineatur quaſi ab inteſtato. Quæ definitio laudatur etiam a Iuſtiniano Nouell. Conſt. 107. Dari poteſt & caſus quo ſine iure Prætorio factum teſtamentum obiecta doli replicatione obtineat, ſi inſtituti ſint ij qui rem ab inteſtato omnino habituri eſſent. Dicet aliquis. Si teſtamētum rite factum non ſit, locus eſt ab inteſtato ſucceſſioni. Itaque iis replicatione doli nihil opus eſt qui ſine teſtamento lege heredes fiunt. Verum dari poteſt caſus quo neceſſaria eſt doli replicatio, vt ſi prius teſtamentum iure perfectum extet quo alij heredes inſtituti ſint l. 2. D. de iniuſt. rupt. irrit. & hac replicatione doli opus habent aduerſus liberos ipſos, propinqui, vxor,

qui, vxor, alumnus, aliiæque huiusmodi personæ quibus ex imperfecto testamento legata & fideicommissa præstantur l.38. D. de fid. libert. Ergo hæc doli siue exceptio siue replicatio ex persona eius qui opponet omnino æstimabitur. Dixit autem *Sine iure Prætorio*, qua hæc fuit minus solennis minusque difficilis testandi forma. Sed hæc Nouellis Constitutionibus varie immutata sunt. nos hic veteris iuris reliquias tractari meminimus.

Eorum quorum.] Hæc fortasse aliquis ita suppleuerit: *Eorum quorum testamenta rumpuntur aut irrita fiunt, quamuis ipso quidem iure testati decedant, hereditas vt intestatorum defertur.* At ego ipso facto testatos dixero, Iure non dixero, sed magis intestatos, nec improprie quidem l. 1. D. de suis & legit. ac potius hunc locum ita suppleuero. *Eorum quorum testamenta rumpuntur aut irrita fiunt licet iure intestati decedunt secundum tabulas bonorum possessio datur si septem testium signis signatæ sint.* Quod & Vlpianus scripsit in fragment. Tit. 23. & 28. Circa quæ illud admonere superuacuum non fuerit, videri Papinianum in eo qui post testamentum adrogandum se præbuit, hoc etiam exigere vt voluntatem quæ iure defecit recenti aliquo iudicio sui iuris factus confirmauerit, l. qui ex liberis. §. testamento. D. de bon. poss. sec. tab.

Gentibus deferebatur. Sane.] Puto legendum *gentilibus deferebatur. Sane consanguineos lex non adprehenderat, sed interpretatione prudentum primum inter agnatos locum obtinuerunt.* Inde in l. 1. D. de legit. tut. agnatis & consanguineis & l. 30. D. de adquir. hered. *legitimum vel consanguineum* & recte in l. 1. C. Quorum bonor. *Consanguineo*, inquit, *omnia prudentium responsa & lex ipsa naturæ successores faciunt.* Est enim hæc successio ex eo iure quod communi nomine ius ciuile appellatur l. 2. §. his legibus latis. D. de orig. iur. cuius & alia exempla si quis desideret, reperiet non obscura in l. 36. D. de statulib. & l. 34. D. de her. instit. itemque apud Ciceronem lib. 3. de officijs.

Secundum legem Iuliam Papiamue quæsiti.] In l. vlt. D. de statulib. *si mulier ex lege nupserit*, id est intra annum præstito iureiurando se liberorum causa nubere, quod etiam ad legem Iuliam mis-

cellam referendum Græcus interpres rectiſſime notat, & explicandum moneo ex l. Titio vſuſfructus. §. vlt. D. de condit. & demonſtr.

Et peregrinatus.] Recte. At in §. vlt. Inſt. de hered. qual. & diff. placet magis quod præceptor meus reſtituit. *peregrinatos.* Diuerſitatis ratio per ſe manifeſta eſt.

Quibus bonor. poſſeß.] Fortaſſe melius, *quib. ius bonorum poſſeſſionis propter Prætoriam actionem non erit neceſſarium.* Bonorum poſſeſſionis hic fructus eſt, vt commoda & incommoda hereditaria, itemque dominium rerum quæ in his bonis ſunt, tribuat. quod in ſuis heredibus non eſt neceſſarium, cum ipſo iure in eis ita continuetur dominium, vt nulla videatur hereditas fuiſſe quaſi & olim domini fuerint ſimul cum defuncto. Poſſeſſio vt viuo patre filio continuata non intelligitur, ſic nec mortuo continuatur. nam nec ea quidem hereditatis aut iuris eſt, ſed facti, & non niſi naturaliter comprehendi poteſt iure P. Ro. l. 23. D. de adq. poſſ. l. 91. D. ex quib. cauſ. maior. Moribus noſtris aliud fere obſeruatur, fortaſſe ex l. cum miles. D. eod. in qua Doctor meus pridem admonuit poſſeſſionis nomine vſucapionem ſignificari, non vſum rei quem nec bonorum poſſeſſionis beneficium transfert. Ergo hic Prætoria actio non male fortaſſe accipietur de omni ea quam prætor bonorum poſſeſſori adcommodare dicitur in §. 1. Inſt. de perpet. & temp. act. Sed neſcio quomodo mihi plane non ſatisfacit generalior illa interpretatio ſubodoranti aliud quid ſubeſſe quod ego lubentius ad inofficioſi querelam retulerim cuius ordinandæ gratia ſuis heredibus licet bonorum poſſeſſio agnoſci ſoleret l. 8. §. 1. neceſſariam tamen non fuiſſe indicat l. 7. D. de inoff. teſt. Emancipato neceſſaria fuit, cum quod alioqui non iure inofficioſi arguere teſtamētum videretur niſi qui ex officio inſtitui debuerat, tum quod fruſtra inteſtatum patrem faceret niſi ab inteſtato rem habiturus: quod ſolo Prætoris beneficio per bonorum poſſeſſionem conſequi potuit, alio iure penitus extraneus. Eſt igitur hæc ſaltem res inofficioſi Prætoria actio. Quod vereor ne non ſatis multis probetur. Et tamen video omnibus eam

concedi quibus Prætor bonorum possessionem defert etiam contra ius ciuile. l. 6. D. eod. & in ea successionem esse vt in honorarijs l. 14. & l. 23. item, Prætoriarum actionum numero generaliter censeri quas Prætor bonorum possessori accommodat. Nec me mouet Cētum viralis iudicij auctoritas, cum & possessoria hereditatis petitio eius generis sit, quam tamen honorariam esse nemo inficias ierit. Eadem vero non facile dixero de auxilio quod contra inofficiosas donationes ad exemplum querelæ inductum est, quod esse videtur ex constitutionibus, idest ex Alexandri literis quarum exemplum extat in l. Titia Seio §. Imper. D. de legat. 2. qui §. vt hoc obiter moneam, a Pauli responso quod proxime sequitur diuidendus non fuit, ne non satis ad Titulum pertineret. Videtur autem rescriptum a consulente libello præpositum vt iudicaret Paulus an ad propositæ quæstionis definitionem accommodari posset. Quod alias fieri solitum ne longius abeamus. indicat l. 3. C. de inoff. donat. & vlt. ¶. sup. Tit. 10.

Soluenda sit hereditas.] Fortasse melius, *soluendo non sit hereditas.*

Idque euenit.] Legendum videtur, *idemque euenit si cum eo ex duobus filijs in pari numero nepotes successerint.*

Si sit frater.] Desunt hic aliqua quæ cum ex superioribus, tum ex ipso Paulo lib. 4. Sent. tit. 8. restituere perfacile est.

Virium] An *iurium*? an potius *viritim*? Sic videtur.

Voconia ratione.] Forte melius, *relatione*, vel, *rogatione.*

Vlpianus libro singulari.] Extat hodieque magna pars horum inter Vlpiani fragmenta quæ esse omnia ex libro singulari Regularum supra ostendimus.

Intestatorum gentilitiorum.] Sic vet. rectissime. Nam in libertinorum successionibus non eadem obtinent, vt postea monet Vlpianus. Gentiles Q. Mutius definiuit ingenuos ab ingenuis oriundos, quorum maiorum nemo seruitutem seruiit. Et recte Corn. Fronto, *Gens*, inquit, *seriem maiorum quærit.*

Si intestatus.] Plures legunt, *Si intestatus moritur cui suus heres nec est, agnatus proximus familiam habeto:* nam illud *Ac* nondum pro huius legis particula agnoscere potui. Sed in re tam trita iam nescio quomodo diutius immorari piget, postquam, vt

olim pueri ab Homero in ſcholis, ita nunc vix dupondij a XII. tabularum carmine non ediſcendo ſed recenſendo retractandoque iuris ſtudia inchoant.

Si agnatus.] Hoc videtur ab Aniano in collectione ſua omiſſum quod apud Caium legiſſet gentilitium ius in vſu nō eſſe: qua etiam ratione in proxima ſuperiore ſententia ingenuorum nomen pro gentilitiis ſuppoſuit. Ex quo apparet ne fragmentis quidem Vlpiani de iure veteri temere eſſe credendum. Porro hæc lex non infœliciter fortaſſe ita reſtituetur, SI AGNATVS *nec ſit gentiles familiam habeant*, aut potius, vt Oiſelo noſtro videtur, *herciſcant nunc nec gentilitia iura in vſu ſunt.* Erciſcundi verbum XII. tabularum eſſe conſtat. Sed an huic capiti omnino conueniat, alij viderint. Ego quidem non puto delinquere eum qui in dubiis quæſtionibus ab amico non facile diſſentit.

Item ab inteſtato Inſt.] Exiſtimo ſic hæc potius reponenda eſſe, *Idem lib. II. Inſtitutionum ſub titulo De ſucceſſionibus ab inteſtato.* nec cur ita exiſtimem, intelligere difficile eſt.

Et ſi ex diuerſis matribus.] Varro libro de gradibus *Germanus de eadem genitrice manens* (ſic legendum apud Seruium in lib. 5. Aeneid.) *vt multi dicunt de eodem germine, quos illi tantum fratres vocant.*

Cauſæ probatio.] Ex lege Ælia Sententia & S. C. vt ante diximus. Sed & ex lege Iunia cum Latinus cauſa probata apud Prætorem vel præſidem prouinciæ tam ipſe quam filius filiaue eius & vxor Latina liberis ius Quiritum conſequitur ea forma quam Vlpianus explicat. Tit. 3. Quod ſi quis legi Iuliæ potius tribuet, fortaſſis non longe aberrauit. Nam & eius eſſe videtur illa conditio Liberorum quærendorum cauſa nuptialibus etiam tabulis adſcribi ſolita, cuius & Auguſtinus meminit: nec ad vllam magis rogationem priuilegia ob prolem pertinent. Non fruſtra etiam iuris auctores cum ad eam legem ſcriberent tam diligenter annotarunt quis anniculus diceretur l. 132. & l. 134. D. de verb. ſignific. Cæterum hæ cauſæ probationes non parum inter ſe effectu differunt. Nam ex lege Ælia Sentia ciui Romano ciuitas redditur non datur:

At ex lege ſeu Iunia, ſeu Iulia, Latino ciuitas datur non redditur.

Et conſanguineis.] Fortaſſe melius, *A conſanguineis.* id eſt, poſt conſanguineos: vt & paulo poſt, *A ſuis heredibus, poſt conſanguineos &c.*

Itemque ciuitate donatos.] Ex lege Iunia, atque etiam fortaſſis ex lege Ælia Sentia: quanquam hi non tam videntur ciuitate donati quam ciuitati redditi, vt iam attigimus.

Vel ſtirpis libertinæ.] Ex libertino natus ingenuus eſt hoc iure. Itaque nihil eſt quod in eo ius patronatus exquiramus. At ſi ex manumiſſione Latinus tantum factus, liberis poſtea ſuſceptis vel alio quouis modo ius Quiritium conſequatur, ille quidem libertinus manet qui ſemel iterumue manumiſſus eſt, liberi non tam libertini quam libertinæ ſtirpis ſunt. Et hos fortaſſis Vlpianus hoc loco ſignificare videatur. Dicitur vero & noſtris auctoribus libertinus filius qui a patre in ſeruitute ſuſceptus poſtea cum ipſo ſimul manumiſſus eſt l.17.§.2. D.ad SC. Trebell. l. vlt. D. de iure deliber. Sed hic, vt quod ſentio dicam, libertinæ conditionis eſt liberti filius poſt patris manumiſſionem ſuſceptus, cuius olim bonorum poſſeſſio alio iure quam ingenui deferri ſolebat. Nam eo inteſtato & ſine cognatione mortuo vocabatur manumiſſor patris, itemque cognati eius per virilem ſexum deſcendentes etiamſi capite deminuti eſſent. immo & ſi huius liberti patronus & ipſe libertus eſſet alterius, etiam patroni patronus vocabatur, itemque eius agnatio. Quod Iuſtiniano iniquum eſſe viſum eſt, qui tamen id lucri patronis tantum ſuperſtitibus conceſſit ea conſtitutione quæ in eius Codice ſub tit. de bonis libertorum, hactenus deſiderata eſt. Et ſane hic quamuis libertinus ſit, nullius tamen reuera libertus dici poteſt. Sunt vero hæc inter ſe diuerſa. Libertini nomen ſtatum & conditionem perſonæ magis reſpicit: liberti, ius patronatus: quod Valla ſubtiliter annotauit, & probat l. vlt. D. ſi ingen. eſſe dic. & l. 1. D. de excuſ. tut. in qua non fruſtra Modeſtin. libertinis ait tutores dari à magiſtratu potius quam libertis. Cur ita? quia libertis fere ſunt tutores legitimi patroni & patronorum li-

beri etiam pupilli, vt Vlpianus in fragmentis significat tit. II. illis verbis, *Idemque permisit in pupillo patroni filio.* recte. id est si patroni filius tutor pupillus sit, nec auctor esse possit. Et est illud reliquum vestigium iuris antiqui, cuius meminit Iustinianus in l. vlt. §. 1. C. de legit. tut. ex qua & in l. 16. D. de tutel. Tribonianus addidisse videtur illa verba *perfectæ ætatis.* quod obiter indicasse placuit.

Post familiam patroni.] Legendum, *Post familiam liberti.* sic sæpe hæc inter se reciproca nomina confundi solent, emptor venditor, petitor debitor creditor, locator conductor, pater filius, patronus libertus. *Post familiam* autem, id est post liberos, vt in l. 195. §. 1. D. de verb. sig. l. 23. D. de adopt. In bonis libertorum lex XII. tab. non nisi suos liberos patronis prætulit, Prætor etiam emancipatos. Iustinianus omnes omnino liberos licet in seruitute suscepti cum parentibus manumissi essent, & siue soli siue cum alijs post libertatem susceptis ex ijsdem alijsue nuptijs. Non existentibus liberis vel exheredatis, primum patroni & patronæ vocantur, inde patronorum liberi etiam posthumi & in adoptionem dati cuiuscunque sint sexus, sublata illa veteris iuris imagine qua filia patroni filius esse fingebatur: adoptiui non item. post liberos patronorum, nepotes tam ex filio quam ex filia: deinde cognati patronorum seruata gradus prærogatiua vsque ad quintum, exclusis etiam heredibus extraneis a patrono scriptis. Eius Constitutionis ex qua & superiora quædam excerpsimus Græcam Synopsin habuimus, singulari beneficio IAC. CVIACII, cuius humanitati, beneuolentiæ, diligentiæ, fidei, doctrinæ, ni & hæc & reliqua omnia studia mea, si quæ aliquando probabuntur, accepta referam, profecto parum gratus mihi ipsi videar. Nam peccata quidem si qua sunt, vt erunt fortasse multa, mea illa esse vltro profiteor.

Parentes.] Id est agnatos.

Manumissori.] etiam extraneo. Hodie vtique patri legitima iura seruantur quasi tacite contracta fiducia ex l. vlt. C. de emanc. pat. lib. Legitima autem iura definiuntur Constitutione illa Græca de Iure patronatus, triens ex testamento & bo-

norum possessio ab intestato: quod recte Constantinus notauerat lib. 5. Proh. tit. 9. & Sinopsis illa continet, vt & aliud quoddam caput quod iam ex Græcis interpretibus didiceramus ad l. 45. D. de nupt.

Decem personas.] §. Quæ autem. Instit. de bon. possess.

Quibus decimæ immunitatem.] An decimæ hereditatum? an potius vicesimæ ex lege Iulia? Sic videtur. Nam quod apud Vlpianum legitur de decimis ex eiusdem principis lege quæ ob id decimaria Thalelæo dicta est libro 45. βασιλ. Tit. 5 ad hunc quidem locum non satis facit. Vicesimæ autem immunitas varie olim concessa est. Primum quidem domesticis heredibus, qui modo veteres essent ciues, remissum est vectigal de bonis quæ sanguine, gentilitate, sacrorum societate meruissent. Nerua sanxit vt quod ex matris ad libros, ex liberorum bonis ad matrem peruenisset, etiamsi cognationum iura non recepissent cum ciuitatem adipiscerentur, eius vicesimam ne darent. Eandem patri immunitatem in filij bonis tribuit, si modo reductus esset filius in patris potestatem, Traianus exceptionem illam patriæ potestatis remouit, statuitque vt quemadmodum in patris filius sic in hereditate filij pater esset immunis. Cauit præterea vt in sororis bonis frater, & contra in fratris soror, itemque auus auia in nepotis neptisque bonis, & inuicem illi seruarentur immunes. iis quoque quibus per nouum Latium ciuitas Romana patuisset, idem indulsit. Sed & statuit summam hereditatibus quæ vicesimæ subiacerent, ne vel paruæ & exiles publicanis essent obnoxiæ. Denique posteriores Imperatores varie huius vectigalis iura vel auxerunt vel minuerunt. Verum quænam fuerit illa Constitutio cuius hic Vlpianus meminit, nondum mihi certo constat, vt esse fateor multa in hoc libello veteris iuris P. Ro. quæ me vel non satis ingeniosum facile fefellerunt, vel aliud interdum anxie cogitantem leuiter effugerunt. Quædam etiam consulto deposuisse satis fuit, quæ commodius fortasse, Deo volente, aliquando retractabimus.

* *

Cvm *in testamento.*] Hanc vnam Modestini regulam ex alio codice qui patris V. C. fuit, pridem habuimus. Quæ sequuntur in eodem ipso exemplari erant in quo & superiora omnia. Itaque quanquam nobis pridem in animo esset & hæc & alia quædam veterum Iurisconsultorum fragmenta vno volumine complecti, altero Imperatorum Constitutiones, quas etiam plures nondum editas nacti sumus, concludere, hic tamen adiicere visum est interea dum res tempusque instituto nostro benignius adfuerint. Quod optare quidem quam sperare procliuius est.

No. de vsur. supra dupl.] Desideratur hæc Nouella ordine CXXXVIII. Videtur autem & eius meminisse Instinianus in Nouell. Constit. CXXI.

Græca subsequitur.] Ea est Nou. CLX. Hinc autem colligere est cur hæc tam facile inter Græcas Latina perierit.

De partiar. solut.] Deest hæc quidem in Iuliani Antecessoris Nouellarum epitome: sed extat inter Authenticas Const. CXXI.

De alienat. rer. Eccles. Misiæ.] Est hæc Nouella Cõstitutio LXV. quæ ab Irnerio & Bulgaro cęterisq; mediæ ætatis Iustinianei iuris interpretibus in VIIII. vt vocarunt, Collationem reiecta fuerat, vt cæteræ fere omnes quarum eis vsus aut nullus, aut nõ vsq; adeo necessarius videbatur, siue quod abrogatæ, siue quod chronicæ, aut locales essent. Nobis vero nihil superest veterum quod non vsui esse possit. Cæterum in eo Nouellarum seu Authenticarum Constitutionum exemplari vnde istam exscripsimus, sequebatur proxime No. XXI. nec huius aliud caput, ne illud quidem ab Haloandro additum, quod ex Theodori interpretationibus irrepsisse Doctor meus admonuit.

De consiliarijs Dictatum.] Sic legimus apud Gennadium Pomærij Dictatum de contemptu mundi. Fuit hoc eius sæculi verbum. Porro hæc quidem sacrosanctæ illius Iurisprudentiæ

tiæ non sunt quæ Scæuolas & Papinianos protulit, quibus vel ista tam proxime adiungere vereor ne sacrilegium plerique interpretentur. Ac ne notas quidem accuratiores mereri fateor. Sed adiumento tamen nobis erunt vel maximo, cum quod argumentum contineant quarundam Constitutionum quæ in Iustiniani Codice hactenus desiderantur, tum quod ex his etiam quasi vnguiculis certius agnoscere possimus quæ fuerit eius ætatis ciuilis scientia, cuius potissimum iudicio atque arbitrio ius conditum, collectum, compositum, digestum habemus.

* *
*

Visum est tandem Puteano nostro hic adiicere fragmentum illud Latinum toties a me laudatum, quod Græculus magister Omelijs suis & Græcæ linguæ exercitationibus inter alia quædam ex alijs auctoribus initia librorum inseruerat. Græcam etiam interpretationem si quando vsui esse posset, certis tantum locis in margine addere libuit satis persuasis hæc potius ex Latinis Græca facta quamquam sunt & quædam quæ Græcismum magis referre videantur. Porro facile est deprehendere multa ab ipso interprete, plura fortasse a librario omissa, quorum nos vacuum locum notula indicare satis habuimus, interea dum ex aliquo integriore exemplari ea iactura sarciatur.

* *

IVRIS ciuilis vt quid [a] appoſiticium appellatur ex pluribus partibus conſtat. * Sed Conſtitutiones Imperatoris ſimiliter honorandum quid eſt & Prætoris Edictum, ſimiliter vel Proconſulis. * Ex eo enim conſenſerunt peritum * & adſumptus ex reſponſis iſta dicere. Lex enim cæteræ partes iuſti appellantur. * Regulas enim ex ſequenti mihi ad ea ſtudia neceſſarium ante omnia ſcire. * Nec enim vnius ſunt conditionis, ſed variæ. Quæ ſingula pertinẽtia ad hanc narrationẽ referenda ſunt in ordine. Omnes enim aut ingenui ſunt, aut liberti. * Sed vt magis poſſint ſingula declarari, melius videtur incipere a libertis [b] de Latinis ſcribere ne ſæpius eadem interpretari. * Primum ergo videamus quale eſt quod dicitur eos qui inter amicos [c] veteres manumittebantur non eſſe liberos, ſed domini voluntate in libertate morari, & tantum ſeruiendi metu dimitti. Antea enim vna libertas erat [d] vindicta, vel teſtimonio, vel in cenſu: & ciuitas Romana competit manumiſſis, quæ appellatur legitima libertas. Hi autem qui domini voluntate in [e] libertate erant, manebant ſerui, & manumiſſores audebant in ſeruitutem denuo eos per vim ducere: Interueniebat Prætor & non permittebat manumiſſum ſeruire. Omnia tamen tanquam ſeruus adquirebat manumiſſori, [f] vel ſi quid ſtipulabatur, vel ſi per ſcripturam acceperat, vel ex quacunque cauſa alia adquiſierat, domini hoc faciebat: * hoc eſt manumiſſi ad patronum pertinebat. [g] Sed nunc habent propriam libertatem qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Iuniani: quoniam lex Iunia quæ libertatem eis dedit, [h] exæquauit eos Latinis colonariis qui tunc erant ciues Romanorum, & nomen ſuum in ciuitatem dederant. In his qui inter amicos manumittuntur voluntas domini [i] ſpectatur * quæ iubet eos fieri Latinos quos dominus liberos eſſe voluit. [l] Hoc tamen cum ita habeant debet [m] promiſſum manumittentis habere dominus. Vnde ſi per vim coactus verbi gratia ab aliquo vel ab vnoquoque [n] hominum

a ἐνθεθημένον. *Videtur autem hæc eſſe interpretis potius quam auctoris.*
b περὶ ῥωμαίων
c For. *apud veteres.*
d ἐκ προσαγωγῆς ἢ κατὰ διαθήκην ἢ ἐν ἀποτιμήσει. *Cic. in Top. Boet.*
e *Quin. Dec.* 340. & 341.
f εἰ ἤ τι ἐπερωτᾶτο ἢ κατὰ γραφὴν εἰλήφει.
g *Caius lib.* 1. *Inſt. Vlp. ti.* 1. *Seneca in lib. de Vita beata.*
h *Vlp. tit.* 19.
i *For. ſpectatur ex lege Iunia qua.*
l τοῦτο οὕτως ἔχοντος ὀφείλουσιν προαίρεσιν &c.
m *propoſitũ ſiue animũ.*
n *Vt a populo l.* 17. *D. Qui & a quib. manu. liber. non fi. Sed hæc neſcio quomodo Græciſmum magis redolent.* ὑπό τινος ἢ ὑπό τινος ἑκάστου ἀνθρώπων.

manumiſerit, non veniet ſeruus ad libertatem: quia non intelligitur voluiſſe qui coactus manumiſit. Similiter vt poſſit habere libertatem talis eſſe debet, vt Prætor eius vel Proconſule * ad alium pertinere non poteſt vindicta manumittere obſtante vſufructu, & ſi manumiſerit eum vindicta, faciet ſeruum ſine domino * [o] ſed Latinum. [p] Peregrinus manumittens ſeruum non poteſt Latinum facere, quoniam lex Iunia quæ Latinorum genus induxit, non pertinet ad peregrinos, ſicut & [q] Octauianus probat. Prætor non permittit manumiſſum ſeruire, niſi aliter lege [r] peregrina confirmatum fuerit. Minor viginti annorum manumittere nec vindicta poteſt, nec teſtamento. Itaque nec Latinum facere poteſt. Tantum autem apud conſilium poteſt manumittere ſeruum ſuum cauſa probata. Hic autem qui manumittitur quotcumque ſit annorum, Latinus fit, & ſolum ei [s] hoc procedit libertas [t] vt iterum manumitti poſſit & ciuis Romanus fieri. [u] Mulier ſine tutoris auctoritate [x] niſi liberorum ius habeat *. Tunc enim ex vindicta ſine tutore poteſt manumittere. Vnde ſi mulier abſens liberum eſſe iuſſerit quæ ius liberorum non habet, quæſitum eſt ſi tutores eius auctoritatem commodent eo tempore quo [y] epiſtula ſcribitur ſeruo a domina * Iulianus negat. Exiſtimat enim eo tempore debere auctoritatem præſtare in quo [z] peragitur libertas. Tunc enim peragi intelligitur, quando ſeruus cognouerit dominæ voluntatem. Sed Neratius [a] Proclus probat libertatem ſeruo competere. Sufficere enim quando epiſtula ſcribitur, adhiberi auctoritatem tutoris. Cuius ſententia & Conſtitutione Imperatoria confirmata eſt. Seruum pigneri datum ciuem Romanum facere debitor non poteſt, [b] niſi ſi ſoluendo non ſit. Obſtat enim libertati lex Ælia Sentia quæ vetat ſeruum [c] fœneratorum cauſa manumiſſum ciuem Romanum fieri, ſed Latinum. Et qui in cenſum manumittitur ſi triginta annos habeat, ciuitate Romana [d] paſcitur. Cenſus tamen Romæ agi ſolet. [e] Cenſus au-

o Vlp. tit. 1 l. 1. C. Com. de manumiſ. Hæc nõ pertinent ad ſuperiora. Nã tãtum abeſt vt ille ſeruus ſine domino Latinus ſit, vt cõtra viuat quodãmodo ſeruus quãdiu quidem durat vſusfructus, moriatur vero vt liber.

p ξεῖνος.

q *Leg. Octauenus probat, at Prætor.*

r ἑλλήνων.

s *ad hoc* τύποι.

t *Vlp. tit. 1.*

u *Idem Vlp. tit. 1.*

x *Plut. in Numa.*

y *Manumiſſionis per epiſtolam veſtigia ſunt in l. 38. D. de adq. poſ. & apud Caium lib. 1. Inſt.*

z ἀπαρτίζεται.

a *Priſcus.*

b ἐκτὸς εἰ μὴ οὐ πρὸς ἀπόδοσιν. *For. Niſi ſi ſoluẽdo ſit contra tamen Paulus in l. 9. D. de manumiſ.* c δανιστῶν δίκαι. *F. C. id eſt fraudandorũ creditorum, vt in l. 8. D. Qui & a quib. ma.* d *potitur.* κτᾶται. e τίμησις δὴ καθαρμωτίζεται *Aſcon. in Ver.*

tem lustro conditur. Est autem lustrum quinquennale tempus quo Roma[f] lustratur. Sed debet hic seruus[g] ex iure Quiritium manumittentis esse vt ciuis Romanus fieri possit. Magna tamen dissensio inter prudentes[h] vtro meo tempore vires accipiant omnia, in quo census, an eo tempore in quo lustrum conditur. Existimant enim censum descendere ad diem lustri, non lustrum decurrere ad diem census. Propterea quæsitum est * quia omnia censu aguntur, lustro confirmantur. Sed in ciuitate Romana tantum censum agi declaratum est: In prouinciis autem magis[i] professionibus vtuntur. * *

f καθαίρεται

g ἐκ δικαίου κυρίου.

h cic. 1. de Orat. legendum vero, vtrum eo. Interpres tamẽ ineptissime ἵνα ῥωμαῖοι qua potissima ratio est cur hæc potius ex Latinis Græca facta existimem.

i ἀπογραφαῖς.

Hactenus vetus exemplar. Quæ sequebantur alterius plane erant generis, nec ad ius Ro. quicquam pertinebant.

IMPERATORVM

THEODOSII
VALENTINIANI
MAIORIANI
ANTHEMII

NOVELLÆ CONSTITVTIONES XLII.

Nunc primùm in lucem editæ.



PETRVS PITHOEVS IACOBO CVIACIO I. C. S.

ECCE tibi Nouellas ipſas quarum ob ſolum indicem, quem ex meo libro cum quibuſdam alijs Imperatorum legibus acceperas, profuſiſsime pro tua gratia me honoraſti. Vnde vero, inquies? Ex eodem ipſo Copiæ cornu ex quo & index prodierat, id eſt ex bibliotheca patris mei: quem quoties poſt tot infœlicium Doctorum deuoratas, &, quod non cuiuſuis ſtomachi eſt, bene concoctas ineptias, inter tantas tamque ſerias occupationes, eo ſæculo, ea ætate, in ea vrbe, ad hæc demum ſtudia animum reuocaſſe cogito, toties intelligo, quæ Dei ſumma benignitas eſt, nullo vnquam ſæculo defuiſſe qui in tenebris ſolem, vt dicitur, id eſt, quæ recta eſſent perſpicerent, inueſtigarent, colerent, amplecterentur. Hoc ego tanto patre ſi non indignus filius videor, ſatis me magnum hactenus ſtudiorum meorum fructum conſequutum arbitror. Sed vt ad Nouellas, eas pater eum per otium, quod vix fere illi vllum fuit, ipſe non poſſet, ab amanuenſi ſuo ex veteri quodam exemplari deſcribendas curauerat. Qua in re vir alioqui Reipublicæ iuuandæ natus

eiusque amantißimus sibi tantum fortasse laborasset, ni post eius luctuosißimum obitum Ioannes & Nicolaus filij illi gemini, mihi consanguinei fratres (de quorum ingenuis virtutibus plura dicere cum meus pudor, tum ipsorum verecundia prohibet) in magno librorum chartarumque cumulo, me tum quidem vix pubere & studiorum causa absente, has quasi e naufragio tabulas excepissent, & inter Gallicos istos tumultus & tam crebras conuasationes diligentißime adseruassent. Nuper autem cum de tuo Codice Theodosiano mentio incidisset, & a me harum Nouellarum, vt tum quidem putabam, amißio bona fortuna deploraretur, dixerunt illi habere se care repositas, atque etiam vltro obtulerunt. Eas ego tandem a fratribus acceptas, vix grauißimo morbo recreatus, & auidißime perlegi, & quæ in eis vel antiqui scriptoris, vel amanuensis paterni negligentia aut imperitia errata erant, religiose, vt par est, & quasi suspensa manu, emendaui. Statim autem ad te misi, qui iure quodam tuo hæc tibi vindicare potes, vt reliqua, si qua sunt, a me deposita persanares, & hoc iam Theodosiani potius quam Theodericiani corporis membrum reliquo, si tibi ita videretur, aliquando adiungeres. Prodibunt igitur hæ Nouellæ multis nominibus obæratæ, Patri, quod e tenebris erutæ, fratribus, quod adseruatæ, tibi verò quod multis vulneribus sanatæ tandem communi omnibus sole fruentur. Mihi sane nihil adrogo, satisque erit si & studijs nostris aliquantulum profuero, & tibi hac in parte satisfecero. Vale. Lutet. Parisior. Kal. Aug. CIↃ. IↃ. LXXI.

In exemplari ex quo ista descripsimus, erat hic Nouellarum ordo, quem licet omnino non probaremus, studiosos tamen cælare noluimus.


Quæ nunc primum eduntur Nouellæ, stellula notatæ sunt.



THEODOSII ET VALENTINIANI IMPERATORVM NOVELLÆ CONSTITVTIONES.

DE PATRIMONIALIBVS REI DOMInicæ & limitrophis fundis ad Orientem positis. Tit. XII.

1. *Impp. Theodosius & Valentinianus A.A. Marcellino Comiti Pf.*



ROPE est vt beneficium accepisse credamus quotiens offertur nobis causa præstandi, & diem perijsse proculdubio suspicemur quem nostri nominis munificentia non illustrat. Fruimur quippe conscientia largitatis, & benefaciendi prouincia, * quæ cum Deo meritum hominis adplicitum inter imperatorias primasque virtutes obtinet principatum. Valuerit igitur in fundis patrimonialibus sitis per Asianam diœcesim, sitis per Ponticam, in diem præsentem & Consulatum XVI. nostræ clementiæ lex diuæ memoriæ Constantini, quæ ad ædes per Constantinopolitanam vrbem sacratissimam * dominus exigebat. Sed nequaquam vlterius fœlicitas patitur ciuitatis, non suis meritis, verum porro quæsitis compendiis æstimari: nequaquam vtriusque obsequiis elementi contenta, suæ fortunæ desiderat incrementa subsidio prædiorum, quæ in cœlum

vſque prouecta gloria nominis ſui, in ſocietatem admittere dedignatur aliena fata terrarum. Quare cum diuinum conſilium principis memorati, progreſſus temporis ſubiecerit, & legis propoſito in augenda vrbe, pace ſuperi numinis, ſit ſatiſfactum, reddet noſtra maieſtas gratam poſſeſſoribus nouitatem, vt petitioni * ſuæ ante formidinem, cui Romæ deſunt penates, ſecurus vomerem, ſecurus falcem poſſeſſor exerceat, quod parauit relicturus hæredi. Pertinet hoc quoque profecto ad pretium ciuitatis, ad famam tanti ſplendoris, amantium ambitu frequentari, ceſſante legis imperio. Quapropter ſuggeſtione magnitudinis tuæ, victura in omne æuum lege ſancimus, vt quiſquis patrimoniales poſſidet fundos, ſeu prædia per diœceſes memoratas, donationis, alioue titulo, firmiter in æternum veluti priuato & inconcuſſo iure poſſideat, etiam ſi domicilium in Conſtantinopolitana vrbe non habeat, ad hæredum ſuorum, vel emptorum legitimorum, quinetiam retentatorum, ſi dominus quoque pacto abalienauerit, eius commodis migraturis, omni petitionis excluſa moleſtia, inſtructionis quinetiam officio cuius intereſt, moleſtia denegata. Quam ſi quis tractator temerario ſpiritu contra iuſſa diualia, quod non opinamur, offerre temptauerit, quinquaginta librarum auri, cum amiſſione militiæ, diſpendio ferietur: Quatenus cuncti cognoſcant firmius nos poſſeſſoribus præſenti lege donaſſe, quæ exceptionibus & cæteris formulis vacillabant. Marcelline frater amantiſſ. In luſtris igitur auctoritas tua, ſtatuta noſtræ clementiæ pro deuotione ſincera, ſolemniter edictis propoſitis ad omnium notitiam faciat peruenire. Dat. VI. Id. Maj. Conſtantinopoli Theodoſio A. VXI. Coss.

II. *Idem* A A. *Florentio Pf. Po.*

SVggeſtionem tui culminis ſalutarem debita cum laude diuinus amplectitur noſtrę ſerenitatis adſenſus, per quam ſuggeritur prouidendum ne redituum præſtatio minor videatur expenſis, neue erogatio conlationis functionem ex-

cedat. Quod euenire monſtratur patrimonialibus fundis ac limitrophis, necnon etiam ſaltuenſibus, pro libidine petito- vlterius adtemptetur, hac lege perpetuo [illegible] credidimus offerendum, omnes eiuſmodi poſt hanc legem petitionum materias inhibentes. Præcipimus itaque nulli iam in poſterum licere patrimoniales,ſeu limitrophos vel ſaltuenſes fundos, qui per tractum Orientis poſiti ſunt, ad ius transferre priuatum, ſiue dempto,ſiue ſaluo canone,iuris immutatio poſtuletur: legis temeratores quinquaginta librarum auri pœna cohercentes, tam videlicet petitorem; quam Officium quod petitionem concedit admitti, licet adnotatio noſtra, licet diuina pragmatica contra vetitum proferatur. Florenti P. K. A A. Itaque magnifica auctoritas tua edictis propoſitis, quæ ſanximus ad omnium notitiam perferri præcipiat. Data VI. Id. Iun. Conſtantinopoli Theodoſio A. XVII. & Feſto Coſs.

III. *Idem* A A. *Cyro Pf. Po.*

IN omnibus quidem rebus publicam conuenit vtilitatem priuatis commodis anteponi,ſed tum præcipue cum ſaluti pariter prouincialium, ac imperij noſtri felicitati conſuletur: vnde ſingulorum quoque fortunis ac ſecuritatibus proſpici non habetur incertum. Quoniam igitur per conſultiſſimam tuæ ſublimitatis ſuggeſtionem comperimus Armeniæ tractum in ipſo pene limitis aditu Perſarum conſtitutum. pridem regalium fundorum copiis ac preſidiis munitum,in præſenti Perſicis eruptionibus expoſitum fuiſſe, eo quod eoſdem fundos & maxime Theodoſiopolitanæ & Satalenæ ciuitati contiguos vel propinquantes, quorumdam petitio diuerſis retro temporibus in propria iura, mutato priſtino nomine, tranſtulerit,hac in perpetuum victura lege cēſuimus ſtatuendum,vt vniuerſi qui noſtram in his munificentiam meruerunt,ſub ea conditione poſſeſſiones habere donatas concedantur, * ſi cunctatus, & * paſtacas, & paraueredos,& ſpecies,

nec non & coemptiones ſecundum priſtinam conſuetudinem diſpoſitione tuæ magnificæ ſedis iniungendas, & alia vniuerſa fiſci calculis ſolemniter ſine mora dependant & poſſeſſioni cuncti prædia refundant, ſub ea ſcilicet obſeruatione, cum nulli deinceps eoſdem fundos liceat inſidioſis & derogantibus Reipublicæ precibus emereri, aut ad ſua compendia, deſpectis Reipublicæ vtilitatibus, transferre: centum pondo auri pœnæ nomine, tam his qui preces offerre temptauerint, quam criniariis, vel aliis quorum intereſt, ſi ſupplicationes oblatæ, aut ſi fuerint inſtructæ, feriendis. Cyre P. K. AA. Sublimis igitur & magnifica auctoritas tua hanc saluberrimam legem edictis ex more propoſitis in omnium noticiam faciat peruenire. Data VI. Kal. Iul. Conſtantinopoli. C*

DE BONIS FABRICENSIVM. Tit. XIII.

Impp. Theodoſius & Valentinianus AA. *Aureliano * Conſ. Pb.*

FAbricenſium corpus ſubuenit neceſſitas * cura bellorum, quo immortalitatis genere Principum ſcita cuſtodit, ne deficiente principio ſucceſſus generes haberentur. hoc enim armat, hoc noſtrum ornat exercitum. Hinc iure prouiſum eſt artibus eos proprijs inſeruire, vt exhauſti laboribus immoriantur cum ſubole profeſſioni cui nati ſunt. Denique quod ab vno committitur totius delinquitur periculo numeri, vt conſtricti nominationibus ſuis ſociorum actibus quandam ſpeculam gerant, & vnius damnum ad omnium tranſeat diſpendium. Vniuerſi itaque velut in corpore vniformi viſus * decoctionis, ſi ita res tulerit, reſpondere coguntur, vt viri illuſtris atque magnifici Magiſtri officiorum ſuggeſtio noſtræ clementiæ

tiæ patefecit. Quæ cum ita ſint, præſenti ſanctione perpetuo valitura * ergo ſi timore decernimus, vt quiſquis fabricenſium ſine liberis, vel legitimo hærede deceſſerit non condito teſtamento, eius bona cuiuſcunque ſummæ ſint, ad eos nutu noſtræ manſuetudinis pertinere, qui velut creatores decedentium adtinentur, qui fiſco pro intercepto reſpondere coguntur. Hoc enim pacto contigit, vt & Reipublicæ ratio ſalua permaneat, & fabricenſes collegarum ſuorum ſolacijs perfruantur, qui damnis ac detrimentis tenentur obnoxij: omni in poſterum ab eorum facultatibus, ab eorum patrimonijs petitione ceſſante. Aureliane P. K. A. Inluſtris igitur auctoritas tua poſt hanc legem, nullius petitionem admittat, vel inſtructionem fieri patiatur ſuper bonis fabricenſis defuncti. Quod ſi vlla proceſſit inſtructio, non ſacra adnotatio, non diuina pragmatica habeat locum contra generalem noſtri nominis ſanctionem. Quinquaginta etenim auri librarum officium palatinum fiſci viribus inferre cogetur, ſi poſtquam ſuſceperit huiuſmodi diuinum oraculum vel inſtructionem dare temptauerit. Dat. Prid. Non. Nouemb. Conſtantinopoli ipſo A. XVI. & Fauſto. v. c. Conſſ.

DE AMOTA MILITANTIBVS FORI præſcriptione. Tit. XIIII.

I. *Impp. Theodoſius & Valentinianus Florentio Pf. Pon.*

IVratur in militiæ ſacramenta vt neceſſitates publicæ procurentur: ſed ſuggeſtione culminis tui comperimus quoſdam ideo tantum ſortiri militiam, vt alienorum prædiorum idonei poſſint fieri conductores. Quod niſi nominis noſtri fuerit auctoritate correctum, in contumeliam aulæ diuinæ proficiet, ſi hiſdem priuilegiis muniantur qui in priuatis negotiis occupantur, quibus iure militiæ ſeruientes obſequiorum premijs gloriantur. Quare præſenti lege ſancimus

omnes omnino domeſticos agentes in rebus, & quæcunque alia prætenditur militiæ dignitas ſub moderatoribus prouinciarum functionibus publicis reſpondere, nulla fori præſcriptione valitura, ſi hac qui exiguntur debita publica vti temptauerint. immo & in alijs priuatis actionibus occupatos malumus reſpondere qui per prouincias ſociantur, vel conductorum vocabulis defenduntur, ſiue domorum diuinarum, ſiue virorum potentium, ſeu cuiuſlibet conditionis ſint conductores: niſi forte commeatum ad rem propriam componendam vnius anni inducias oſtenderint accepiſſe. Florenti P. K. A. Illuſtris igitur & magnifica auctoritas tua, quæ prouiſionum titulis & commodis publicis illuſtratur, nouerit præſenti lege noſtram clementiam ſtatuiſſe, omnes conductores, omnes qui per prouincias ſociantur, vel ſuis vacant compendijs, ſine beneficio (vt dictum eſt) commeatus, ſuis aduerſarijs agentibus reſpondere, ne ſub prætextu militiæ priuatum ſeu publicum debitum deſeratur: eadem forma ſeruata in his etiam qui mercandum, & militandi diualia beneficia meruerunt. Scita ſane noſtræ perennitatis edictis ex more propoſitis ad omnium notitiam tua magnificentia faciat peruenire. Dat. XIIII. Kal. Maj Conſtantinopoli, Theodoſio A. XVIII. Conſ.

II. *Idem* A A. *Cyro Pſ. Pō.*

OMnes odioſæ ſunt fraudes, & hæ maxime quæ legibus fiunt, quæ contra commoditatem publicam exquiruntur. His itaque legum conuenit auctoritatem opponi. Fori præſcriptiones noxia quidam interpretatione ſuis aſſertionibus aptare feſtinant, qui ſinguli prærogatiua iudiciarias excludere poſſe cognitiones exiſtimant, neſcientes veteres quoque leges ſpecialiter eiuſmodi præſcriptionibus, & contractus, & negotia geſta, & delicta ſubtrahere, nec pati aliquem qui quid in qualibet prouincia criminoſe commiſerit, vel qui alicubi contraxerit, vel qui in quodam loco negotia geſſerit aliena, memorata ſe poſſe præſcriptione defendere.

Sed tua celſitudo per ſuggeſtionem edocuit quoſdam eorum etiam qui ad curiam vocantur, quiue cohortalibus deberi dicũtur officiis, vel qui debitis publicis obligantur, quiue ſuperexactionum vel concuſſionum criminibus inuoluuntur, intantum audaciæ proceſſiſſe, vt ſub ſpecie militiæ, excelſæ tuæ quoque ſedis iudicio præſcriberent. Ideo diuinis ſenſibus callida memoratorum reſecantes incœpta, hac perpetua lege ſancimus, excelſæ quidem tuæ ſedis neminem, ſub ſpecie fori præſcriptionis, in quolibet negotio declinare poſſe ſententias: ſed ne prouincialibus quoque iudiciis poſſe fori præſcriptionem opponere eos qui ad curiam vocantur, vel cohortalibus deberi dicuntur officiis. vel eos qui debitis publicis obligantur, eoſue qui ſuper exactiones, vel concuſſiones perpetraſſe firmantur, quiue crimin oſe quid arguuntur in prouincia commiſiſſe, quiue contraxiſſe, vel alienum dicuntur geſſiſſe negotium in ea prouincia in qua conueniuntur, hac ſaluberrima lege decernimus: licet talis officij videatur apparitor, quod ſpecialiter apud ſuos tantum iudices reſpondere de noſtri nominis impetrauit clementia. Quod ſi quis contra tam ſaluberrimam legem pertinaciter voluerit, impetratis ſibimet vel ſuo corpori ſcitis vti cœleſtibus, ſciat tam tua ſublimitas, quam moderatores prouinciarum aduerſus eum tanquam in contumacem ſententiam proferendam. Cyre P. K. A. Inluſtris itaque & magnifica auctoritas tua legem hanc edictis ex more propoſitis, ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XI. Kal. Octob. Conſtantinopoli Valentiniano A. V. & Anatolio A. Conſ.

III. *Idem AA. Cyro Pf. Po.*

NOs quidem cum maieſtate Conſulum, qua res Romana paulatim & totus * vrbana hiſdem ſcimus etiam adquiſita ſeruari. Quis dubitat ſuis commodis veteres Reipublicæ commoda præferentes, mundi finibus fines impoſuiſſe Romanos? Sic nos in legibus maxime promulgandis non quid forte quibuſdam ſeparatim, ſed quid vniuerſis in com-

mune prodest, diuinis sensibus ponderamus. sed nonnunquam ea quæ saluberrime promulgantur, interpretatione quidam non recta deformare contendunt. Nuper Turijs ciuitatibus, ipsis etiam prouincijs consulentes, cauimus lege perpetua, non debere passim cinguli prærogatiua, vel inlustrissimæ Præfecturæ, vel Rectorum prouinciarum declinari sententias. hanc etiam legem de nostris militibus quosdam comperimus dicere promulgatam. Ne itaque male interpretandi icta nostra quibusdam detur occasio, sciat sublimitas tua de scholaribus nostris, Comitibus etiam ac Tribunis militaribus consuetudinem obseruari velle nos hactenus obseruatam: de cæteris vero militibus armatis, vel de Tribunis qui numeros agunt, prorsus legem nuper promulgatam non loqui certissimum est. Cyre. P. K. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua, legem perpetuo valituram edictis propositis, ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. IIII. Kal. Ian. Constantinopoli, Valentiniano & Anatolio Conss.

IIII. *Idem A A. Ariouindo Magistro militum.*

QVæ de fori præscriptione nuper saluberrima lege decreuimus, ipsius legis definitionibus demonstratur. sed suggestione tuæ sublimitatis ammoniti, quosdam etiam de apparitionibus magisteriæ potestatis excipi postulante, ad eam quoque partem ordinandam diuina moderatione peruenimus. Itaque neque pulsantes ab aduersarijs suis, vel in amplissimæ præfecturæ iudicio, vel prouincijs, ad præscribendum sufficiat apparitorem se dicere magisteriæ potestatis, exceptis quos obsequijs Magistri militum deputatos, ad alia iudicia, inconsulto suo iudice, trahi non liceat. Per singula officia virorum inlustriũ Magistrorum militum, trecentos excipi lege pridem promulgata decreuimus, quos nec in prouincialibus, nec in Prætorianæ, vel Vrbicanæ Præfecturæ iudicio, sine permissu viri magnifici Magistri militum, litigare conueniet: cæteros omnes qui super prædictum sunt numerum, quasi nec militantes, & apud inlustrissimas præfe-

ctURAS, & apud * Vecarijs Rectores prouinciarum, de quolibet negocio pulſari, & conueniri, & reſpondere, ſine cinguli præſcriptione decernimus. Probari autem apparitores magiſteriæ poteſtatis, neque curiales, neque cohortales, neque cenſibus volumus adſcriptos. Quo autem ſit certum qui trecentorum numero continentur, in ſentētijs vel præceptis quæ apparitoribus magiſteriæ poteſtatis exequenda mādantur, vel in commeatibus, ſi forte quis eorum ad ſua reuerti voluer[illegible], [illegible] me[illegible] i vir[illegible]m magnificum Magiſtrum militum ſubnotare ſancimus, de numero trecentorum eum eſſe cui præcepta vel ſententiæ mandatæ ſunt exequendæ, vel cui ad ſua per commeatum reuerti conceſſum eſt. Si quis igitur conuentus ex ſententia tuæ excelſæ ſedis, vel Vrbicariæ Præfecturæ, vel moderatoris prouinciæ, apparitorem ſe magiſteriæ poteſtatis dicat, nec Magiſtri militum talem ſubſcriptionem protulerit, fori eiuſmodi præſcriptionem in eius perſonam ceſſare decernimus. Quod ſi qualem diximus Magiſtri militum ſubſcriptionem protulerit, ſiquidem ille eſt cui neque a curia, neque a cohortali officio de ſtatu moueatur controuerſia, nec tributa, nec functiones debere firmatur, ſtatim dimittendus eſt, vt pote fori alterius litigator. Quod ſi ab eo proferatur ſæpedicta ſubſcriptio qui a curia, vel officio cohortali de ſtatu patitur controuerſiam, vel ab eo qui vt tributa, vel functiones debens in prouincia detinetur, de eius perſona & ad virum magnificum Magiſtrum militum, cuius ſe apparitorem dicet, & inluſtriſſimam Præfecturam referri decernimus, vt ſi intra quatuor menſes non fuerit a Magiſtro militum cauſa Rectori prouinciæ delegata, tunc ex ſententia culminis tui negotium vel in tuo iudicio, vel apud Rectorem prouinciæ peroretur. Quod ſi apud inluſtrem atque magnificam ſedem tuam poſtulatio contra talem fuerit depoſita, ab ea quoque ſede ad virum magnificum Magiſtrum militum iudicantem, cauſam ordine legum determinari cenſemus. Sed & eo caſu quo apparitor magiſteriæ poteſtatis de ſtatu ſupradicto in prouincia patitur controuerſiam, ſi ſententia vel interlocutio Rectoris pro-

uinciæ fuerit appellatione suspensa, similiter vtroque amplissimo iudice cognoscente, causæ iubemus merita ponderari, licet Magister militum Rectori prouinciæ causam delegauerit perorandam. In cognitionibus * cum autem futuris, omnes ex iure venientes assertiones patribus inlibatas seruari sancimus. Ariouinde Par. K. A. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua legem hanc edictis propositis ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. Prid. Non. Marc. Constantinopoli Cyro. v. c. Cons.

Eodem exemplo Aspari viro inlustri Comiti Exmagistro militum & Exconsuli bis ordinario.

DE NAVIBVS VLTRA DVORVM millium modiorum capacitatem non excusandis. Tit. XV.

Impp. Theodosius & Valentinianus A A. *Florentio Pf. Po.*

SEmina ferendis legibus fragilitas humani generis subministrat: repetitio vero legum nostræ est humanitatis indicium. Siquidem cum priorum aculei aduersus temeratores earum sufficerent corrigendos, ammoneri tamen per legis repetitionem delinquentes volumus, quàm pœnam exigi delictorum. Ideo calcatam legem quæ de nauigijs non excusandis olim fuerat promulgata, suggestione tuæ sublimitatis edocti, humanis sensibus saluberrima repetere scita compellimur, ac iubemus nullam nauem vltra duorum millium modiorum capacitatem ante fœlicem embolam, vel publicarum specierum transuectionem, aut priuilegio dignitatis, aut religionis intuitu, aut prærogatiua personæ, publicis vtilitatibus excusari posse subtractam: nec si cœleste contra proferatur oraculum, siue adnotatio, siue sit diuina pragmatica, prouidentissimæ legis regulas oppugnare debet. Quod etiam in omnibus causis cupimus obseruari, vt generaliter si quid huiusmodi contra ius, contraue vtilitatem publicam quolibet negotio proferatur,

non valeat, cum haud dubie ſubreptionem arguat precatoris. Sed ne præſentis iuris videatur impunita contentio, quicquid in fraudem iſtius legis quolibet modo fuerit adtemptatum, in nauigij quod excuſatur publicatione corrigimus. Florenti P. K. A. Inluſtris igitur & magnifica auctoritas tua, legem perpetuo valituram ad omnium notitiam propoſitis edictis perferri præcipiat. Dat. VII. Idus April. Conſtantinopoli. Theodoſio A. XVII. Conſ.

DE POSTVLANDO ET PERPETVANDA aduocatione. Tit. XVI.

Impp. Theodoſius & Valentinianus A A. *Florentio P. Pōn. Orientis.*

PRouidentiſſime ſuggeſtis lege ſaluberrima ſubuenimus. Eneruaſſe curias vel prouinciarum officia effuſam ampliſſimæ præfecturæ iudicio poſtulandi cupiditatem inlecebris immunitatis accenſam, tui culminis ſuggeſtione comperimus. Diſpoſitiones quoque ſublimitatis tuæ in hoc quoque ſecuti negotio, perpetuó lege valitura decernimus, Curiales qui poſt ſexaginta quatuor priores aduocatos contra licitum in ampliſſimo foro poſtulandi ſibimet vſurpauere licentiam per ſubſtitutum munia ſuæ ciuitatis agnoſcere, nulloque ſacrarum conſtitutionum quæ de aduocatis latæ ſunt, beneficio frui, niſi ad fiſci noſtri peruenerint patronatū. Cum vero aduocationem fiſci ſuſceperint, omnibus alijs * perſeuerātur ſubſtituto curiam non fraudantis vlterius neq; curiali neque cohortali aduocatorum Præfecturæ conſortio ſociamus. Sed quo numerus, vt ſuggeritur, infinitus eorum qui poſt centum quoque & quinquaginta paſſim matriculis continentur, quadam valeat prouiſione deminui, nullum ad aduocationem fori culminis tui poſt hos qui iam matriculis continentur, iubemus accedere, niſi ad centum numerus aduocatorum peruenerit. Hunc etenim numerum, vtpote ſufficientem li-

tibus amplissimæ præfecturæ, nec minui volumus, nec augeri concedimus. Sed ne dura illis qui supra numerum veniunt constitutum longi temporis expectatio videatur, liberam eis ad alia, si voluerint, fora migrandi tribuimus facultatem nulla a minoribus iudiciis præscriptione pellendis. Superest non solum fugiendi prouincias aduocatis necessitatem extinguere, sed etiam amplectendi eas atque in vocationis earum officio perseuerandi ministrare materiam: quod ita credimus euenturum si ipsis quoque aduocationis præmium securitas proponatur, si factiones eorum non timeant contra quos clientibus suis fideliter adfuerunt, si officio amplissimarum potestatum suas non viderint subiacere fortunas. Quamobrem nihil aduocatis prouinciarum vel spectabilium iudicum quis existimet iniungendum, nulla eis inspectio, nulla ingeratur peræquatio, nulla operis extructio, nulla discussio, nullum ratiocinium imponatur, nihil denique aliud eis mandetur * illud præter arbitrium in ea duntaxat prouincia vbi aduocationis exercetur officium: quinquaginta librarum auri pœna Officio feriendo quod legis istius regulas temerare temptauerit. Florenti P. K. A. Inlustris itaque & magnifica auctoritas tua saluberrimam legem edictis propositis ad omnium notitiam peruenire præcipiat, quo præter aduocatos virorum inlustrium Præfectorum, quos ad finem aduocationis specialium priuilegiorum fructus proposita etiam palma dignitatis hortatur, sciant alij lege priore sublata postulandi sibi licentiam datam nullo tempore præscribendam. Dat. XIII. Kal. Maj. Constantinopoli, Cons. suprascript.

DE

DE LENONIBVS.

Impp. Theodosius & Valentinianus A A. *Cyro & Ahyppio* P*f.* Pon. P*m.*

FIDEM de exemplis præsentibus mereantur historiæ, & omni de ambiguitate liberetur antiquitas quæ nobis summos viros prætulisse Rempublicam facultatibus indicauit. Virum inlustrem Florentium præfecturæ Prætorianæ administratione subfultum cernamus, non iam cum maiorum laudibus, sed cum suis magnis in Rempublicam meritis præclari animi æmula virtute certantem, existimationem Reipublicæ non solum consilio suo ac prouidentia sed etiam deuotione ac munificentia pudendæ turpitudinis labe atq; ignominia liberasse. Nam cum lenonum calliditate damnabili circumuentam veterum videret incuriam, vt sub cuiusdam lustralis præstationis obtentu corrumpendi pudoris liceret exercere commercium, & iniuriam sui ipsam quodammodo ignaram cohibere Rempublicam, pio circa omnium verecundiam proposito mansuetudinis nostræ more pudicitiæq; suggessit ad iniuriam nostrorum temporum pertinere, si aut lenones in hac liceret vrbe versari, aut eorum turpissimo quæstu ærarium videretur augeri. Ac licet nos illud aduerteret execrari etiam cessante vicaria oblatione vectigalis, tamen ne vllum ad ærarium incommodum perueniret propriam possessionem obtulit, ex cuius reditibus possit accidere quod prædictum pessimum genus consueuerat pensitare. Vnde prouidentiam & munificentiam eius libenter amplexi, hac mansura in æuum lege sancimus, vt si quis posthac mancipia tam aliena quam propria aut ingenua corpora qualibet taxatione conducta prostituere sacrilegij temeritate temptauerit, in libertatem prius miserrimis mancipiis vindicatis, vel ingenuis personis conductione impia liberatis, grauissime verberatus huius vrbis finibus in qua vetitum nefas crediderit exercendum, ad exem-

plum omnium emendationemque pellatur. Cyre P. K. A. Inlustris igitur auctoritas tua, ea quæ tuendæ honestatis decreuimus gratia, veneratione debita iubeat custodiri, officio amplitudinis tuæ viginti librarum auri pœnam, si præcepta nostra neglexerit, luituro. Dat. VIII. Id. Deceb. Constantinopoli, Theodosio A. XVII. & Festo v. c. Conss.

DE INVASORIBVS.
Tit. XVIII.

Impp. Theodosius & Valentinianus A A. *Pierio Præfecto Vrbis.*

SI Diualium sanctionum nulla peruasorem pœna percelleret, nostris proculdubio remedijs esset temeritas persequenda, ne alieni iuris vsurpator præsumptionis suæ fructu impune potiatur, cum ea quæ disceptationis examinatione decursa posset recuperare, legibus * poscenti festino cupiditatis ardore peruaserit. Mouet siquidem serenitatem nostram viri inlustris Auxiliaris tam iuxta quàm vindicanda conquestio, cuius querelis & subiectorum series fidem tribuit, & magna assertio virtutis multis perennitati nostræ administrationibus comprobata, qui se domus suæ possessione intra vrbem venerabilem positæ nullius litis actione pulsatum per inlustrem virum Apollodorum patefecit esse depulsum, absentiæ videlicet suæ occasione captata, dum si qua precatio fuisset in causa non paruis temporibus Romæ in eadem domo consistens a memorato inlustre viro actione proposita potuerit conueniri: quando hoc quod in prædicto viro inlustri non perspicimus obseruatum, possessorum prætermissa conuentio est, quando domini * sunt denunciata litigia, & de cognito potius negotio expectata sententia: vt quæ patrimoniorum potest esse securitas si totiens insidietur inuasor, quotiens possessores esse contingit absentes? Verum quia inlicitis ausibus videmus quæ sunt pro possessorum quiete salubri-

ter constituta calcari, & frequenter pro multorum negociis specialis querella commouit omnibus profutura decerni, merito præcedentia inclitorum Principum parentumque nostrorum statuta renouamus. Idcirco mansura in æuum lege sancimus, vt quisquis inconuento domino non expectata vel aduersus præsentem vel in contumacem definitiua sententia, possessorem de prædio rustico vrbanoque depulerit, possessione protinus restituta, causæ totius, sicut dudum constitutum est, amissione multatus, æstimationem rei occupatæ mox cogatur inferre: hoc etiam coniuncto vt si iudex in huiusmodi negotiis hanc putauerit sanctionis nostræ dissimulandam ac non in executionem mittendam esse sententiam quæ de inferenda æstimatione prolata est, iustitia statutam taxationem, cum fuerit, accepto successore, priuatus exsoluat. In præsenti vero causa viro inlustri Auxiliari domum restitui iubemus inuasam, omni, si qua viro inlustri Apollodoro competere potuerat, actione consumpta, qui quod legibus debuerat postulari, inconuento possessore peruasit: quem vlterius prosequi lites causasque non patimur earum rerum quas aliis possidentibus non debuit comparare. quique debet in acceptum referre quod ei æstimationem rei de qua agitur nostræ pietatis humanitate concedimus, quæ potuit multiplicium legum securitate deposci. Eas vero mulieres quas aut vendendo litigium, aut inuasioni participando * temeritatem constat negotium non habere, ne qua instaurandi litigij quæratur occasio, omni actione priuamus: non præiudicantibus contractibus, si quos occupatores fortasse cum quibuscunque personis de eadem domo in præiudicium domini inire voluerunt quoniam res peruasa in alium transferri iure non potuit. Restituturum quoque sancimus quæcunque de rebus eius illo expulsionis tempore a quocunque peruasa sunt. Neque enim ita remittimus vltionem, vt diripi aut occultari aliena patiamur. Pieri P. K. A. Quare inlustris magnificentia tua in traditionem ædium peruasarum Marcianum agentem in rebus, vel Officium suum iubebit parere decretis nec vllam saluberrimis præceptioni-

bus nostris tarditatem sub impedimento cuiuscunque personæ patiatur afferri. Vt vero ea quæ pro possessorum omnium quiete sancimus in omnium possint notitiam peruenire, hanc legem nostram amplitudo tua propositis vulgabit edictis. Dat. v. Id. Ian. Rauennæ, Valentiniano A. & Anatolio v. c. Cons.

Idem A. A. *Auxentio.* P. V.

HAbet hoc insitum sollicita æquitatis examinatio, habet secundarum cogitationum subtilior exactiorq; cura, vt si quid in legibus ferendis post impetum primum deliberatio properata deliquerit, hoc consilio propensiore reuocetur. Permittit enim consuetudo ipsa rerum, adstipulantur innumera vetustatis exẽpla multas leges à suis latoribus adempta aut addita parte posse corrigi, multas tractatu maturiore penitus abrogari. Quod nunc de abolenda constitutione decernimus, quam non ante multos menses ad preces inlustris viri Auxiliaris promulgaueramus moti ingesta nobis peruasionis inuidia. Sed quia obsecratio viri inlustris Apollodori nuper attentiores ad æstimandam iustitiam fecit, ob hoc tractatis omnibus & plena æstimatione discussis, propter illa præcipue quæ negotij modũ de quo tunc actum est, supergressa fuerant, & immerito personas mulierum pariter inligauerat, supra memoratam legem præsentis edicti auctoritate remouemus. Auxenti parens Karissime. A. Vnde inlustris magnificentia tua hanc qua præcepti superioris vacuatur incautior definitio, programmatis lectione euulgabit, vt agnosci ab omnibus possit, his quæ in illa displicent, abolitis, id quod solum de vetustate repetitum probabile videtur, priscarum tantum legum definitione seruandum. Dat. VI. Kal. Feb. Rauen. post Consulatum Valentiniani. A.

DE REDDITO IVRE ARMORVM. Tit. XIX.

Impp. Theodosius & Valentinianus A A. *ad Populum.*

QVotiens publica poscit vtilitas vniuersitatis sollicitudinem ducimus aduocandam, vt omnibus profutura impleantur ab omnibus: nec molestum esse id prouincialibus nostris credimusquod pro ipsorum salute disponitur, vt resistendi prædonibus cura subeatur. Gensericus hostis Imperij nostri haud paruam classem de Karthaginensi portu nunciatus est eduxisse, cuius repentinus excursus & fortuita deprædatio cunctis est litoribus formidanda. Et quanuis clementiæ nostræ solicitudo per diuersa loca præsidia disponat, atque inuictissimi principis Theodosij patris nostri iam propinquet exercitus, & excellentissimum virum Patricium nostrum Aëtium cum magna manu adfore mox credamus, cumque vir inlustrissimus Magister militum Sigisundus tam militum atque fœderatorum tuitionem vrbibus ac litoribus non desinat ordinare, tamen quia sub æstiua nauigandi opportunitate satis incertum est ad quam oram terræ possint naues hostium peruenire, singulos vniuersosque nostros monemus edicto, vt Romani roboris confidentia ex animo quo debent propria defensare, cum suis aduersus hostes si vis exegerit, salua disciplina publica, seruataque ingenuitatis modestia, quibus potuerint vtantur armis, nostrasque prouincias ac fortunas proprias fideli conspiratione & iuncto vmbone tueantur: hac videlicet spe laboris proposita, vt suum fore non ambigat quicquid hosti victor abstulerit. Et manu diuina, Proponatur amantissimo nostro populo Romano. & ad latus, Dat. VIII. kl. Iul. Romæ, Valentiniano, & Anatolio v. c. Coss.

NEQVE DOMVM DIVINAM neque Ecclesiam aut aliquam personam quolibet publico munere excusandam. Tit. xx.

Impp. Theodosius & Valentinianus AA. *Maximo.* II. *Pf. Po.*

CVm publice priuatimque in omnibus rebus ac negotijs iustitiam conseruari oportet, tum præcipue in his tenenda est, quæ vectigalium neruos substinent, quæ adtenuatis deuotorum viribus vti*equitatum succurrunt. Quod plurimi respuunt qui domesticis tantum compendijs obsequentes, bonum commune destituunt, quo vera ac solida vtilitas continetur, melius plane ad singulos perueniens cum proficeret vniuersis, maxime exigente hac tributorum necessitate, siue quibus nihil in pace aut bello curari potest. Neque vltra valebit perpetuitas eorum manere, paucis atque defessis imposita sarcina quam potior detrectat, locupletior recusat, & validiore rei cedente solus agnoscit infirmior. Hanc itaque iniquitatem corrigentes primo capite huius sanctionis decernimus, vt omnes quicunque ex iure domus Regiæ, vel pietate mea, vel a qualibet persona sacrarum necessitudinum mearum prædia adepti sunt, siue fructuaria largitate, seu donatione directa, seu commutationis, vel emptionis ratione quæsita, parem cum cæteris possessoribus subeant functionem: in hac sorte numerandis his quoque qui retento sibi vsufructu proprietatem iuris sui venerabilium pignorum meorum, vel pietatis meæ domui contulerunt: quos omnes ea conditione tributa volumus agnoscere, vt nihil sibi ex aurarijs ** vel superindictitijs titulis vindicent, quos ad similitudinem domus nostræ qualibet sacri præcepti impetrauerunt sanctione. Secundo gradu huius legis cauemus, vt quicunque census inlustrium dignitatum, siue Ecclesiasticus, vel in vrbe sanctissima, vel in quibuslibet prouinciis ad

exemplum domus nostræ quocunque præcepto diuersam sibi ab alijs ipsius census quem soluere videbatur, conditionem fecerat, priuilegij exceptione sustineant: nec in arcalibus tantum titulis, sed & his quos sacri vel priuati ærarij partibus deputauit vetustas, ita demum difficultati expensarum exactioniquę inopum diuinam moderationem secuti, gemina salutaris constituti remedia porrigamus. Nunc iam non dissimile superioribus, immo cuius vtilitas pene latius patet, hac edictali lege complectimur sine vlla honorum, personarum, priuilegiorum distinctione generaliter sancientes, vt itinerum reparatio aliaque munia huiusmodi certante studio, quo cum facilius tum firmius impleantur. Hæc enim superioris ætatis Principes & Diuorum parentum nostrorum liberalitas inlustribus titulis redundantes opulentiæ seculi, minore aliorum possessorum pernicie conferebant. Quod quamuis & tunc iniustum, tamen inter initia leuius videbatur. Sub difficultate autem præsentis temporis non modo rei ipsius natura iniquum, sed impossibile paucis ac tenuioribus constat, qui multiplicato suæ alienoque functionis onere depressi procumbent penitus, nisi aliquando idoneorum societate respirent. An forte contumeliosum putandum est inuentum contra rationem nomen munerum sordidorum, quo instauratio militarium virorum, quo armorum fabricatio quo murorum refectio, quo apparatus annonæ, quo reliqua opera per quæ ad splendorem distinctionis publicæ peruenitur, praua appellatione censentur: sine quibus nullus maximarum rerum procedit euentus, quorum amminiculo statum pariter & decus tuemur Imperij, ac, ne singula prosequamur, sine quibus nihil necessarij operis effici potest? Quare repetita clementiæ nostræ præceptione sancimus, vt antiquatis omnibus priuilegiis quæ vel dignitatibus delata fuerunt, vel diuersæ militiæ collegia meruerunt, aut nomine venerandæ religionis obtentum est, omnis vbique census qui non personarum est sed agrorum, ad vniuersa munia a nona duntaxat indictione vt supra deffiniuimus, absque vlla discretione cogatur in quarta parte. Quo quisque honoratior

aut opulentior est eo alacriorem publicis necessitatibus animum debet, quarum sibi procurationem magis intelligit profuturam. Maxime P. K. A. Inlustris igitur & præcelsa magnitudo tua hanc legem consuetæ sibi prouisionis vigore in omnium prouinciarum populorumque notitiam perferre, & celeriter vniuersos diu expectati remedii salubritate iubebit potiri, vt sero saltim difficultati rerum deuotio locupletum pariter ac pauperum iustis æquata partibus libentius obsecundet. Dat. x. Kal. Marc. Rauennæ. Accepta Prid. Idus. Marc. Vbi sup post Consulatum. Valentiniano. A. v. & Anatolio Cons.

DE PECVNIA AFRIS CREDITA & de fideiussoribus eorum. Tit. XXI.

Impp. Theodosius & Valentinianus A A. *Albino.* II. *Pf. Pon.*

SI adflictis Afrorum fortunis, qui omnes facultates suas super acerbissima supplicia amittere sunt coacti, decet miserationem publicam quocunque potest humanitatis genere vel singulis vel in commune consulere, quanto dignius est infortunia eorum contra molestias improbas creditorum clementiæ nostræ remediis subleuari? Quos enim constat pericula famis aliter non posse depellere, nisi ope aliena auxilioque recreentur, quàm magnæ acerbitatis putandum est hos ipsos inopes omnium rerum, & precario victu egentes, compelli ad iniuriam restituere ea quæ improuiso cladis impetu vis maior abstraxit, vbique inter * omnium spolia vindicabit? Et certe solet etiam salua re prodesse debitoribus si quid his calamitatis acciderit. Hic vero vbi omnium fortunarum diluuium, vbi etiam, quod per ignorantiam dominorum latere potuit, intollerabilis inquisitionum cruciatus extorsit, quisquam dubitare poterit quin inhumanitatem superet hostilem, si quis quod integris & florentibus dederat, nunc ab spoliatis,

ſpoliatis, egentibus & extorribus patriæ recuperare conetur, nec eos vereatur exigere quos erubeſcendum eſt non iuuare. Albine P. K. A. Ob hoc inluſtris & præcelſa magnificentia tua pragmatici noſtri ſecuta pręceptum, ſciat miſeriarum circa Afros intuitu clementiam noſtram ſtatuiſſe, vt nulli nomine cyrograforum creditæ pecuniæ, ſiue fideiuſſorum vſque ad recuperationem rerum ſuarum quolibet pulſante teneantur: pro quibus neque fideiuſſores neque mandatores eorum quolibet genere obligatos inquietari volumus, qui plerunque a creditoribus nomine debitorum conueniri pro arbitrij ſui interpretatione cōſueuerunt. Quæ forma circa eos debitores ſeruabitur quos cum patria omnia ſua amiſiſſe conſtiterit, hoc eſt, exceptis qui alibi locupletes atque idonei non debent vti excuſatione miſerorum. De his quoque quæ intra prouinciam geſta ſunt, in qua liberum modo non eſt ſub quolibet cauſarum vel litium titulo ſolitum ius a quoquam conuentionis exigere, amiſſis aut relictis ibidem neceſſarijs inſtructionibus nemo pulſabitur, niſi forte alia euidenter adprobatione doceatur. Quod obſeruari volumus, ſicut dictum eſt, vſque ad illud tempus quo qualibet ratione atque euentu patriæ vel propriorum recuperatio optata contigerit. Illud etiam pari iuſtitiæ ratione ſeruandum eſt, ne creditæ pecuniæ cuiuſlibet temporis a perſonis quarum ſupra infortunia expreſſa ſunt, vſuræ penitus poſtulentur, cum abundare debeat creditoribus, ſi * poſtremum integrationem ad ſortem potuerint peruenire. Quæ vt inuiolata ſeruentur multa decem librarum auri diſpendio ferietur quiſquis contra ſtatuta nominis noſtri quæ circa Afros moti ærumnis protulimus, venire temptauerit. Quam rem & his ipſis rationabilem videri poſſe credimus * æquitatis tramitem ſtimulis cupiditatis animum deprauantibus vel nolunt tenere vel neſciunt. Data XIIII. Kal. Nouemb. Maximo II. & Paterio v. c. Conſſ.

DE TRIBVTIS FISCALIBVS, ET DE ſacro auditorio & de cæteris negotijs. Titulus XXII.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Albino Pf. Pon.*

NVmidarum & Maurorum Sitifenſium nuper acta legatio, quam Palladius v. c. Comes & Tribunus & Maximianus vir laudabilis probabiliter exſecuti ſunt, huius legis præceptum de noſtra perennitate promeruit. Proinde quia æquum eſt ægris prouincialibus & publica clade vexatis humanitatis noſtræ beneficijs ſubueniri, hunc tributi modum ab his magnitudo tua ſperandum eſſe cognoſcat, vt retractis ſeptem partibus, octauam tam priuatæ quam emphiteuticæ glebæ poſſeſſor agnoſcat: Pro qua octaua omnibus titulis ad vnum redactis quos poſſeſſor vel ciuis quolibet nomine pręſtare conſueuerant, quatuor millia ducentos tantum ſolidos & mille ducentas militares annonas & ducentum capitum Numida prouincialis exſoluat, aut prædia domus diuinæ quæ a perpetuarijs detinentur ſimili modo octauam partem inferant etiam argentariæ functionis. * De colone vero ſtatuimus vt quinque centiſſimis * due ruſi * canienſes & coluane * ciuitatibus tres ſacris largitionabilibus inferantur, de ſalinis, alumine, caractere, herba rubea, lini maceratura & claui vitrei tantum titul * a ſacris largitionalibus pro numero hominum & poſſibilitate poſcantur, ob hoc actu vel cura curialibus penitus remotis, quintam omnibus quæ iugijs etiam domus pietatis noſtræ vel neceſſitudinum noſtrarum recedit ſuperfunditur cunctis poſſeſſoribus ſit promiſſa ſumma quæ ad arcam defendentes impleatur. Quæ omnis exactio per prouinciale procuretur officium a curialibus ſubmota moleſtia. Ha: autem militares annonas cum prouinciales pro longinqua difficultate itineris in adæratione perſoluerint, vnius annonæ adæratio quatuor per annum ſolidis æſti-

metur. Ne vero necessitatis occasione in expeditione milite constituto carioris cuiquam vendere liceat pretia necessariarum rerum, sub hoc modo quo annonam adæramus, iubemus ferri, id est tritici ad singulos solidos Italicos modia quadraginta, & * carnes pondus CCLXX. vini sextaria Italicos ducentos. Mauri vero Sitifenses seruatis omnibus priuilegiis dudum sibi a retro Principibus indultis pro omnibus titulis totius annonæ nomine quinque millia solidorum & quinquaginta capitum in annonis Ducis consueto tempore annua functione dependant, pro octaua portione soluturi quod tributum erit, exceptis prædijs diuinæ domus, quæ tamen exemplo Numidiæ prouinciæ conlatura sunt possessiones. Desiderijs vero quæ probabiliter insinuata sunt auribus nostris singillatim responsa præstamus, ne cuiquam passim titulos in prædijs proprijs vel alienis, vel pietatis nostræ nomine, vel sacrarum necessitudinum nostrarum, vel cuiuslibet alterius fas sit adfigere. Itaque & si qui post recuperationem prouinciarum impositi reperiantur, illico a possessore prædij deponantur, eosque hæc pœna teneat, vt si quis suo fundo adposuerit titulos, quinque libras auri fisco nostro cogatur inferre: si alieno amisso secundum petitionem quæcunque ei competit, decem libras auri qui fuerit titulos adposuisse conuictus, exsoluat. Interest etiam publicæ commoditatis ne vexatæ prouinciæ ambitione extraordinaria subruantur. Ad has itaque prouincias præter Ducem vel Consularem & Præsidem (qui vetustatis priuilegio ordinariorum iudicum nomen obtinent) nec curiosos litorum nec quemquam sub alicuius actionis occasione illuc dirigi sublimitas tua aspirare patiatur. Ne quis vero de hac ipsa * veritate colonorum clericus vel militiæ priuilegio se existimet excusandum, superioris legis quæ hoc inhibet formam præcipies custodiri. Præterea Constantiniensis ciuitatis plebi vel curialibus concessa dudum priuilegia debere seruari, ita vt aquam ciuitatibus deputatam ad priuatos vsus non liceat vsurpari. Loca quoque publica si sine legitimo præcepto ab aliquo tenentur, pristino iuri oportere restitui. Aduo-

catis vero intra Africam manentibus non debere imputari ad annorum numerum tempora incursibus interrupta Barbaricis: quæ tamen cum expleuerint clarissimatus honore potiantur. Illud etiam permoti iustis allegationibus libenter adnuimus, vt quia publico infortunio ad paucos redactus est ordinum numerus, in municipalium confectione gestorum sit firmitas, si apud tres curiales publico fuerint exceptore præscripta. cautiones quæ expensarum nomine * viri Octauiano emissæ sunt cognitis * proces nostros causis earum, iusta ratione vacuamus. Quicunque etiam intra prouincias Africanas ad ius nostrum pertinentes, a cuiuslibet iudicis sententia prouocauerint (quoniam decreti antiquitus cognitoris cessat officium) inlustri vrbis Præfecti examine ex appellatione se nouerint iurgaturos. Sed quia transmarinæ regionis sunt, inducias temporis annum debere præstari. Illud etiam iustitiam petitionis secuti salubriter ordinamus, vt quoniam * politaris opera tunc maxime necessaria est si in limite constituta Barbarorum discursibus opportune semper occurrat euagandi ex domini locis licentia denegetur: ne tamen hi quibus in Mediterraneo familia est atque possessio a domiciliis propriis penitus excludantur, per annum huiusmodi limitibus vnius mensis inducias debere concedi. Erit etiam solicitudinis Ducis prouinciæ ne cuiquam ad occasionem vexandarum prouinciarum armatos habere liceat, nisi forte his qui sub periculo proprio laudabili animositate contra hostem manus suas viresque promiserint pro vtilitate communi, quorum animositatem mite * regendam esse censuimus, vt quicquid de præda hostium conquisierint sibi habeant, exceptis hominibus quos se prouinciales docuerint perdidisse. Iudicibus vero administratione perfunctis ante exactos tres menses discedendi de prouincia licentia denegetur: ita vt coram positus bene actæ rei fruatur laudibus, aut certe, si direptionis alicuius docebitur conscius, discessus celeritate se non subtrahat. Albine P. K. A. Inlustris & præcelsa magnificentia tua ad vtriusque prouinciæ legationem beneficia præsentis legis propositis vulgabit edictis, vt releuati concessa co-

gnoſcant, iudices ſtatuta cuſtodiant, prohibiti interdicta non ambiant. Emiſſa. Dat. xi. Kal. Iul. Romæ. Valentiniano. A. vi. & Numo. v. c. Conſulibus.

DE PRETIO SOLIDI, ET NE QVIS ſolidum integrum recuſet. Tit. XXIII.

Impp. Theodoſius & Valentinianus A A. Edictum ad populum Vrbis Romæ.

FRequens ad nos, Quirites, temerarij auſus querella peruenit, vt in parentum noſtrorum contumeliam, inſigniti ſolidi eorum nominibus, ab omni emptore recuſentur: quod diu impunitū eſſe non patimur. Hoc ergo edicto agnoſcat vniuerſitas, capitale manere ſupplicium ſi quiſquam vel domini patris mei Theodoſij, vel ſacrarum neceſſitudinum noſtrarum, vel ſuperiorum principum ſolidum aureum integri ponderis refutandum eſſe crediderit, vel pretio minori taxauerit. Vir autem inluſter Præfectus vrbis eiuſque officium decem librarum auri diſpendio ſubiacebit, ſi quemquam contra hoc ſtatutum veniſſe fuerit adprobatum. Quo præcepto etiam illud in perpetuum volumus contineri, ne vnquam intra ſeptem millia nummorum ſolidus diſtrahatur emptus a collectario ſeptem millibus ducentis. Æquabilitas enim pretij & commodum venditoris & omnium rerum venalium ſtatuta cuſtodiet. De ponderibus quoque vt fraus penitus amputetur a nobis aguntur exagia quæ ſub interminatione ſuperius comprehenſa ſine fraude debeant cuſtodiri. Et manu diuina, Proponatur amantiſſimo noſtri populo Romano. & ad latus, Data xv. Kal. Febr. Romæ, Valentiniano v. A. Cos.

DE CORPORATIS VRBIS ROmæ qui ad militiam vel ad clericatum tranſeunt, reuocandis. Tit. XXIIII.

Impp. Theodoſius & Valentinianus A A. *Auxentio.* II. *Pf. vrbis.*

QVæcunque vtilitatem ſacratiſſimæ vrbis reſpiciunt oportet clementiam noſtram ſalubriter ordinare. Prouidentiam itaq; amplitudinis tuæ & geminis faſcibus comprobatam ſuggeſtionem ſecuti, Auxenti P. K. A. * Inluſtris magnificentia tua pragmatici noſtri tenore comperto ſciat corporatum vrbis Romæ qui non expleto ordi e cœpti officij priuſquam ad primum * iter fauos locum emeritus peruenerit, ad militiæ cuiuſlibet cingulum ſe credidit transferendum, corporibus cui nomen ſuum ante dicauerat, oportere reuocari: ſiue etiam in clericorum numero reperitur vſque ad diaconis locum ſimilis præcepti conditio teneatur, quatenus neceſſitatibus vrbis venerabilis hoc ſalubri conſtituto reſtitutis miniſterijs conſulatur. Dat. XVIII. Kal. Maj. Romæ. Valentiniano A. VI. & Numo V. C. Coſſ.

DE NEGOCIATORIBVS. Titulus XXV.

Impp. Theodoſius & Valentinianus A A. *Floriano.*

INter cætera queis perennitatis noſtræ manſurum ſæculis ordinamus Imperium, hoc quoque & ærarij noſtri commoda tueri poſſe ſalubri ſuggeſtione probamus, quod maieſtatis noſtræ ſancimus oraculo, ne vlterius furtiua negotiatio & claris vrbibus rarum faciat mercatorem, & obſcuris ac reconditis locis in damnum publicæ functionis lateat turba

mercantum. Floriane P. A. Idcirco inlustris auctoritas tua pragmatici nostri tenore comperto sciat iuxta suggestionem suam, omnes qui declinatis vrbibus per vicos portusq; quamplures possessionesque diuersas exercent negotiationis officium, pro ærarij nostri commoditate retinendos, secundum modum quem iustitia suaserit aurariam functionem cogantur agnoscere: grauis multæ condemnatione proposita his qui huiusmodi negotiatores in fiscale dispendium putauerint contuendos. Æquum enim est eum qui præceptis nostris crediderit obuiandum facultatum suarum subire discrimen. Data VII. Kal. Maj. Romæ Calipio V. C. Cons.

DE RESCINDENDIS VENDITIONIBVS rei Dominicæ. Tit. XXVI.

Impp. Theodos. & Valentinianus A.A. *Eudoxio*. C. R. P.

AMorem circa Rempublicam sublimitatis tuæ suggestio nuper oblata testatur. Quippe si obseruatione diligenti fuerit custodita, reditus nostros inhibet à diminutione perpetua. Occupationibus etenim nostris quibus pro mundi commoditatibus occupamur, abuti quorumdam noxia cupiditas non sinit, qui paulatim canonem possessionum ad diuinam nostri nominis domum pertinentium comparantes, sub specie contractus furtiua subreptione patrimonium nostrum exhauriunt. Hac itaque perpetuo lege valitura sancimus, nullum adempto canone ad comparationem dominicæ possessionis accedere. Quod si quis post hanc legem ad interdictum contractum accesserit, eum volumus præperdere, fundos reddere, fructus redhibere perpetuos, nec expensarum vel melioratæ rei fructuum exactioni compensationem opponere, nec temporis sibimet contra commoda præscriptione blandiri. Palatinum etiam officium si quo modo contractus eiusmodi fuerit celebratus, vel si talem petitionem instruxerit, quinquaginta pondo auri pœnæ nomine in-

ferre priuato nostræ maiestatis ærario, nulla liberalitate nostræ clemētiæ, nulla sanctione contra tanta priuatæ rei commoda valitura, licet adnotatio vel diuina pragmatica sit, quæ contra vetita canonem vendi concedet, vel pœnam Palatino remittet officio. Eudoxi P. K. A. Inlustris itaque auctoritas tua legem hanc edictis propositis ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XIII. Kal. Iun. Constantinopoli, Anatholio v. c. Cons.

DE SCOLARIBVS, COMITIBVS scolarum & de domesticis eorum. Tit. XXVII.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Florent. Magistro Officior.*

SColarium nostrorum deuotio probata nostris parentibus, circa nostræ maxime serenitatis affectionem innituit. Inde quicquid ad fouenda seruandaue eorum priuilegia postulatur, statim credimus admittendum. Inde suggestionem tui culminis adprobantes. V. V. S. S. Comitibus scolarum verberandi regradandiue senatores ac ducenarios licentiam denegamus. Ea namque quæ tali commotione digna sunt, ad tuæ sublimitatis volumus deferri notitiam. Domesticos etiam eorum a gradibus lege præterita designatis, fieri non senatores vel ducenarios centenariosue decernimus. Quam super his obseruandis pœnam circa temeratores statutorum præmissa tua statuit celsitudo, vt quinque librarum auri qui de gradibus supradictis ad indebitum domesticatus accedit officium, decem librarum auri scrinium Barbarorum, si tale quid vel adtemptari passum fuerit vel adtemptatum contra legem non suggesserit, quinque etiam librarum auri V. S. Com. scolæ si quid aduersum hanc legem vel commiserit, vel committi concesserit, percellatur, firmam per istius quoque legis auctoritatem esse præcipimus: eum, qui contra vetitum ad domesticatum quoquomodo temptauerit adspirare, post

quinque

quinque librarum auri condemnationem, militia quoque pelli non immerito decernentes. Illud etiam obseruari non sine ratione conueniet, ne quis cui domestici officium per militiæ gradum quinquennij tempus interdici censuimus, familiaritate Comitis simulata, rem prohibitam alieno nomine valeat vsurpare. Florenti P. K. Inlustris itaque auctoritas tua legem hanc perpetuo valituram ad deuotissimorum scolarium notitiam perferri præcipiat. Dat. xv. Kl. Mai. Constantinopoli * v. c. Cons.

DE LOCIS REIPVBLICÆ QVOQVOmodo possessis, ciuitatibus restituendis. Tit. XXVIII.

Impp. Theod. & Valentin. A A. Apollonio Pf. Po.

CVm summo studio totisque viribus nitamur ciuitates ditioni nostræ subiectas in perpetua fœlicitate versari, nihil tam iniquum esse neque a nostris temporibus dissentiens arbitramur, quàm si eas aduenticijs quidem subsidijs adiuuari vellemus, proprijs vero facultatibus nudari spoliarique patiamur. Quapropter cum vocati causa per Heracletantem ciuitatem transitum faceremus, petitionibus ciuium eiusdem maxima sumus cum miseratione, commoniti qui tam murorum suorum quam aquæductus nec non etiam aliorum operum publicorum, vtpote longo tempore neglectorum, curam fieri oportere nostris prouisionibus flagitarunt. Et quoniam sæpe ab vna ciuitate vel homine postulatum remedium, generalem solet formam correctionis adferre, horum desiderijs annuentes, liberalitatem nostram ad omnes prouincias ducimus propagandam. Tunc enim maxime vota proficiunt cum statui Reipublicæ, quæ causa votorum est, consulatur. Omnibus itaque consilijs diu nostro animo volũtatis, nullam salubriorem causam reuocandæ pristinæ beatitudinis inuenimus, quam si prædia tam vrbana quam

ruſtica, nec non etiam tabernæ quæ ad ius ciuile pertinent & a quibuſdam quolibet modo intra triginta annos abhinc vero numerandos, detentæ ſunt, vniuerſis ciuitatibus adſignentur: exceptis videlicet tantum his quæ vel a procuratore diuinæ domus, vel a viro inluſtri comite * reperta iuſſu noſtræ clementiæ, vel communi conſenſu ciuitatum cum ſcripturæ interpoſitione diſtractæ ſunt Nemo igitur quodcunque memorati iuris, præter ciuitates quas ſui iuris volumus opibus frui, ſibi deinceps exiſtimet poſſidendum, ne propoſitum noſtræ pietatis offendat, quod diuinitus nobis in mentem veniſſe confidimus, & credimus quidem noſtris præceptionibus deuulgatis neminem tam incautum eſſe, vt diſpoſitionibus noſtris obuiam ducat eſſe veniendum. Verum quaſi nulla pene res adeo tuta atque inuiolata eſt contra quam hominum naturalis auiditas nonunquam aliquid exiſtimet moliendum totius rei perfectionem amplitudini tuæ, cuius prouiſionem amoremque circa Reipublicæ commoda ipſis rerum documentis ſæpe ſumus experti, vna cum viro inluſtri magiſtro officiorum, cuius adminiſtratio probatiſſima nobis eſt, delegamus. Appoloni P. K. A. Inluſtris itaque auctoritas tua certo ſcitura quod tam nobis hæc cauſa huiuſque rei efficacitas cordi eſt, vt omnibus eam pene aliis præponamus, quæ per hanc diuinam legem ſancimus, ad omnium prouinciarum notitiam edictorum propoſitione peruenire conſtituat, quatenus ſumma cum celeritate modiſque omnibus impletur. Dat. XI. Kal. Iul. Frodoſiadæ Maximo II. & Paterio V V. C C. Conſulibus.

DE AMBITV ET LOCIS LImitaneis inibi redhibendis. Tit. XXIX.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Numo magistro officiorum.*

CVm nulla pene res adeo parua sit, quæ non plurimum prouisionis de nostra clementia consequatur, præcipuam militibus curam impertiendam esse censemus, quibus maxime communitur vniuersa respublica. Hæc enim vna res diligentissime procurata multarum nos rerum sollicitudine relaxabit, nec singulis cogemur adhibere medicinam, si generali remedio cuncta sanemus. In primis itaque duces limitum & precipue quibus gentes, quæ maxime cauendæ sunt, adpropinquant, iudicio nostræ clementiæ prouehi volumus, quorum integritatem, fortitudinem, vigilantiam, prolata rerum documenta commendant, capitali pœna videlicet ambitus libidine restinguenda. Eos igitur quos nostra æstimatio sicut iam dictum est promouendos esse censuerit in ipsis plerunque limitibus commorari, & milites ad antiquum redigere numerum, imminentibus magisterijs potestatibus diuturnisque eorum exercitationibus inhærere præcipimus: castrorum, quinetiam ipsis luxuriarumque pro antiqua dispositione curam refectionemque mandari, quibus cum principe castrorumque præpositis pro laborum vicissitudine limitanei tantum militis duodecimam annonarum partem, distribuendam videlicet inter eos magisteriæ potestatis arbitrio deputamus. De Saracenorum vero fœderatorum aliarumque gentium annonariis alimentis nullam penitus eos decerpendi aliquid vel auferendi licentiam habere concedimus. Sciant plane, quod si quid amplius quam eis ex nostra auctoritate statutum est, audeant vsurpare, vt pote super exactæ pecuniæ violatores & ipsi facultatibus suis & tui culminis dispositione limitibus adsignandis pœnam gladij sustinebunt: & qui

tanti flagitij, vel potius proditionis publicæ miniſtros participeſue ediderint, pari ſupplicio ſubiacebunt, nullum effugium nec ſacra adnotatione, nec lege pragmatica diuinisve mandatis, nullam ſpem ſalutis habituri. Viros autem inluſtres magiſtros militum priorem integritatem ſuæ adminiſtrationis imitaturos in poſterum quoque ab omni limitaneorum militum ac fœderatarum gentium concuſſione temperaturos, ſuaque officia prohibituros eſſe confidimus. quod ſi quid huiuſmodi fuerit perpetratum, apparitiones, quæ his obſequuntur quadrupli ſolutionem agnoſcere hiſdem limitibus imperamus. Idem ipſis quoque viris eminentiſſimis magiſtris militum amicum eſſe non dubium eſt, qui ſemper omnia ſua compendia pro ſalute reipublicæ contempſerunt. Quis enim dubitat eos communem ſtatum ſuis opibus prælaturos, qui defenſione ſtrenua bellicisq; conflictibus imperium noſtrum ſuo ſæpe ſanguini prætulerunt: vniuerſis videlicet, qui hoc nefandum atque inlicitum facinus perpetrare temptauerint, adeo tam ſacræ adnotationis quam legis pragmaticæ, mandatorumque noſtrum ſubſidio, etſi aliqua forſitan obreptione meruerint excludendis: vt neque intimatio licet admiſſa fuerit, penitus proſit, & duces ſeu magiſtros militum, vel cuiuſlibet iudicis, qui inſinuationi annuerit officium, cum centenarum librarum auri damnatione vlterius * quam ſummam ad eorumdem limitum refectionem volumus proficiſci. Agros etiam limitaneos vniuerſos cum paludibus, omnique iure, quos ex priſca diſpoſitione limitanei milites ab omni munere vacuos ipſi curare pro ſuo compendio atque arare conſueuerant: & ſi in præſenti coluntur, ab his firmiter ac ſine vllo concuſſionis grauamine detineri: & ſi ab aliis poſſidentur, cuiuſlibet ſpatij temporis præſcriptione ceſſante ab vniuerſis detentatoribus vindicatos, hiſdem militibus ſine vllo prorſus, ſicut antiquitus ſtatutum eſt, collationis onere volumus adſignari. In his etiam contra eos qui præceptionibus noſtris obuiam venire temptauerint, eadem pœnarum acerbitate, quæ aduerſus ducum auiditatem prolata eſt, valitura. Nam ſi quis forte, quod minime audere debuerat, emptionis titulo memorati

iuris possidet prædia, competens ei actio aduersus venditorem intacta seruabitur. Id autem curæ perpetuæ tui culminis credidimus iniungendũ, vt tam Trachi quam Illyrici nec non etiam orientalis ac Pôtici limitis, Ægyptiaci insuper, Thebaici, Lybici quemadmodum se militum numerus habet, castrorumque ac lusuriarum cura procedat quodannis mense Ianuario in sacro consistorio significare nobis propria suggestione procures, vt vniuscuiusque tam industria quam desidia nostris auribus intimata, & strenui digna præmia consequantur, & in dissimulatores competens indignatio proferatur. Credimus namque quod re militari ad eum modum quem disposuimus obseruata, quocumque terrarum se hostis mouere temptauerit, victoria nobis propicia secundi numinis voluntate nuntiabitur, ante quam prælium, Nume frater A. Inlustris igitur auctoritas tua, cuius integram fidem rebus ipsis experta est nostra perennitas, hanc generalem saluberrimamque nostræ clementiæ sanctionem obseruationi perpetuæ, effectuique mancipari præcipiat, & edictis vbique propositis ad omnium notitiam venire perficiat. Dat. Prid. Id. Sept. Constp. Maximo II. & Paterio coss.

DE METATIS. Tit. XXX.

Impp. Theodosius & Valentinianus A A. *Numo magistro officiorum.*

CVm inter multa priuilegia quæ militaribus detulit viris antiqua prouisio, habitaculis etiam eorum certæ portionis domorum sorte prospexit: nos a quibus familiare est vniuersa negotia competendi temperatione disponi, suggestione tuæ magnitudinis moniti ita hospitijs militantium volumus esse consultum, vt tamen honore præditis in exactionibus ædium debita dignitati reuerentia conseruetur. Meminimus quippe nos diuina promulgatione tam consularium virorum quam præfecturæ infulis ornatorum cætero-

rumq; inluſtrium, nec nō etiam ſilentiariorum certas domos in hac ſacratiſſima vrbe ſitas metatorum præbendorum onere liberaſſe: cui nunc addi opportere cenſemus, vt his conſularibus qui hoſpitijs etiam patriatus exultant, * terrenarum domorum excuſationis licentia concedatur. In hæredibus etiam eorum quibus excuſationis ius datum eſt, immunitatis ædium priuilegio pro tenore ſacratiſſimæ conſtitutionis quę ſuper hac re loquitur, firmiter valituro. Sed ne liberalitate noſtra latius quam oporteat propagata, vel hoſpitalis commoditas militantibus abnegetur, vel nihil emolumenti referatur in publicum, id in primis ſtatuendum eſſe cenſemus, vt ſi quis vel ius excuſandarum ædium non habens, vel licet, in pluribus tamen domibus quàm ex ſacratiſſima conſtitutione conceſſum eſt beneficium excuſationis ratione res ſit immunis, ſeu ſacro oraculo, ſeu quocumque modo vel iam conſecutus eſt, vel conſequetur in poſterum, tertiæ partis domus, ſuper quem oportuit numerum, excuſatæ penſionem arbitrio tui culminis in rationes publicas conferre cogetur, vt aurum ex huiuſmodi titulo profligatum pro iuſſu noſtri numinis cura tuæ ſublimitatis, quo viſum nobis fuerit, erogetur. Idque in omnibus huius almæ vrbis domibus cuſtodiri decernimus: cæteris videlicet omnibus, qui metata in ſuis domibus præſtant, ſiue hoſpitia præbuerint, metatoribus, ſeu quolibet pacto ſatis eis fecerint, nullam vel penſionis vel diſcuſſionis domus gratia moleſtiam ſuſtinere cogendis. Deinde neminem volumus cuiuſlibet loci vel ordinis in hac florentiſſima vrbe domum propriam excuſantem, metatum ſibi in alienis domibus priuilegio militiæ vindicare. Et his quidem quibus iam præbendi metati immunitatem inluſtris fauor dignitatis indulſit, licet vacantis militiæ cingulo vſi ſint vel vtantur, vel honorariæ prærogatiuæ potiantur inſignibus, inuiolata, vt cautum eſt, excuſationis iura largimur. In poſterum vero hi quidem quibus inluſtrem dignitatem ius actæ adminiſtrationis adtribuit, domos ſuas pro modo quem ſacratiſſima conſtitutio præfiniendum cenſuit, excuſabunt: cæteris vero quibus inluſtris dignitas cum cingulo vel

citra cingulum pro ſolo honore delata eſt, excuſandarum ædium licentiam penitus denegamus. Hoc iuris in his etiam præcipimus obſeruari, quos ipſa quidem adminiſtrationis conditio ſpectabiles nouit, honor tamen additus à noſtra liberalitate reddit inluſtres: excepto videlicet viro ſpectabili primicerio notariorum, cui volumus in excuſandis ædibus inluſtrium magiſtratuum priuilegium conuenire. Sed & ſi quis iam inluſtrem dignitatem inter vacantes vel honorarios conſecutus, domum poſtea in hac ſacratiſſima ciuitate poſſederit, hunc quoque iubemus eſſe priuilegiorum excuſatione alienum. Scituris omnibus, quod ſi quis cum cingulo perfruatur, & excuſationem ita propriæ domus impetrauerit, vt a penſione etiam portionis tertiæ ſit immunis, & militiæ cauſa metatum in alienis domibus ſibi crediderit vindicandum, ſiquidem honore præditus excuſationis ius habeat, carebit legum priuilegijs, quas fraudare conatus eſt. Si vero inter eos, quibus nulla ſuffragatur dignitas, numeretur, centenarum librarum auri ſacratiſſimis largitionibus pendendarum inlatione multabitur, Nume fr. a. Inluſtris itaque auctoritas tua quæ per hanc diuinam legem duximus ſancienda, ſolemniter ad omnium notitiam peruenire conſtituat. Dat. xvii. Kalend. Febr. Conſtp. Theod. a. cos.

DE RELEVATIS, ADÆRATIS vel donatis poſſeſſionibus. Tit. xxxi.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Hermocrati* P P.

PErfecta eſt ac plena liberalitas, quam præſens munificentia communit: tuncque maxime vnuſquiſque tuto ſe confidit habere quod meruit, ſi quod ſingulis ſpecialiter indultum eſt, generali prouiſione firmetur. Cum itaque multorum poſſeſſiones meminerimus noſtro beneficio aliquatenus tributorum munere ſubleuatas, eiſque poſtea certam conceſſæ quantitatis partem, quia id neceſſitas flagitabat,

indictam, vt quod liberalitati nostræ derogatum est non pœnitentiæ potius videatur fuisse quam temporis summa quæ iam ex descriptione inlata est profligatione contentionis in posterum ab huiusmodi exactionis inquietudine liberamus: vt & præteriti temporis pro subleuatis prædijs reliquorum exactio concedatur: & in posterum nulla talis descriptio formidetur. Hoc enim necessario nobis hac generali sanctione fuerat promulgandum, cum multo sit onerosius simul & in aggere coaceruatam soluere quantitatem quam particulatim reddere quod debetur. Hæc tamen liberalitas nostra nihil dispositionis amplissimæ recordationis Antiochi, quæ certam quantitatem ante se releuatis possessionibus nomine canonis indixit, imminuit. Id enim quod iam in canonem cecidit, & anniuersaria debet pensitatione persolui, nec in præteritum, nec in posterum patimur esse concessum: nullique deinceps copia relinquitur inspectores sibi specialiter expetendi, nisi secūdum sanctionem nostram quæ ad viri illustris & consularis Florenti suggestionem emissa est, ex communi ciuitatis aut prouinciæ desiderio postuletur. Indulgentiam vero memoratæ descriptionis & in anteactum & in posterum tempus, non solum in releuatis, verum etiam in donatis, adæratis translatisque seu quodlibet aliud nomen nouæ descriptionis excogitatum est, volumus obseruari, nullamque super his vnquam exactionis molestiam formidari, quibus nō tantum reliqua præteriti temporis relaxamus, sed nec in posterum quicquam innouationis aut oneris addendum esse censemus. Quod & si qua innouatio post administrationem inlustris memoriæ Antiochi facta est, aut aliquid eis indictum esse monstratur, hoc irritum fieri, omnemque innouationem aut indictionem viribus carere decernimus. Sufficere etenim nouimus illud quod inlustris memoriæ Antiochus ante se releuatis, vel adæratis, vel donatis, vel translatis possessionibus nomine canonicæ solutionis indixit: quod suam firmitatē conuenit obtinere in possessionibus tantum videlicet quæ ante eius administrationem huiusmodi beneficium meruisse noscuntur: post eius vero administrationem,

tionem, nec innouationem quandam, nec adiectionem, nec excogitationem contra eos, nec aliquam dispositionem prolatam firmam esse concedimus. Verum & si quis ex auctoritate nostri numinis vel præceptis amplissimæ præfecturæ de fundis patrimonialibus steriles sub certi canonis pollicitatione susceperit, firmiter eum volumus possidere, sub eiusdem tamen canonis solutione, quem nostræ maiestatis auctoritas, aut præceptum magnificæ tuæ sedis per annos singulos soluendum esse præscripsit, nullamque eos descriptionem, aut adiectionem, aut innouationem in posterum sustinere: quoniam nimis absurdum est eos, qui nobis hortantibus aut magnifica Præfectura, fundos inopes atque ieiunos magno labore impenso, aut exhausto patrimonio vix forte meliorare potuerint, vtpote deceptos inopinatum onus suscipere: illud quoque velut quadam circunuentione deposci, quod si se daturos præscissent, fundos minime suscipere aut etiam colere paterentur. Sed vt his qui ante legem datam ex suggestione viri inlustris Florenti possessiones suas releuarunt, magnam libertatem prospeximus omni timore in perpetuum, sicut conuenit, absolutis: ita eos, qui post memoratæ constitutionis tenorem suas possessiones releuare conati sunt, nihil commodi capere volumus. Quapropter sciant omnes qui tale beneficium post huiusmodi constitutionem meruerint, infructuosum sibi hoc esse nullisque licere deinceps contra Diualia statuta, aut releuare suas possessiones, aut adærationem translationemque deposcere: quod & si subreptitijs precibus fuerit impetratum, nihil valere beneficium tale sancimus. Nouerit amplissimæ tuæ sedis officium, quod si aliquando nobis vel suggestio huic nostræ sanctioni contraria porrigatur, vel si legi sacrisve mandatis (si qua forte citra suggestionem his piis dispositionibus aduersa manauerint) obsequatur, & aliquos tanquam debitores ex huiusmodi titulo crediderit exponendos, ducentarum librarum auri se condemnatione multandum. Omnibus enim circa res proprias amputanda tristitia est quibus ex salute nostra vera sensimus gaudia contigisse, vt non minus commoditatibus

domesticis, quam sospitate lætentur. Hermocrates parens Karissime. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua quæ per hac saluberrimam legem pro multorum commoditate statuimus, solemniter edictis vbique propositis ad omnium notitiam venire perficiat. Dat. III. Id. Decemb. Constp. Theod. A. * & Albino viro clarissimo Conss.

DE POSTVLANDO.
Tit. XXXII.

Impp. Theod. & Valent. AA. *Fausto* PP.

GAudemus admodum hæc nobis amplitudinis tuæ insinuatione suggesta, quæ nostris concordare iudiciis priuilegia dudum causidicis delata testantur: quorum vt merita maior beneficiorum nostrorum cumulus augeret, etiam nouis insuper amplificamus indulgentiis. Quo enim impares honore credamus eos quorum vitam, eloquentiam per tot officij huiusce annos non solum priuatorum, verum etiam publicorum iudiciorum explorat auctoritas? Fauste P. K. Inlustris & præcelsa magnificentia tua laudabilium suggestionum suarum contemplatione hoc a nobis in admittendis * retinentur honorandisque causidicis edictali lege nouerit constitutum, vt in eo qui se causidicorum numero optat adiungi, inprimis studia, mores, natales, vel si perfunctus est muneribus quibus patriæ suæ nascendi generositas debet esse munifica, neque per calumniam neque perfunctiora examinatione quærantur. Etenim oportet eos quos semel adsciueris in seminarium dignitatum, omnino ita ad omnia esse edificatos vt idcirco digni vniuersis honoribus habeantur quod aduocati esse meruerunt: quibus ad agendum viginti annos (non vt ad propinquare vicensimum sed vt explere fas sit) legis huius auctoritare decernimus. In prouincialibus vero foris sedecim aut eo amplius numero aduocati sint, & vnum ex his qui in agendo annorum numero præstat, ad Prætorianum forum

ſi hoc præfectura iubeat, auocari: atque omnes ſiue vtriuſque Prætorianæ, ſiue vrbanæ præfecturæ cauſidicos expleto viceſimo, vel ad alium vitæ curſum maturius trãſeuntes, quinto decimo aduocationis anno Vicariæ dignitatis ius poteſtatemque obtinere, ita vt in ſalutationibus noſtris, in conuentibus publicis, omnibus qui poſt ſe Vicariæ poteſtatem adepti erunt, merito præponantur. Neque enim perpetuandam putamus huiuſmodi dignitatem in his qui aduocatione functi ſunt imaginaria aut vacantiua * videri, cum eam non gratiæ ſingulorum ſed ipſi ordini & profeſſioni iudicia noſtra reſtituant, quamuis tam magno, tam neceſſario & tam ſancto officio ſi ſeruetur reuerentia litterarum, etiam hoc peruium eſſe videatur, niſi illis ſaluum eſſet ſperare cum omnibus, quod optimus quiſque ac ſibi bene conſcius de noſtris iudiciis non fruſtra debet optare. Neque enim tali fine meritum proffeſſionis artamus, aut futuræ ſpei intercludimus viam: quin præterita interim remuneratione vt nullus ciuilium officiorum oneribus, aut exactionibus, aut operibus publicis, ad ſuggeſtiones numerariorum vel ad præceptum ſacræ noſtræ, * huiuſmodi hominum meritum, quod ſupra memoratos annos in quolibet Prætoriano ſiue vrbano foro ſtudium probatæ defenſionis impendit, poſt diutinum laborem ſolicitetur quies, prouidebit ampliſſimæ Præfecturæ debita & iuſta commotio, quæ triginta librarum auri condemnatione ab officiis prouincialibus vel ſuo ilico iubebit expoſci, ſi quemquam ex his qui prædicta obſeruatione cauſis patrocinia præſtiterunt, ad huiuſmodi iniuriam ſuggerendum eſſe crediderint. His hoc etiam literatæ militiæ contemplatione præſtamus, vt ſi in familia fuerint conſtituti, quicquid quolibet titulo poſiti in aduocatione quæſiuerint, tanquam peculium caſtrenſe defendant, ne præmium laboris alieni aut in alios transferat aut ſibi vindicet patrum poteſtas. Hanc autem legem edictis amplitudinis tuæ omnibus iudicibus ac prouinciis facias innoteſcere. Propoſita Id. Auguſt. Romæ in foro Traiani, Dioſcoro Romæ v. c. Cons.

DE LAMPADARIIS. Tit. XXXIII.

Impp. Valentinianus A. Opilioni Mag. Offic.

MErito amplitudinem tuam de ſtatutis præceſſorum tuorum contrarijs inter primicerium lampadariorum & ſequentes eius habitis videmus retuliſſe, vt quod pro verecunda moderatione ipſe non poteras, noſtra ſeruaret decretio. Opilio FR. A. Inluſtris itaque auctoritas tua iuxta rationabilem ſuggeſtionem tuam perpendentes & breuia nimis & longiora tempora, hac edictali lege nos ſtatuiſſe cognoſcat vt primicerius Lampadariorum tres annos in * priuatos adminiſtratione conſiſtat, quatenus hoc labore perfunctos, ſequentibus ad proceſſum copia tribuatur, vt neque ille diuturnitate poſterioribus oneroſus exiſtat, neque ſequentes nimia expectatione langueſcant. De abſentibus quæ amplitudinis tuæ ſuggeſtio patefecit, ſerenitas noſtra confirmat, hoc eſt vt ſi biennium ſuis abſuerit vnum ei, triennio duo, quatriennio tres merito * propiet anteponi: ſi vero quinquennio, matriculis eximatur, vt de ſua pœna percellat * & ſedulis obſeruationis ſuæ compendia præmio concedantur. Dat. v. Non. Octob. Romæ, Valentiniano A. VI. & Albino.

DE PRINCIPIBVS AGENTIVM IN rebus. Tit. XXXIIII.

Impp. Theodosius & Valentinianus A A. *Opilioni Magistro officiorum.*

LIbenter accipimus quotiens necessaria subgeruntur. tantum enim laudis est veterum statuta seruare, quantum necessaria prouida mente sanxisse: eadem ratio est præstare beneficia & præstita custodire. Igitur sublimitatis tuæ, quæ magnanimitate sui nostris temporibus proficere iudicat quicquid rationabili sollicitudine prouidetur suggestionem sequentes, agentium in rebus scholæ quorum labores, sollicitudines, vigiliæ tantæ, vt soli quicquid oneris est & profiteri & efficere videantur, hac edictali lege consulimus, vt quæ vetustas pro remuneratione sui præstitit, & intercepta iam diu fuerant, consequantur, scilicet vt inconsulto principe qui ex eadem schola ad obsequia Præfecturæ Prætorianæ post infinita discrimina & consumpta ætatis parte meliore peruenit, primores designati officij nihil vsurpent, neque Præfectianus aliquis summæ sumat militiæ sacramenta, neque matriculis eximatur, præter eius conscientiam atque consensum: ita vt eadem matricula officij prætoriani in principis potestate consistat, & annonis atque emolumentis, principibus nihil per iudicum auaritiam subtrahatur. Debent enim plurimis remedijs adiuuari, quos nouimus, vt ad hoc veniant, plurima pericula sustinere, Opilio Frat. A. Inlustris itaque auctoritas tua, hæc quæ merito constituta sunt, præcipiet pro sua æquitate seruari, vt spe certa recuperandi præmij antiquitus deputati, in necessitatibus publicis fidelius elaborent: quoniam vbi certus fructus est, illic studiosius laborare delectant: multa decem librarum auri statuta, si quis legis huius obuiauerit constitutis. Dat. III. Id. Sept. Raum. Asturio & Protogene vv. cc. Consf.

DE NAVICVLARIIS AMNICIS. Tit. XXXV.

Impp. Valentinianus Epitincavo Pf. Vrbis.



PVblicis commodis & ſacratiſſimæ vrbis vtilitatibus amica ſuggeſtio magnitudinis tuæ, clementiam noſtram more ſolito prouiſionis admonuit, vt nauiculariorum corpori per tot detrimẽta laſſato, remedia præſtaremus: quorum priuilegijs ſufficere conſtituta vetera potuerunt, niſi hæc temeritas inlicitæ vſurpationis infringeret. Epitincane P. X. A. Vnde inluſtris magnitudo tua hac noſtri pragmatici actione cognoſcat, iuxta ſuggeſtionem ſuam nauicularios qui munus proprium diffugerunt, ad corpus ſuum cum agnatione & peculijs reducendos, omni vel coniunctionis, vel obnoxietatis, vel cuiuſlibet perſonæ priuilegio & defenſione ſubmota: eorum qui ſine hæredibus obierunt ſubſtantiam quolibet alienatam titulo ab his vindicari qui memoratæ ſeruiunt functioni. Nauem nec facere nouam nec inſtaurare intra capacitatem quadraginta cuparum liceat, quo hoc munus videtur eſſe ſuſceptum: priuatorum naues legitimæ capacitatis neceſſitatem huius functionis ſingulis curſibus, minores vero binis ſolidis adiuuabunt: vt neceſſarium corpus ſaluberrimæ prouiſionis auxilio ſubleuatum, deuotionem ſolitam redintegratis vrbibus poſſit agnoſcere. Dat. VIII. Kal. Ma. Rom. Valentiniano A. & Auieno V. C. Conſ.

DE SVARIIS, BOARIIS, ET PECVArijs. Tit. XXXVI.

Impp. Valent. & Marc. A A. *Firmino.* P P. *& Patricio.*

NOn miramur inter bellicas curas & obstrepentes lituos ordinatione viri magnifici parentis patricijque nostri Aëtij formam publicæ dispositionis in meliorem statum fuisse mutatam: cuius sollicitudini facillimum effectum præstitit amplitudinis vestræ in æternum consulens laudanda prouisio, quæ sacræ vrbis priuilegijs, & administrantis prouidentia, & optimi ciuis adfectione subuenit, & iamiamque occidui corporis functionem ita salubri dispositione constituit, vt remotis dispendijs nunquam defectum virium deuotio seruientis incurrat: quippe cui per mutationem prouinciarum, exactionis qualitate & pretij moderata adæratione prospexit. Firmine P K A. Inlustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto sciat secundum saluberrimam suggestionem suam quæ ex magnifici viri parentis patricijque nostri Aëtij dispositione processit, patronis corporis suariorum intuitu sacræ vrbis Romæ in primis hoc beneficium debere præstari, vt delegatio quæ his intra prouinciam Sardiniam præbebatur (de qua propter incertum nauigationis inlatio fluctuabat) ad arcam Prætorianam reducta cum alijs prouincijs sub refusione vniuersorum titulorum (qui dispersi antehac plurimum in reliquis habere probantur) de vicinis prouincijs, id est de Lucania sex milia quadrigentorum, Campania M. DCCCCG. L. solidorum debita emolumenta oportet decerni. De boariorum etiam vel pecuariorum præstatione noningentos quinquaginta solidos exactos sibi nouerint profuturos: centum milia æqui ponderis portione de interdictis precijs iuxta priora constituta præbeant, ducentena quadraginta pondo ad solidos secundum promissionem suam inlaturi, quoniam certa emolumenta

amota ſolita dubitatione percipiunt: ita vt centum quinquaginta diebus obſoniorum præbitionem ſine vlla cauſatione ſingulis annis a ſe nouerint procurandam, quæ quantitas in tricies ſexſes centenis viginti octo milibus libris cum duarum decimarum ratione colligitur. In ipſorum autem patronorum ſit arbitrio conſtitutum, vtrum per Prætorianum officium adiunctis ei quinque de corpore ſuo quos elegerint, quibus ducenariam militiam præberi iubemus, an per ſuos tantummodo, ne fortè onerosi ſint apparitores, idipſum munus velint exactionis impleri, non expectata deinceps Prætorianæ ſedis annua delegatione quæ hactenus ſeruabatur: nec ante quicquam de Lucania Samnioque prouincijs arca Prætoriana depoſcat, quàm ſuarijs exigentibus debitum omne ſoluatur. Moderatores prouinciarum eorumque officia ſub periculo facultatum ſuarum diligentiam & efficaciam huic operi commodabunt, vt ea ipſa quæ prouidimus facilius impleantur. Barnio priori corporis cum dignitate lege conceſſa etiam cingulum militiæ iubemus adiungi, quo in rebus ordinandis ſub priuilegio militari maior huic auctoritas ſuffragetur quod circa ſucceſſores eius venientes per ordinem volumus cuſtodiri: quos ad nullum aliud præterea onus conuenit reuocari, niſi huic officio vacantes a cæteris habentur immunes. Suarios ipſos nullius apparitionis neque iniuriæ neque diſpendijs ſubiacere, manentibus circa eos quæ ſuperiora ſcita ſanxerunt. Obnoxias ſane Suario, Boario & Pecuario corpori perſonas ad debita præcipimus cum agnatione, peculijs & prædijs onera reuocari, remotis omnibus quæ ſibi contra leges præſumptio & ambitio vindicauit. In quibus exequendis memoratus Barnius vel ſucceſſores eius fidelem operam commodare debebunt, quo ſtatutis noſtris congruus præſtetur affectus. Deuotos enim ob hoc non ſolum prouiſione, ſed etiam honore duximus adiuuandos, vt ſplendidiores in miniſterio vrbis æternæ ſemper inuigilent, ſuiſque compendijs æſtiment adgregari quicquid iugis procurarit inlatio. Dat. III. Kal. Iul. Romæ, Herculano v. c. Conſ.

DE

DE PRÆDIIS PISTORIIS AFRIS deputandis. Tit. XXXVIII.

Imp. Valentinianus A. *Firmino Pf. Pon. & Patricio.*

AD auditores ſuos beneficia delata reſpiciunt,nec minus plenam gratiam meretur qui præſtanda ſuggeſſit, quam qui ſuggeſta concedat : vnum prouidi iudicis eſt, alterum munificentiæ principalis , & inſinuatio beneuolentiæ titulo præſtando gloriam , cumulat inſinuationis affectum. Cenſeo igitur vt iuxta ſuggeſtionem culminis tui honoratis Afris & poſſeſſoribus hoſtili vaſtatione nudatis iſto remedio conſulatur,vt quod fortunæ impreſſio ſuſtulit ad quantum poteſt largitas Auguſta compenſet. Dulce eſt remedia feſſis optata largiri : & licet habeat inexhauſtum dolorem atque æterna ſuſpiria propriarum amiſſio facultatum, tamen quæ in tam triſti fuerint ſorte conlata, amiſſa ſolantur. Igitur intra Numidiam prouinciam ex deſertis locis de quibus, ſicut celſitudinis tuæ ſuggeſtio loquitur , nihil emolumenti agnoſcet, honoratis & poſſeſſoribus quos prædiximus XIII. millia * ferte centuriarum ſub quinque annorum vacatione concedimus : duo millia præterea ſolidum qui ex titulo vicinarum ſiliquarum , quæ per ſingulas centurias exiguntur, & ſupereſſe fiſco * perire dicuntur , exacta per officium magnitudinis tuæ , ad arcam , ad eandem ſummam , quemadmodum iuxta merita perſonarum per ordinem annis ſingulis diuidi debeant,pro tua moderatione decernas.Et in Sitifenſi & in Cæſarienſi prouincia Mauritania & Numidia prædia iuris emfitheutici & domus diuinæ quæ a Vaculis poſt Vandalicam vaſtationem fuerant competita, & a diuerſis hodie poſſidentur , auferri ab hiſdem cenſeo , & ſub eo inſitationis modo quo nunc tenentur ſubſignatione ceſſante , honoratis Proconſulis prouinciæ Abidiacenæ potius conlocari , quos a Barbaris, ſublatis patrimonijs etiam de ſedibus proprijs con-

ſtat expulſos. De piſtorijs autem prædijs ſtatuo, quoniam his quos Barbaries adflixerat & ob alimoniam ante fuerant lege conceſſa, ad eos tantum debeant peruenire quos ab hoſtibus certum eſt facultates captiuitatis infortunio perdidiſſe iiſdem pulſis quos ad hoc beneficium indecenter conſtat admiſſos: nec liceat quemquam amplioribus quam eius loci ratio poſtulat remedijs adiuuari. Æquum enim eſt vt quos perculſis grauiori ſorte contulimus, iuxta ſingulos diſtributione proficiat, penes quos ſaluo vrbis Romæ priuilegio, hæc humanitas permanebit, donec auſpice Deo Africam redire contingat. Prædia obeuntium, eiuſdem ſcilicet iuris, ad filios eorum quibus data ſunt, ſucceſſionis iure perueniant, ſaluo tamen, vt dictum eſt, priuilegio vrbis æternæ: qui ſi defuncto fortaſſe non fuerint auctoritatem iudicis huic dari præcipio cui magis conſuli iuſta neceſſitas perſuadet. maioribus enim debent beneficijs adiuuari quos dubium aduerſa vehementiora perpeſſos. Firmine. Itaque inluſtris & præcelſa magnificentia tua adſignatos prouinciales ſub programmate ſuo faciat peruenire, vt quanta nobis * doralium cura ſit præſenti lege cognoſcant. Dat. III. Id. Iul. Romæ, Adelfio v.c. Conſ.

DE SVCCESSIONE Curialium. Tit. XXXIX.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Maximo* II. *Pf. Pon.*



N augendo ſtatu vrbium ſingularum, ſeruata catholicæ religionis veneratione, tam præcedentia veterum parentumq; noſtrorum ſtatuta renouamus, quam noſtris legibus obſeruanda decernimus, ne paſſim imminutione municipum, cum numeroſitas ex abundanti clericatus augetur publica damna generentur. Non dubium eſt enim cum non expletis munijs ad obſequium venerabilis myſterij curialis admittitur, reliſum in paucos publicæ functionis onus ne-

quaquam posse tolerari : & rursus migrantibus patrimoniis curialium ad personas quæ functionibus municipalibus non tenentur, propriam ciuitatis nutare substantiam. Propterea præsenti lege sancimus, vt quisquis ante huius sanctionis diem suscepit clericatus officium non expletis vrbis propriæ muniis ac muneribus, in ea quidem qua meruit religionis obseruatione perduret, sed omnia per suffectum tam personalia quam patrimonij onera cogatur agnoscere, facultates suas pro virili portione singulis filijs diuidat, sibimet simili parte seruata. Quod si filios non habuerit duas partes facultatum suarum, præter vllam alienationis fraudem, propinquis ad curiam pertinentibus tradat. Quod si defuerint, easdem octo vncias ordini proprio proficere debere censuimus, quoniam non minor est affectio patriæ quam parentum : tertiam sane propriæ substantiæ seruaturus. Qui vero redditis patriæ muneribus dudum ad officium clericatus accessit, filijs, quos sibi procul dubio curia vindicat, facultatum suarum, sicut iam diximus, virilem singulis portionem tradere non moretur. Qui si filios non habuerit ea quæ superius & de patrimonij distributione talis personę cōstituta sunt, obseruare cogetur. Decet enim eum qui sacrosanctis desiderat inhærere mysterijs, fide magis diuitem quam facultatibus adprobari. In futurum ad ecclesiastica ministeria curialem suscipi præsenti lege prohibemus, vt fiscales necessitates numerositate municipū facilius impleantur. Si quis sane ad clericatus obsequiū etiam contra legum vetita, animi deuotione properauerit, si propriæ non compleuerit onera ciuitatis vniuersa, per suffectum reddere compelletur : simili legis obseruatione facultates suas sicut supra scriptum est, aut cum filijs aut cum propinquis, aut cum patria diuisurus. Quod si expletis munijs sacrosanctæ religionis fuerit ministerio coniunctus, facultates suas viritim filijs distribuere per iudicium mox cogetur, sibimet virilem portionem inter liberos seruaturus. Qui si filios non habuerit, duas partes patrimonij sui propinquis (qui tamen curialitatis oneribus obnoxij sunt) absque vllo imminutionis commento, sicut superius dictum est, sciat protinus

conferenda, omnibus in medium deductis quæ post * hanc rem clericatus in fraudem legis alienanda crediderit: tertiam cui voluerit proprio dispensaturus arbitrio. Quæ nostram serenitatem temperasse humanitatis intuitu vetera legum constituta testantur, quibus omne patrimonium cedere ordini proprio curialis præceptus est, quotiens ad ministerium clericatus eligitur. Illam quoque partem dispositio nostra non præterit, vt quisquis ciuis vel incola deinceps in nullo obnoxius, (cuius tamen substantia trecentorum solidorum non exuberet quantitatem) fuerit repertus, habeat adipiscendi clericatus liberam facultatem. Eum vero cuius patrimonium maiore quam definiuimus æstimatione censebitur, liceat curiæ secundum vetera statuta sociari: exceptis his qui sacris scrinijs nostris & agentium in rebus scholæ militant, & alijs qui continuatæ militiæ obseruatione desudant, vt multis prouisionum generibus ordinum numerus suppleatur, nec tamen desint ministri venerandæ religionis obsequijs. Maxime P. K. A. Inlustris & præcelsa magnificentia tua huius legis saluberrima constituta, sub edictorum promulgatione faciat in omnium notitiam peruenire, vt sacrilegij reatus inuoluat, viginti librarum auri multa percellat, quem non obedisse claruerit edictalibus constitutis. Dat. v. Kal. April. Rauennæ, Theodosio A. xv. & Festo v. c. Conss.

IN DAMNVM PVBLICVM NON valere reſcriptum, nec ſpecialia beneficia generalibus præferenda. Tit. XL.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Maximo* II. *Pf. Pcn.*

VSv rerum frequenter agnouimus ſpecialibus beneficijs generalem deuotionem grauari recedente in reliquos tributorum ſarcina, quæ ſingulis quibuſque ſubducitur, Maxime P. K. A. Et ideo inluſtris & præcelſa magnificentia tua pragmatici noſtri ſecuta decretum, ſciat ſecundum ſuggeſtionem ſuam manentibus his quæ dudum de remouendis ſpecialibus beneficiis cenſuimus. omnia quæ ſpecialiter contra vetitum impetrata ſunt non valere, & functionem publicam æqualiter ab omnibus oportere cognoſci, vt & quod in commune ſtatutum ſalubriter fuerat, perſeueret, nec denuo in hæc ambitus redeat quæ iterata præceptione remouemus. Dat. VIII. Kal. Feb. Rom. Valentiniano A.V. & Anatolio V.C. Conſſ.

DE PANTAPOLIS AD VRBEM ROMAM reuocandis, & qui a tyronum præbitione excuſantur. Tit. XLI.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Edictum ad Populum.*

VRbis Romæ, quam merito caput noſtri veneramur Imperij, intantum nos cura non deſerit vt quieti eius atque abundantiæ modis omnibus conſulamus. Græcos itaque negotiatores (quos Pantapolas dicunt) in quibus manifeſtum eſt maximam ineſſe multitudinem magnamque in emendis vendendiſque mer-

cibus diligentiam, vlterius non patimur sacræ vrbis habitatione secludi, licet eos dissensio & maxime inuidia tabernariorum quam venerabilis Romæ vtilitas a negotiatione submouerit. Idcirco hoc edicto singuli vniuersique cognoscant Pantapolis ad vrbem Romam redeundi negociandique licentiam restitutam, vt cura peruigili vbertas populo ministretur, & in rebus suspectis a maiore multitudine ciuitas possit habitari, ita vt si quis statuta pretia non seruauerit, in eum pro qualitate facti vindicta procedat, nec ob vnius aut alterius delictum omne corpus liceat excludi. Ita enim cura multorum nec abundantiæ deerit, & profutura ciuitati augebitur multitudo. Ex illa sane parte totam solicitudinem omnemque formidinem vestris animis censuimus auferendam, vt huius edicti serie cognoscat vniuersitas, nullum de Romanis ciuibus, nullum de corporatis ad militiam esse cogendum, sed tantum ad murorum portarumque custodiam, quotiens vsus exegerit, inlustris viri vrbis Præfecti dispositionibus ab omnibus obsequendum. Cuius ordinatio etiam in muris, turribus, & portis quæ sunt labefactata restituat, ita vt reparatione murorum vel omnium quæ supradicta sunt nullus penitus excusetur. Illud quoque pro tuendo statu venerandæ vrbis decernimus vt a conlatione tyronum & ab exsoluendis septem solidis per millenas nuper indictis cespes Formonsis, Aëtrinsis, Calcarius & Victurarius habeatur immunis vt propitius deuotionem solitæ functionis agnoscant. Dat. VI. Non. Mar. Romæ, Valentiniano A. V. & Anatolio V. C. Conss.

DE TYRONIBVS ET OCCVLTAtoribus desertorum. Tit. XLII.

I. *Impp. Theod. & Valent.* A A. *Sigisualdo Comiti & Magistro vtriusque militiæ.*

FRequentari sæpius constituta temeritas plectenda compellit, vt excusabilis culpa sit quam etiam recens prohibitio non emendat. Nulli enim concedi fas est si totiens vetita nunc quoque seuerius interdicta, temptauerit. Reparandi feliciter exercitus cura,

conferri debere tyrones a possessore censuimus. Ne qui tamen damni publici abusus occasione lucrum capere se credat de fiscali dispendio, si personam semel insignitam militari titulo ruris colendi causa, vel negotiationis exercendæ gratia, aut cuiuslibet ministerij occasione detinet. P. K. A. Idcirco inlustris & præcelsa magnificentia tua hac nos sciat edictali lege iussisse, quisquis de tyronibus aliquem, necnon prioris militiæ virum proprios numeros & signa deserentem, rustico vrbanoue prædio crediderit occultandum, & ipsum restituat quem celauit, & tres alios aptos militiæ pœnæ nomine cogatur inferre. Colonus, conductor actorue loci, si id ætatis sit vt stipendia ferre possit, militiæ protenus adgregetur. Quod si nesciente domino desertor in cuiuslibet ædibus latuerit, colonum, conductorem, actorem, vel qui id scierit capitali supplicio esse feriendos. Veruntamen ne occasionem calumnij dedisse videamur, si temporaliter habitandi causa miles vel tyro cuiuslibet prædium forte successerit, id seruata moderatione sancimus, vt in tricensimum diem postquam in eodem loco esse ceperit, correptum, is quem superior legis pœna constringit ad ciuitatem quamque proximam deducat, officio publico ac primoribus ciuitatis tradat sub confectione gestorum, ad prouinciæ moderatorem protenus perducendum, vt eius cura ad signa propria reducatur, & pœnis competentibus subiungetur. Iudicem sane si cohibentiam in his exsequendis negligentiamque præstiterit, decem libras auri, eiusq; officium similem quantitatem pœnæ nomine fisco iubemus exsoluere. Quam legem ne quis se ignorasse confingat per omnes prouinciarum ciuitates edictis solemnibus diuulgabis. Dat. XIII. Kal. April. Romæ, Valentiniano A. V. & Anatolio V. C. Conss.

II. *Idem* A A. *Quadratiano Pf. Pon.*

DIspositionem cunctis salubriter profuturam certatim debet omnium præuenire deuotio. Quid enim magis professis est desiderijs expetendum quam vt adiectis viribus,

per dilectum roboris militaris Romanus augeatur exercitus? Quadratiane P. K. A. Vnde inlustris magnificentia tua pragmatici prioris tenore quod de dilecto nouo agitando datum est, senatores vel vniuersos possessores oportere a se conueniri, vt auctores & conductores suos sine vlla tam necessariæ rei dissimulatione his repræsentandos nouerint, quibus per suburbicarias prouincias tyronum congregandorum munus iniunximus, quo facilius ad effectum publicæ vtilitatis valeat perueniri. Quisquis vero conuentus ad eos qui id exequuntur deducere gubernatores agrorum suorum aliqua cunctatione distulerit, cognoscat se decem libris auri multandum, & tyrones eius numeri qui deprehensus fuerit, nihilominus traditurum. Auersum quippe animum a communi defensionis studio iure talis seueritas insequitur. Superest igitur vt animus retardet iniuncta, quia quisquis in hac parte cessauerit sese quodammodo confitetur non esse Romanum. Dat. VIII. Kal. Iun. Rauennæ, Maximo II. & Paterio Conss.

III. *Idem* A. A. *Hisiodoro Com.*

COgit diuersarum rerum necessitas * se quidem pro vtilitate communi vt suggestio sublimitatis tuæ prouida nimis pro qualitate temporis esse videatur. Paruo etenim vnusquisque contemptu sperare debet securitatem futuri. Nec enim graue esse credimus quod oneris contemplatione deposcitur. Hisiodore FR. A. Vnde inlustris auctoritas tua sciat secundum suggestionem suam pragmatici auctoritate firmatam, hoc nos præsenti tantum tempore censuisse, propter imminentium expensarum necessitatem, quibus sufficere ærarij vires nequeunt, id quod conferentes plurimum non grauet, nos parte aliqua valeat adiuuare. Idcirco inlustres vacantes per omnes nostras prouincias constitutos, ternos tyrones in adæratione debere persoluere. Comites quoque consistorianos, vel primi ordinis, necnon Tribunos & Notarios, sed & eos qui administrationes ordinarias in prouincijs gubernarunt, dare singulos oportere: Tribunos verò vacan-

tes

tes siue Comites secundi vel tertij ordinis omnesque clarissimos tertiam partem tyronis agnoscere, ita vt vnius tyronis precium triginta solidis taxetur: exceptis Afris qui hostili necessitate sedibus suis nuper expulsi sunt. Pro excubijs autem præsentibus viginti consistorianos Comites, triginta Notarios immunes esse debere. Gaudere enim debent quos labor suus & desudatæ vigiliæ probabili ratione commendant. Dat. Prid. Id. Iul. Rauennæ, Theodosio A. XVIII. & Albino v. c. Conss.

DE PALATINIS. Tit. XLIII.

Impp. Theod. & Valent. AA. *ad Maximum* II. *Pf. Pon.*

PAlatinæ exactionis enormitas deducta sæpius in querellam, necessitatem nobis formandæ sanctionis imposuit, cuius obstinatio quæ refugere debuit, augere contendit, ad hoc præteritæ impunitatis præsumptione decepta vt continuato scelere grauiores aculeos seueritatis incurrerit. Vnde magnificentiæ tuæ suggestionem numerosis administrationibus & virtutibus congruentem libenter accepimus, quæ possessoribus & negotiatoribus consuli generaliter postulauit, quorum breui deuotio concidisset si quantum fisco inferendum est, aut tantum, aut amplius exigendum sibi auaritia vindicaret, non dissimulandam obiectionem nostris sæculis generans, cùm deuotum publico priuatis vtilitatibus dispendia profutura comitantur. Quapropter sublimis excellentiæ tuæ saluberrimam suggestionem secuti, veneranda in æuum lege sancimus, ne quisquam Palatinorum superindicti vel aurariæ cæterasque ad vtrumque ærarium pertinentes exigens functiones, vltra summam, traditis sibi iuxta præsentem censum de scrinio breuibus comprehensam commodi nomine accipiendum aliquid nouerit aut petendum: cessantibus causarum titulorumque instructionibus factis, quod odio ca-

lumniarum cessare præcipimus, & quos non in vsum publicum sed in auiditatis exemplum calliditas compulsorum * minatur sacrilegij percellandis reatu, proscriptionis etiam supplicio condemnandis, cum huiusmodi vsurpationem probatio confutarit. Quam examinationem atque vindictam si aditi inlustres viri Comites vtriusque ærarij fortasse neglexerint, amplitudinem tuam nobis oportet suggerere, vt neglectas iustissimas prouincialium querimonias vindicemus. Tantum autem nos licentia huius cupiditatis offendit, vt inueteratam vsurpationem resarcire cupientes, moderatores prouinciarum rapinis ire obuiam censeamus, & ad magnitudinem tuam sine vllo metu suæ condemnationis referre. Præterea cunctis excusationibus aditus obstruentes quibus agenda necessario aliquotiens negleguntur, hoc constitutioni nostræ adijcimus, vt inlustres viri ærarij vtriusque Comites a condemnationibus iudicum & curialium nouerint abstinendum, delicta eorum vel dissimulationem tam clementiæ nostræ quam sedi tuæ amplitudinis cum extiterint, ingerentes, quo prædictæ sedis tantum secuta correptio præsentia recitet, futura componat. Quam rem vetustatis & disciplinæ publicæ amore decernimus. Maxime P. K. A. Inl. igitur & præcelsa magnificentia tua edictalem legem & functionibus publicis iugiter profuturam programmate suo in cunctorum prouincialium iubebit ire notitiam, vt agnoscat vniuersitas nostro seculo improbis abusibus nihil licere. Dat. Prid. Non. Iun. Rauen. Valentiniano A. & Anatolio V. C. Conss.

II. *Idem* A A. *Paterio. Pf. Pon.*

CVm pietas nostra ad prouincialium quietem tuendam, simul ad auaritiam Palatinorum, quæ causa nuper fuerat ferendæ legis, arcendam remedia quæreret, data nuper lege censuerat, vt inlustres viri sacri ac priuati ærarij Comites facultatem condemnandorum iudicum non haberent, similiter a desidia ordinum multanda eorum seueritas abstineret,

Sed quia nunc ſuggeſtio magnitudinis tuæ indecorum hoc inluſtribus viris, & inefficax publicis neceſſitatibus explicandis prouiſione neceſſariæ ſuggeſtionis inſinuat, & experiendo cognouimus nec ſatis prodeſſe id poſſeſſorum commodis, & plurimum conſuetis ærarij exactionibus obfuiſſe, abrogatam legem quam prius ſuper his rebus obſeruari ſtatuimus, ius omne ad prædictos inluſtres viros quos longo tēporei am tenebat, inlibatum priſtinæ cenſuræ auctoritate reuocamus, ne qua illis moræ aut negligentiæ excuſatio de expenſarum deſtitutione tribuatur, quibus non ſolum multandorum iudicum, ſed & curialium ſegniciem condemnandi & a rationabilibus * licet auferebatur facultas. & tamen ſub hoc præſepio nullum poſſeſſorum ſeu curialium Palatinorum mancipamus auiditati. De quorum fraudibus ſi quæ extiterint, aut ſi modum veri cenſus ſub occaſione titulorum ad ſe pertinentium ſupergreſſi fuerint & aliquid commenticium præter id quod explorata fides chartarum continet, ſtudio deprædationis inuenerint, iubemus grauatis patere accuſandi eos liberam facultatem: ſed ita vt ad proprios iudices læſorum querella perueniat, hiſque ſolis in eorum commiſſa permittatur inquirere, de quorum factis, ſi qua in reprehenſionem venient, non modo præſentium querellis, ſed & abſentum relationibus inſtruentur. Sane ſi quid eſt quod vindictæ cenſuram exigat acrioris, erit inluſtribus viris Palatinorum iudicibus conſulendæ ſerenitatis noſtræ copia, vt genus vltionis agnoſcant, ſed de his duntaxat criminibus quæ contra ius ſtimulo inlicitæ cupiditatis admiſerint. Pateri P. K. A Inluſtris igitur & præcelſa magnificentia tua hanc omnibus innoteſcere ſanctionem iubebit, remotaque ea quæ de his ordinem ſolitum commutauerat, huic legi, quam nunc ſtatuimus, perpetuo valiturum ſciat robor impoſitum. quippe moderatione & ſtatus prouincialium inuiolatus manebit & decus poteſtatis ſuæ ad geminos iudices reuertetur. Dat. V. Kal. Octob. Spoleti. Dioſcoro & Eudoxio V. C. Conſſ.

III. *Idem* A A. *Floriano* C. S. L.

ÆQuum eſt ſerenitatẽ noſtram prouida oraculi noſtri conſtitutione ſancire, ne aut impune quemquam temerario contemptu deſerta officij ſui militia licuerit ſegnis ocij elegiſſe deſidiam, aut in poſterum propoſita interminatione cauere, ne quis audeat inconſulto iudicis ſui teſtimonio militiæ ſacramenta deponere. Floriane FR. A. Vnde inluſtris auctoritas tua pragmatici noſtri ſecuta præceptum, ſciat ſecundum ſuggeſtionem tuam Palatinos omnes ſacrarum largitionum, qui ſtipendiis non peractis, ſine teſtimonio vel auctoritate Præſulis ſui, ad eccleſiaſtica obſequia & ad aliam tranſiere militiam, nomine clericorum & priuilegio cinguli ſuperioris exutos Palatino officio ac militiæ, quam contumaciter reliquerunt, protinus eſſe reddendos. Atque hoc circa vniuerſos oportere ſeruari quos intra triennium poſt militiæ commutationem pragmatica huius ſanctionis forma reppererit, cæteris vero non nouandam pœnitus quæſtionem qui prolixioribus temporum ſpacijs muniuntur: hac in futurum præceptione ſeruata, ne cui liceat ſine iuſſu & teſtimonio Præſidentis vel deſerere, vel commutare militiam. Prouincialium iudices eſſe cogendos atque tabularios largitionalium titulorum ad amplitudinis tuæ * eodem ratiocinijs inſtructionibuſque tranſmittant, nouerintque procurandis exactionibus, legibus ſe retineri. Dubium enim non eſt eum fore & nobis & legibus noſtris obnoxium quiſquis maieſtatis noſtræ præcepta lentauerit. Dat. VII. Kal. Maj. Rom. Calypio Aug. v. c. Conſ.

NE DVCIANI VEL LIMITANEI milites ad comitatum exhibeantur. Tit. XLIIII.

Impp. Theod. & Valentin. A A. *Florentio Pf. Pon.*



Pem atque auxilium noſtræ clementiæ limitaneorum poſcit vtilitas, qui adeo quorundam querimonijs vel exhibitionibus diuerſorum iudicum dicuntur adflicti, vt inter priuatam vitam & militarem ſcientiam neutri naſcantur. Adde quod vſum armorum dediſcere compelluntur obſeruatione fori ciuilis officij, & in vita peregrinantur aliena, expertes litium, actionum ignari, quos inuerecunda facundia & doctrina popularis inſtituit. Hæc ſuggeſtio viri ſublimis Anatolij Magiſtri per orientem vtriuſque militiæ noſtris ſenſibus intimauit. Quapropter non vlterius patimur tantæ commoditatis diſſimulare iacturam, cum conſtet diſpoſitione maiorum vallo limitis ab excurſione Barbarica defenſari quicquid intra Romani nominis concluditur poteſtatem. Quamobrem victura in omne æuum lege ſancimus, neminem Ducianum, neminem limitaneum militem per totum tractum Orientis ex vltimis ſolicitudinibus qui exiguis ſolacijs vix ægre miſeram famem repellunt, penitus exhiberi ad noſtrum ſacratiſſimum comitatum, nec ſacra noſtri nominis iuſſione, nec diuino reſponſo ad preces adeuntis ſubdito, non denique perennitatis noſtræ mandatis, vel cuiuſlibet ſententia iudicis: diſpoſitionibus inſuper integri viri magnifici cuſtodientes impoſterum, quas ad vtilitatem limitaneorum ſedula inueſtigatione conſtituit, remiſſis omnibus iam nunc ad propria ſacramenta qui videntur exhibiti. Verum ne conditionem militum in quandam arcem videamur quodammodo conlocaſſe peccandi conceſſa licentia, ſemel exhibitionis ſubmota formidine, ſub competentibus militaribus iudicibus aduerſus eos agentibus ianuam aperimus, cum

ea videlicet definitione vt ſi limitaneus fuerit confutatus in contractibus ſeu legibus deliquiſſe, ſumptus litis dare cogatur, etiam ſi hoc ſententia prolata non teneat, & negotium trecentorum ſolidorum ſummam excedat: eadem in actorem pœna ſeruata ſi limitaneus calculum meliorem & victricem ſententiam reportarit. Aliter quippe litigantium timores & execranda iudicia iurgiorum compeſci non poterunt, niſi animus exercitatus in litibus imminentis damni periculum pertimeſcat, vt correctionis metu compreſſus æterno ſilentio conticeſcat. Quem enim auaritia terminum ſortietur, quam ſi laqueis cupiditatum ſuarum circundata intra ſepta propria damnata calumnia comprimatur? Et profecto aut hoc eſt remedium diu vexatis, aut ſi nec hoc quidem prodeſſe poterit, alia ratio commodorum, alia prouiſionis flagitanda cautela eſt: ſi licet operiri, licet optare debemus ne libeat audacibus exercere litigia, vt liceat noſtris militibus ociari, quos in extrema parte Romani ſæculi ſacramentorum legibus emendatos calumnia latentes inuenit. Quamobrem Florenti P. K. A. Inluſtris & magnifica auctoritas tua quæ ſtatuta maieſtatis Auguſtæ cura peruigili & congruo ſemper fine concluſit, nunc etiam edictis propoſitis ad omnium notitiam faciat peruenire. Dat. v. Kal. Mart. Conſtantinopoli, Theodoſio A. XVI. Conſ.

DE COMPETITIONIBVS.
Tit. XLV.

Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio Pf. Pon.

SVggeſtionem viri inluſtris Comitis ſacrarum largitionum Marcellini, vicem agentis viri inluſtris Comitis rerum priuatarum admodum comprobamus; quæ & pio noſtro propoſito conuenit, & in commune omnium ſubiectorum commoditatibus conſulit. Feliciſſimis namque imperij noſtri temporibus hæc nobis

præcipue cura eſt, quemadmodum liberalitatibus noſtris ſine cuiuſquam pernicie omnes poſſint diuitiis abundare. Imperatoriæ quippe prouiſionis munus eſſe cenſemus, vt omnes noſtris diſpoſitionibus gaudeant, nemo ſuis inique nudatus facultatibus defleat. Quare hac perpetuo lege valitura ſancimus, vt nemini liceat bona defunctorum caduca, vel quamlibet rem aliam ad fiſcum noſtrum pertinentem, vel eam quæ ei paritur, actionem vllo modo a noſtra ſerenitate competere, niſi annus ex die mortis defuncti exceſſerit, vel ex quo fiſcus locum habuit, vel habere potuerit. Et ſi ſacrum oraculum manſuetudinis noſtræ ſecundum hanc legem ab aliquo fuerit impetratum, nullo modo competenti iudicio intimari, niſi prius officio productum in iudicio liberæ conditionis delatorem tradiderit vel in hac alma vrbe, ſi res ad fiſcum pertinentes hic inuentæ fuerunt competitæ, quorum intereſt periculo ſub carceralibus vinculis obſeruandum, vel moderatori prouinciæ ſub artiſſima cuſtodia tranſmittendum. Seruos namque nec ab initio, quaſi nec perſonam habentes, in iudicium admitti iubemus, & ſi hoc auſi fuerint, cõtinuo eos flammis tradi vel beſtiis. Neque vero prædicti temporis præſcriptionem neque delatoris conceſſione, vel ſpeciali donationis beneficio, aut ſacra pragmatica iuſſione poſſe conuelli. Et ſi forte quiſquam, quod non credimns, huiuſmodi quid per ſubreptionem elicuerit, id a nullo iudice admittendum eſſe decernimus: quod ſi admiſerit, non modo pœnæ ſacrilegij eum eſſe obnoxium, ſed etiam damna ei qui eius iniquitate læſus fuerit, ſarcire. Illud etiam pro communi omnium commoditate cenſemus ſanciendum vt ſi ab aliquo quicquam petitum fuerit, & ſemel cuius intereſt, officij inſtructio præceſſerit, nullus id poſſit a noſtra deinceps clementia poſtulare, neque de eadem cauſa denuo fieri liceat inſtructionem: officio quod miſerit, decem librarum auri pœna pro tali obreptione feriendo. Florenti P. K. A. Inluſtris igitur & magnifica auctoritas tua ſaluberrimam legem edictis propoſitis ad omnium noticiam faciat peruenire vt ſciant prouinciales noſtri pro eorum quiete ſerenitatem noſtram iugi ſollicitudine vi-

gilare. Proposita XIIII. Kal. Nouemb. Constant. Theodosio A. XVII. & Festo Conss.

DE HONORATIS, ET QVIS IN gradu præferatur. Tit. XLVI.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Storatio Præf. Vrbis.*

STudiose niti atque agere clementiam nostram decet vt quicquid ad cumulandum Consularium titulorum nomen proficit, sanciamus, quos pro sui magnitudine ac reuerentia vetustatis etiam nobis libenter adscimus. Et quoniam certum est lege diui parentis nostri Gratiani cautum (quæ amplissimis dignitatibus definitum venerabilis constitutio ordinem dedit) vt Patriciatus honor & infulæ Consulares si copulata sibi vnius personæ meritis iungantur, eum cui vtrunque contigerit potiorem faciat illo qui ex his alterius honoris tantum fulgorem consequutus videtur, plenum rationis & æquitatis putauimus, vt quisquis bis Consulatus adipisci meruisset insignia, præferatur his qui semel functi sunt hoc honore. Quod si alterius adiectio dignitatis hanc solam superat, quanto magis duplicatæ tanti suggestus infulæ, & curialium ornamenta gemmarum obtentis semel anteferenda sunt fascibus? Storaci P. K. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua hac nos generali lege sanxisse cognoscat quam propositis edictis vulgare debebit, vt quisquis consulare fastigium secundo conscendere meruerit, illis etiam præferatur qui vno anno fastis nomen dederunt, quamuis anteriore tempore Consulatum cum patriciatu pariter sunt adepti. Ea enim dignitas quæ nomini quoque Augusto quoddam decus videtur adquirere, secundo delata priuatis personis absque superioris iure vniuersis honoribus antecellit. Dat. III. Id. Mart. Rom. P. P. in foro Traiani, Maximo I. & Paterio V. C. Conss.

DE

DE OFFICIO ET NVMERARIIS Præfectorum Pon. Tit. XLVII.

Impp. Theod. & Valent. A A. *Albino.* II. *Pf. Pon. & Patricio.*

IVstitiam suggestionis probamus, cuius omnis hæc mens est, ne quid vnquam contra innocentiam male petentibus licere patiamur. Scimus enim quanta sæpe miseros vinxit inuidia, quos iniquitas iudicantum fastigio potestatis adfligit. Officium sedis celsitudinis tuæ, sine quo necessitates publicæ nequeunt expediri, per infortunia multa iam saucium medicinæ nostræ curationes exposcit, quæ dudum potuisset adhiberi si suggestio similis ante manasset. Hac igitur mansura iugiter lege decernimus, vt quisquis ex Officio, Prætoriano prius quam militandi finem consummatis per ordinem temporibus sortiatur, sub adtestatione gestorum testimonio Præfecturam regentis honestam meruit missionem seu quietis studio, siue alterius amore militiæ, nullam substineat de non peractis stipendijs quæstionem, fiduciam perpetuæ securitatis habiturus. Præterea Numerarios Prætorianæ sedis, penes quos publicarum rationum notitia consistit, siue priuatos, siue alias militiam fortasse sortitos, post quinquennium discussionibus subiacere prohibemus. Intra hoc enim tempus vestigari facile quamuis latens veritas potest. Et certe nullius tam grauis debet esse conditio, vt terminum non habeat solicitudinis & timoris. Munimen vberius consideratio flagitat æquitatis. Officium Prætorianum expensarum colore in præiudicium cautionum vetamus vrgueri, in cuius perniciem nequitia creditorum frequenter excogitat, vt pecuniam publica necessitate numeratam priuatis simulent profecisse compendijs: quibus hanc pœnam præsenti constituimus sanctione, vt si quando pecuniam suam sub tali credendam putauerint esse contractu, eius protinus

amiſſione multentur, nihilque vel ab his quos aduerſum vetita deceperint, vel de publicis rationibus conſequantur. Hæc officio Prætoriano ſalutis fortunarumque præſidia tribuiſſe ſufficiet, cui etiam menſores, quos pridem habere deſiderat, pro manſionum ſuarum quiete concedimus. Albine P.K.A. Inluſtris igitur & præcelſa magnificentia tua iuſtiſſimam legem proprijs vulgabit edictis, vt omnibus innoteſcat noſtro ſæculo reipublicæ nihil amplius eſſe præſtandum, niſi quod deceat adquiri. Dat. XXIX. Kal. Ianua. Romæ, Aëtio III. & Symmacho Conſulibus.

NOVELLÆ DIVI
MAIORIANI.

DE ADVLTERIIS. Tit. I.

Impp. Leo & Maiorianus A A. *Rogatiano Conſulari Tuſciæ ſuburbicariæ.*

AGitandam legibus adulterij queſtionem imminente noſtræ quoque perennitatis oraculo te exercuiſſe commemoras, atque, vt relatione teſtaris, conuictum confeſſumque Ambroſium in nefario crimine, relegatione dignum temporaria cenſuiſti. non ſolum leniter * immemor eſſe & neglegenter penſaſti alieni doloris iniuriam, vt maculam pudoris extincti & eius ſummam criminis in quo quicquid vero indignum eſt, continetur, elaui vita ſuperſtite iudicaris. Eum tamen ipſum temeraſſe ſententiam & confeſtim locum perhibes exilij defugiſſe, noſque conſuliſti quid fieri ſanciamus. Quocirca tam * exercitandæ iudicationis formam perpeti

manſura debeat aſpirare. ſeueritatem quippe res ipſa flagitat. Vnde Rogatiane Kar. noueris ad rigorem veteris diſciplinæ hanc perennitatem noſtram obſeruationis adieciſſe menſuram, vt ſecundum legem Diuorum retro principum, qui in ſimili crimine talia cenſuerunt, relegationem probroſi ac nefandiſſimi rei, deportatio adiecta continuo & bonis eius omnibus fiſci vtilitatibus vindicatis, eumque a congreſſu totius Italiæ ſubmouendum, edictorum propoſitione denunciata omnibus perimendi licentia, qua paſſim ita inſequendus eſt qui ſententiæ abuſus eſt lenitate, vt ſi comprehenſa vrbis noſtri parte repertus fuerit, cæſus iure videatur: quatenus ſanctionis procedente cenſura, ab incurſu flagitiorum tutam genialis tori præſtemus imposterum caſtitatem, vt exemplo competenti luxuria caſtigata ab expugnatione pudicitiæ, quæ ſub publica quodammodo videbitur eſſe cuſtodia, libido & proteruitas arceatur, manifeſtumque ſit generaliter ita nobis cordi eſſe violatum pudorem, vt edictali decreto iuſta cohercitione propoſita, intemperanter futuris quoque temporibus plecti commiſſum ſimile cenſeamus. Dat. xv. Kal. Maj. Arelato, Ricomere & Clearcho vv. cc. Coſſ.

INCIPIVNT TITVLI LEGVM Diui Anthemij Auguſti.

INCIPIT LIBER LEGVM D. ANTHEMII AVG.

DE MVLIERIBVS QVÆ SE SERVIS propriis iunxerunt, & de naturalibus filiis. Tit. I.

Impp. Leo & Anthemius A A. Lupreciano Pf. Pon.

HVmano generi & fluctuantibus rebus mortalium vna post Deum ratione consulitur, si aduersorum ingruentium procellis occurrat sæpius nostra serenitas. nec dubium est imminui materiam conuersationis humanæ, nisi componat prouidentis regentis imperium quicquid per se non potest imperare mortalitas: eritque ita magis florida ac tranquilla ciuilitas, si circa prouidos hominum casus excubet circunspecti principis fauor. Iulia quædam preces nostris fundit altaribus, adstruens cum eo sibi matrimonium contigisse qui familiæ quidem suæ seruus extiterit, sed libertatem morum claritate meruerit. Exorat quoque nostri nominis maiestatem, ne sibi noceat quod venerabilis sanctio Constantini dominam seruorum suorum complexibus inflammari districtissimo rigore non patitur: incongruum quippe existimans, in suo casu de seruorum coniunctionibus constituta tractari, cum ipsa non seruo nupserit, sed liberto: præcipue nuptias suas in culpa venire non posse, quod de libertorum consortiis prohibendis, * euidens nihilominus æstimari quicquid ante hoc lex vlla non vetuit. Geminatam igitur causam huiusmodi casibus consulendi reperit nostra serenitas, vt nec confirmatio subtrahatur de suscepto quasi errore nutantibus, & honeste ac probabiliter constituta sine aliqua deinceps ambi-

guitate ſeruentur. Primum igitur edictali decernimus ſanctione, vt quæ vſque ad ſecundum nominis noſtri Conſulatum ſimilia probabuntur iniiſſe coniugia, legitima firmitate non careant, ſed hanc quoque munificentiam noſtrorum faſcium ſecuritati ſuæ adfuiſſe lætentur, vt ſi quæ ſunt fœminæ quæ pro nobilitate natalium de eiuſmodi forſitan conſortio quicquam verentur, ſuperfluum pondus iniuſti timoris abiiciant, nec ſe non licito quaſi feciſſe formident, vt nulla nunc vſque ad liquidum iura vetuerunt: ita vt cum libertis ſuis iuſtas nuptias contraxiſſe videantur, natique & naſcendi ex his liberi nullam vnquam de parentum ſuorum coniunctione ſuſtineant quæſtionem, ſed matris ac patris hæreditatem legum more percipiant. Ipſi quoque inter quos huiuſmodi eſt contractus ſocietas, teſtandi in ſe inuicem, vel ſuccedendi ſibi iuxta formam iuris licentiam non amittant, neque quicquam matrimonij gratia a cæteris diſcrepare credantur, de quibus ante hanc noſtri nominis ſanctionem nihil legum ſcita præſcripſerunt. Et reuera principalis gratiæ eſt eruere ſuis caſibus ſuſpicaces mortalium mentes, ne ſibi licuiſſe quod nemo prohibuerat, arbitrentur: vniuerſorum quoque notitiam euidenter inſtruere ne ſibi fas eſſe quiſquam exiſtimet, vt fas eſſe non patimur. Ex hoc ergo noſtræ clementiæ Conſulatu decorem publicum agere cupientes, cum ſeruis & libertis dominas & patronas ineundi matrimonia facultatem habere prohibemus, ne inſignium familiarum clara nobilitas indigni conſortij fœditate vileſcat, & quod ſplendore forſitan ſenatoriæ generoſitatis obtinuit, contractu viliſſimæ ſocietatis amittat, aut * nude tante tum ingenuæ libertatis fulgore præſpicuum genus in fœmina imprudentior complexus immineat: ea ſine dubio cautione valitura vt de conſortiis ſeruorum perpetua firmitate ſeruetur quicquid Diuus Conſtantinus venerabili ſanctione conſtituit. Circa eas vero quæ in libertorum ſuorum vota conuerterint, cuſtodiri in æternum duratura lege ſancimus, vt coniunctio vetita ne nomen quidem matrimonij ſortiatur, ſed ad inlicita conſortia execrabiliter aſpirantes publicatione omnium facultatum

& perpetua deportatione plectantur: his qui ex huiusmodi societate nascuntur non solum iure, sed & vocabulo liberorum priuandis, seruili quoque conditione probabiliter addicendis, ita vt in his dominium sibi noster fiscus vsurpet. De coniunctionibus sane ancillarum & libertarum, necnon de naturalibus liberis quoquomodo procreatis procreandisue, inter omnes decernimus custodiri, quod Diuorum retroprincipum saluberrima constituta sanxerunt. Luperciane P. A. K. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua saluberrimam sanctionem ad omnium notitiam peruenire edictorum deuulgatione præcipiat, ne cui supersit ignorationis auxilium quominus cauta quæ sunt decreta seruentur. Dat. x. Kal. Mart. Romæ. Dno Anthemio A. Cons. Accepta Id. Mart. Romæ ipso A. Cons.

DE CONFIRMATIONE LEGVM Dni Leonis Augusti. Tit. II.

Impp. Leo & Anthemius A A. *Luperciano Pf. Por.*

AD consultationem clementiæ nostræ dominus & pater meus princeps sacratissimus Leo, super his quæ indulgentia principalis in diuersos iam contulit vel processu temporis largietur certum ius venerabili sanctione constituit, quod sub sacris suæ perennitatis apicibus ad nostram quoque sententiam destinauit. Quumque mundanis compendijs proficit vt circa regendum vtrunque orbem id præcipue custodiendum credamus quod deliberatio communis elegerit, legem defectam libenter amplexi quod ad omnes tam saluberrima constituta perueniant sub hac pragmatica iussione ad amplitudinem tuam censuimus dirigendam. Luperciane P. K. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua venerabilia constituta propositis deuulgabit edictis, ne vllius prætereat notionem quod in æternum valere serenitas nostra decreuit. Dat. Sub die XIIII. Kal. April. Romæ, Dno Anthemio A.

Consule. Actum sub die eodem.

DE BONIS VACANTIBVS. Titul. III.

Impp. Leo & Anthemius A A. *

IMperatoriæ maiestatis est ex præsentibus causis etiam futuris prouidere temporibus, & reserata ambiguitate sequenda decernere. Nam cunctorum census vocatur in dubium si per licentiam principalem iura dominorum suam non habeant firmitatem. Itaque nos quibus totius mundi regimen commisit superna prouisio, & iuri regulam & æquitatis rationem volumus custodiri. Pius ac triumphator semper Augustus filius noster Anthemius, licet diuina maiestas & nostra creatio pietati eius plenam imperij commiserit potestatem, tamen prudenti & cauta, qua pollet, æquitate per sacros adfatus consulendos adserens in Italiæ partibus multa exorta negotia ex donationibus quas de alienis rebus principes contra legum cauta fecere (nam vt quisque vel meruerit vel precatus est de imperatoria veluti largitate plurima & magna detentãt: Emergunt autem personæ quæ plerumque prædia vel res aliquas sui iuris adserant esse, quas ex principis munificentia diuersi inlicito titulo quæsierunt. nam sæpe ea quæ caduca dicebantur & donata sunt, consanguineus eius qui sine hærede putabatur, emergens reposcit, vel de captiuitate liberati iure postliminij quæ sua vel propinquorum fuerant, & alijs a principe concessa sunt, reddi sibi iure desiderant, adstruentes secundũ sacratissimas constitutiones legitimum sibi auxiliũ suffragari: vel cũ res aliqua vindicatur à possessore cui domus venerabilis aut donatione cõtulit aut venditione, vel commutatione, aut vltima voluntate transfudit, scilicet quam iniuste aut minus idonee contractam forsitan possidebat) vtrum iure communi quod petitor probauit suum reci-

piet, an præter leges quibus omnes vtuntur circa donationem regiam pronunciandum erit, vt factum principis vel aliena re donata aut vendita comprobetur. Nam cũ de huiusmodi controuersiis ab amplissimis cognitoribus tractaretur prolata est constitutio de Codice Theodosiano sub titulo de bonis vacantibus, qua diuus Constantinus cauet, vt si rem quam princeps donauit suam quisquam potuerit adprobare, non eam recipiat, sed eo cui donata est firmiter possidente, princeps petitori extrinsecus qua voluerit, ratione succurrat. Hæc cum nostris insinuarentur sensibus, relectis gestis quæ ad nos a filio nostro serenissimo principe sub prædicta consultatione directa sunt, habitis inter procuratores Domninæ & Fortunati inlustrium personarum, serenitas nostra, cui cordi est in dies singulos consultiore tractatu & meliore deliberatione generi humano prospicere, satis putauit incongruum vt tanta rebus negociisque confusio vel iniquitas innectatur, & vnicuique suis vti non liceat, nec pro suorum defensione legitimum habere tutamen, sed in arbitrio sit forte subripientis facilis & iniusta nonnunquam regiæ donationis auctoritas, & vt alijs iusta possessione fraudatis ab alijs liberalitate iniuste detineatur, cum & ipse titulo supra prædictæ constitutionis vnde consulta est nostra clementia, de vacantibus tantum non de omnibus bonis atque substantijs euidenter loquatur. Hac igitur imperpetuum valitura lege sancimus, vt siquidem de bonis reuera vacantibus Imperator aliquid pro sua liberalitate donauerit hoc perpetuam obtineat firmitatem & nemo calumniam patiatur de re quam principalis in eum liberalitas iure contulerit. Sin autem aliquis rem suam siue tanquam vacantem, siue alio quolibet titulo donatam cupit repetere, eamque sui iuris esse vel ad se deuolutam ex legitima successione monstrauerit, communi legum fruatur auxilio, nec ex illa, licet imperiali donatione seu commutatione, vel ex aliqua cuiuslibet contractus specie, contra generale præsidium omnino lædatur, siue etiam a retro Principibus hoc beneficium adserat sibi esse delatum, siue post aliquid tale fuerit subsequutum. Hanc igitur con-

constitutionem in causa etiam Domninæ & Fortunati inlustrium personarum quæ huic legi præstitit occasionem valere præcipimus, vt communi iure Cesiana massa de qua queritur prædictæ Domninæ inlustri fœminæ restituatur. Neque enim aliud imperatoriæ maiestati, cui semper debet æquitas inhærere & vigere iusticia, videtur ad commodum quam commune ius omnibus reseruare subiectis, & nihil amplius bonis licere principibus nisi quod liceat priuatis & hanc liberalitatem prætendere quæ legibus & æquitate subnixa est, vt nemo se alienis & inlicitis ditatum lætetur, nemo bonis propriis defleat esse priuatum. Luperciane. P. K. A. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua quæ hac saluberrima lege serenitas nostra constituit obseruari & ad omnium notitiam edictis ex more propositis iubeat peruenire. Dat. XIIII. Kal. April. Rom. Dno Anthemio P. P. Aug. II. Cons.

EXPLICIT LIBER LEGVM
Diui Anthemij A.

LECTORI.

EXEMPLARIS *quod vnicum fere habuimus, scripturam summa fide expreßimus. Coniecturis nec in ora quidem libri locum dedimus, ne fælicioribus fortasse officerent. Quasdam tamen hic addere visum est, quibus nostra saltem religio probaretur, quam vereor ne superstitionem plerique interpretentur.*

*Folio.*203. Marcellino Comiti Pf. *puto reponendum* C. S. L. dns exigebat. *vet. quid si legamus.* decimas?

204. petitioni suæ ante formidinem. *fort.* petitionis suæ: *aut potius*, petitionis cessante formidine.

præcipimus, *hinc sumpta est* L. XII. C. *de fund. patrimon.*

206. si cunctatus. *Cuiacius putat legi posse* Comitatus. pastacas. *ego*, bastagas.

206. Vtilitate. *an* vtilitati C*. *hoc facile est supplere ex fastis.* Cons. pb. *puto reponendum.* C. R. P.

generes. *forte degeneres, quæ præcedunt coniecturas varie recipiunt. Nobis hunc primum agrum magna parte non sine tædio extricasse satis est.*

hinc iure prouisum est. *ex hac No. sumpta est* L. V. C. *de Fabricens. lib.* XI.

vni formi visus. *in Cod. Iust.* vnius formæ vnius decoctionis.

207. vt quisquis fabr. *hinc etiam sumpta est* L. V. C. *de hæred. Decur. in qua mendose scriptum est* Creditores.

processit. *malim* processerit.

nostri nominis. *Sic vet. quod & alibi retinuimus, licet non dubitaremus futuros plerosque qui* numinis *malent.*

Quare. *hinc sumpta est* L. I. C. *In quib. caus. milit. fori præscr.*

per prouincias sociantur. *vet.* per prouincias ociantur. *In quibusdam exemplarib.* C. *Iusti. scriptum est*, negotiantur.

208. qui in mercandum & militandi. *hoc vult* qui & mercandi & militandi simul. *quomodo etiam in Iust. Codice legendum est. Negotiatores non nisi ex beneficio principis militare possunt: sed nec milites negotiari. Quod genus beneficij etiam apud nos vsurpatum memini.*

209. hac perpetua lege. L. 2. C. *Vbi quis de curial. vel cohort.*

Anatolio A. *immo* V. C. *Sed & plerasque alias harum constitutionum subscriptiones ex fastis & suppleri, & emendari posse monuimus.*

210. scolaribus. *vet.* Solaribus. *Sic & apud Sulpitium Seuerum de Martino, pro,* inter sæculares, *legendum* inter scolares. *& apud Suetonium in Claud. cap.* 10. *vbi vulgati habent* Solarium. *v. c.* Scolarium.

neque pulsantes. *deesse videtur*, neque pulsatos.

211. Vecarijs. *fortasse*, & apud Vicarios & Rectores. *aut potius*, Et apud Viros clarissimos Rectores. *Nam sane qui apud præfecturam litigare cogitur, vix est vt apud Vicarios conueniri non possit, cum sint præfecturæ prætorianæ Vicarij.*

Probari autem. *hinc sumpta est* L. III. C. *de apparitor. Mag. mil.*

212. ante fœlicem embolam. *Sic nos ex* C. *Iust.* L. X. *de Sacrosanct. Eccles. & L. vlt. de nauib. non excus. cum in veteri scriptum esset* immolat.

213. contentio. *pro* contemptio.

Quamobrem. L. VI. C. *de aduocat. diuers. iudic.*

215. cohibere. *pro*, conniuere *vt alias sæpe in* C. Th.

more. . *de hoc vocabulo spero me aliquid dicturum in notis ad veterum Iurisconsultorum fragmenta. Nunc hic me potius rei indignitas exclamare cogit, O Imperatorem sordium suarum & fœdissimæ auaritiæ lenonem! Melior omnino more Anastasius Chrysargyrum sustulit laudantib. Græcis historicis, & Bonum factum adscribentibus: cuius etiam esse arbitror illam de lenonib. constitutionem. quæ lib.* LX. *Basilicῶn extat, quamque Iustinianus noster æmulatus est. Cuius rei & Porcopius meminit.*

216. precatio. *id est fortasse precarium.*

quando domini sunt. *an* domino non sunt, *an potius*, domi non sunt. *In plerisque causis denunciatio vel ad domum missa sufficit, id est ad domum facta, in L. 39. §. nupta. D. ad lege. Iul. de adul. Post paulo malim* Et quæ patrimo. &c.

217. securitate. *malim* seueritate *vetus tamen lectio temporis præscriptione secura est.*

218. inligauerat.] inligauerant. *Qui μονομερῶς pronunciat, sæpe bis pronunciare cogitur.*

219. Sigisundus *in No. de Tyronibus* Sigisualdus, *scribitur &* Sigisuultus *vt in* Prosperi *Chronico, alias &* Sigisbaldus. *Nomen etiam fortissimi viri conseruari Reip. interest.*

vti æquitatum. *fort.* vti æquum. *& paulo post* exigente hoc.

220. rei cedente. recedente.

ex aurariis vel super. *delendi sunt asterisci.*

221. militarium virorum. *malim* viarum *vtrunque tamen ferri posse non ambigo.*

in quarta parte. *puto leg.* In qua parte quo quisque &c.

223. vbique. *malim*, sibique inter o. Spol. vindicauit.

postremum integ. *fortasse leg.* post rerum. *vel*, post demum redint. æquitatis *deesse videtur.* nisi. *b.* aut. *at.*

ob hoc actu. *video legendum* ab hoc actu. *Sed quemadmodum*

superiora & inferiora restituenda sint non satis video, & has quoque stipulas ad spicilegium aut potius sentes atque herbas ad runcationem lubens relinquo.

225. ferri. *lego* farris *idest tritici. Ad id quod sequitur pertinet nonnihil Nouella constitutio de Suariis.*

clericus. *malim* clericatus. *& paulo post,* per scripta.

viri Oct. *an.* iuris Oct. e. s. c. per proceres? *non puto.*

226. mite regendam. *fort.* integrandam.

228. geminis fascib. *Sic nos cum in vet. esset* faricib. *sed & in antiqua epigraphe Auxentius.* II. P. V. *inscribitur.*

iter fauos. *reponendum arbitror* inter suos.

18. Floriano *An* Florentio P P. *vt in No. de Palatinis* 3.

229. Hoc itaque. *Hinc* L. VII. C. *de fund. rei pri.*

præperdere. *pretia perdere.*

commoda præscriptione. *Tribonianus adiecit* excepto vetustatis priuilegio *ex Anastasii constitutione quæ extat in* L. *vlt.* C. *de fund. patr.*

230. Inde suggestionem. L. I. C. *de priuileg. scol. ex cuius emendata subscriptione hæc quoque ita supplenda est Cyro* V C. *Cos.*

231. *b.* cum vocati causa. *Doctor meus emendat* cum voti causa per Heracleonem. *quod perspicue verum est paulo post legerem lubentius* commiseratione commoti.

reperta. *Quis non ferat emendantem,* R. P. *id est Rerum Priuatarum?*

232. nonnunquam. non vnquam. *& sub finem,* impleatur.

VV. CC. *vet.* Vecariis *vt & alibi pro* Viris clarissimis *errore ex notis orto.*

233. luxuriarumque. *Mirum quam constans fere sit huiusmodi scriptura in vetustis exemplaribus. Clusura etiam πρίων veterib. dicta est. vt in libro Iudith cap.* IIII. *Vnde Serræ nomen plerisque Galliæ nostræ clusuris. Ex hac vero Nouella sunt L.* 4. *de offic. magist. offic. & L.* 3. *de offic. milit. iud. lib.* I. C. *Iust.* ediderint, extiterint.

Numo. *Hic &* Nonius *&* Nomius *alias scribitur.*

qui hospitiis. *puto leg.* qui auspiciis patritiatus exultant ternarum domorum.

236. summa *summam.*

De postulando Diui Valentiniani. Gaudemus &c. *sic. vet.*

retinentur. *fortasse* reuerenter. omnino ita. *sic nos cum in vet. scripum esset*, non ita. Ius pot. *vet.* vt pot.

241. videri. *an* videlicet. *& paulo post.* condemnationem.

His etiam *fortasse ex hac Nouella addita sunt ad* L. VIII. C. *de aduocat. diuers. iud. illa verba* his omnibus etiam &c.

242. priuatos *an.* primatus. *quod Cuiacio videtur. & paulo post*, properet anteponi. de sua pœna *puto leg.* desides. *b.* summæ sumat. *al* suæ præsumat. delectant. delectat. 244. actione. *an potius* sanctione. binis solidis. *vet.* bonis vrbibus *malim*, viribus. pecuariis. *vet.* pecorariis *& paulo post*, Impp. Valent. & Marcianus.

245. sex. milia *sic. vet. alias*, Æmilia. æque ponderis portione de interd pr. *sic vet. alias*, de interpretiis *quo vocabulo vtitur etiam Caßiodorus lib.* II. *var. epist.* XXVI. *Eadem forma inter æstimationem Labeo dixit in L. penult. D. de edilit. edict.* Pertinet *vero ad hunc locum tabula vetus ex auctoritate Turcij Aproniani* P. V. *de Suariis proposita: itemque altera eiusdem de pecuariis & pecorum exagio.* 247. Ad auditores *an.* auctores, *an.* adiutores. impressio. vet. in pretio. s. ad. q. l. A. competens &c.

247. ti agnoscet. *fortasse*, fiscus agnoscit. ferre centur. *Doctor meus legit* terræ centur. *& paulo post*, qui ex titulo vicenarum &c. & superesse fisco per se dicuntur insitationis. *id est Emphyteuseos, siue insitionis.* Proconsulis pro *an potius*, Proconsularis Iuxta singulos. *an potius* iusta singulis. *& paulo post*, auctoritate.

dubium *deesse videtur negatio, sed paulo post desunt quædam.*

248. mysterij. ministerij. *& paulo post*, recisum. post hanc rem. *an* characterem, *an potius* honorem, *quod Cuiacio magis probatur.*

251. his quæ dudum censuimus. *epistola ad Senatum cuius sunt partes l.* 3. C. *de legib. l.* 5. C. *si contra ius vel vtili. l.* 7. C. *de precib. impe. offe.* habeatur. *an* habeantur immunes, vt promptius.

252. vt excusabil. *aut potius.* vt non ex. c. s. q. e. r. p. emendat

254. dilectum *pro* delectum *vt in pand. Flor. & vet. libris.* datum est. *deest* sciat. *vel quid aliud simile.*

255. viginti cōsistorianos. *hæc sic distinguenda sunt* viginti con-

ſiſtorianos, comites triginta, notarios immunes &c. *Derogatur vero hoc pragmatico l. 1. C. Th. qui a præbit. Tyr. exc.* 259. ſuggeſtio *vet.* adiectio.

259. ſollicitudinibus. *mallem*, ſolitudinibus. *& paulo poſt*, cuſtodiendis in poſterum. 261. quod miſerit. *malim* quod admiſerit.

262. vt quiſquis. *Abrogatur l. C. 1. de Conss. quam Gratiano hæc Nouella tribuit.* curialium. *lego* curulium. 264 immemor eſ. *puto leg.* immo & negl. p. a. d. i. qui maculam pud. e. e. e. ſ. c. i. q. q. viro indignum eſt, continetur, elui vita &c. continuo &. *fortaſſe*, continuet, bonis, &c.

265. vrbis orbis. P*oſt hanc conſtitutionem deeſſe videtur altera Maioriani de adulterijs, qua eum vetus ius reduxiſſe teſtatur Gotho Romanus ſcriptor qui* P*apiniani nomine editus eſt. Et ſane inſcriptio ipſa plures de adulterijs Nouellas pollicetur. b.* ſanctio Conſtant. *extat in l. 1. C. de mul. quæ ſe ſer. propriunx.* 266. euidens. *an* nihil omnino æſtimari quit quod ante hac. *b.* vt fas. *forte*, quod fas. *& paulo poſt* augere cupientes.

268. defectam. directam. 269. conſulendos. *deeſſe videtur cenſuit.*

HÆC *ego curſim inter relegendum adnotabam Lut. Pariſior. xviij Cal. Aug.* CIↃ. IↃ. LXXI.

CONSVLTATIO DE CONFISCATIONE BONORVM EX CAVSSA perduellionis.

CVI SVBIVNCTVM EST FLO. Rotæ de eadem caussa consilium & iudicium.



CONSVLTATIO DE CONFISCATIONE BONORVM EX CAVSSA PERDVELLIONIS.

Cui subiectum est Flo. Rotæ de eadem caussa consilium & iudicium.

Quæstio his verbis proposita est.



AGNIFICVS ac nobilis D. Alexander Capponius duos suscepit filios, Franciscum & Petrum. Petrus ob crimen rebellionis incidit in pœnas legum & edictorum Florentiæ promulgatorum ann. 1548. & 1565. quorum exempla huic chartæ annexa sunt, adhuc superstitibus Alexandro patre & Francisco fratre. Quare præter bona ipsius Petri, fuerunt etiam in fiscum redacta bona dicti D. Alexandri pro portione spectante ad ipsum Petrum, pro qua ipse Alexander tanquam mortuus a die cogitati a dicto Petro delicti, ita disponente lege anni 1548. fuit prohibitus, quominus quidquam disponere posset, sed tantummodo fuit eidem patri relictus simplex vsusfructus donec viueret. Decedit interim Franciscus superstitibus D. Alexandro patre & Petro fratre. Decedit etiam Petrus, ac demum Alexander condito prius testamento, hæredibusque institutis filiabus tunc viuentibus & nepotibus ex filiabus defunctis. Nunc cum D. Alexãder decesserit post vtrumque filiũ, & Petrus rebellis post Franciscũ, fiscus ad se pertinere contendit vniuersam hereditatem D. Alexandri.

Quæritur quiſnam ſuccedere debeat in hereditate D. Alexandri, fiſcuſ ne, an potius filiæ nepoteſque ex filiabus teſtamento vocati.

Reſpondemus, Legum quidem quæ propoſitæ ſunt, interpretationem ſereniſſimo & excellentiſſ. Duci proprie competere, cui earum, etiam in cauſſa ſua, ferendarum fortunæ, vt Iuſtinianus [a] de ſe loquitur, tribuit eminentia, quemque veriſimile eſt nouam & diuerſa interpretatione titubantem cauſſàm benigne atque naturalis iuris moderamine temperaturum [b]. Quantum tamen nobis ex earum diligenti & accurata examinatione colligere liquit, ſane nec verbis nec ſententia, ſed nec ratione ipſa, anima medullaque legum [c], quæ æquum bonumque tuetur, ſeque ad animum legiſlatoris adcommodat, fiſcus vltra ſemiſſem in bonis Alexandri patris ex perſona Petri filij perduellionis damnati quicquam ſibi vendicare poteſt. Nam quod ad verba attinet, illa legis prioris anni 1548. quæ cæterarum quaſi quædam baſis eſt, (*Sia la detta pena la confiſcatione di quelle rate de beni paterni ò auiti, & de beni materni, & dell' auole d'eßi delinquenti, che reſpettiuamente in loro harebbo haute a peruenire dopo le vite de predetti ſe ne di delle conſpirationi, machinationi trattati, ò delle cogitationi deßi, & inanzi eſſe cotali padri, aui, madri ò auie fuſsino di queſta vita ab inteſtato paſſati ò paſſate da transferirſi tali rate nel fiſco e camera Ducale, dopo le vite reſpettiuamente de prenarrati padri & delle altre perſone ſopraſcritte*) clare & perſpicue ſtatuunt, cum virilis & rati portionis filij damnati ratio ponenda eſt, fingi ad hoc patrem inteſtatum mortuum eo ipſo die, quo filius ſceleris conſilium cepit, & ex quo ſua quodammodo mente damnatus punituſque eſt [d]. Quod ſi ſequamur in ſpecie propoſita, ſane ex verbis legis, rata Petri portio in bonis Alexandri patris tempore cogitati aut admiſſi delicti viuo adhuc fratre Franciſco, ſemis ad ſummum fuit ſiue dimidia pars bonorum, quæ ab eo tempore in fiſcum tranſlata cenſetur.

a *Nou. 143. de rapt. mul. l. 2. § ſed quia. Cod. de vet. iur. en. l. & ideo. & l. 9. C. de legibus.*
b. *l. 5. Cod. de bon. quæ lib.*
c. *Caſſiod. in Rhe. Baldo in l. ſi quis ſeruo. C. de furtis. & in cap. delictis. de reſcript. & c. 1. de conſtit.*
d *l. 7. C. ad l. Iul. mai.*

Nec obſtat quæ poſtea lege eadem ſtatuuntur, vt pater,

auus, mater, auia a tempore cogitati a filio aut nepote delicti, non possint translationem illam ratæ eorum portionis in fiscum, contractu, testamento, vel qua alia ratione prohibere aut impedire.

Item, nec quod alio legis articulo comprehensum est, vt res bonaque omnia, quæ ad perduellionis damnatum ex euentu defectuque conditionis, quamuis post consilium sceleris aut condemnationem deuenissent, fisco etiam deferantur, simul & ea quæ damnatus ipse industria sua aut alio quolibet modo postea adquisiuit.

Sed nec illa legis anni 1565. quibus potissimum fisci caussa niti videtur, verba, *Per torre dubieta & a maggior dichiaratione & espressione del' contenuto in detta lege* 1548. *deliberorno e statuirno in dette confiscationi ne i casi de i quali in detta lege venire e comprendersi non solo i beni di detti padri, madri & altri li quali si fussino rittrouati ò si ritrouassino hauere al tempo del commesso delitto, ma ancora quelle che fussino stati acquistati di poi per detti padri & altri soprascritti, e che si fussino ritrouati ò si ritrouassino al tempo della morte loro.*

Item nec ista eiusdem legis, *Per torre ogni dubieta, & a maggiore intelligentia delle dette legi dichiarorno, &c. che nella confiscatione de beni di detti figliuoli ò nepoti in caso per di rebellione, oltre a gl' altri beni venghino ancora e si comprendino tute quelle ragioni, crediti e nomi di debitori di detti loro patri, madri, aui & auole, per quelle rate portioni che si douessino a detti figliuoli ò nepoti, non essendo rebelli: le quasi ragioni, crediti & nomi de debitori si ritrouassino al tempo della morte de i sudetti patri, madri, aui & auole in qualunque luogo, &c.* Nam si hæc omnia recte & sincere expendantur, facile intelligitur adiecta tantum esse interpretationis caussa ad caput illud primum, quo rata portio filij perduellionis damnati in fiscum transfertur, perinde ac si pater aut auus cogitati a filio delicti tempore ab intestato decessissent. Quod est fundamẽtum eorum omniũ quæ postea circa eandem portionem statuuntur. Idque verba illa legum, *Per torre ogni dubieta, & a maggiore intelligentia & espressione del contenuto in detta lege,* vbique repetita perspicue suadent: nec vlla verisimili ratione defendi potest, caput illud prius sequentibus abrogatum, aut illi obrogatum

derogatumue: quin potius interpretatione ipſa repetitum & confirmatum videtur. Sic enim noſtri doctores tradunt, dicta in lege, interpretata, aut declarata, cenſeri repetita in lege interpretante [a]. Et conſtitutionem, qua alia refertur, debere intelligi ſecundum qualitates & terminos relatæ, ab eaque recipere limitationem & reſtrictionem [b]. Et Imperator Iuſtinianus apertius [c], Manifeſtum eſſe ait, oportere ea quæ adiecta ſunt per interpretationem, in illis tantum valere, in quibus & interpretatis legibus ſit locus. quod vt mirabile verbum Accurſius notat. Et certe ad propoſitam quæſtionem valde facit. Nam ſi ex inſequentibus prioris poſteriorisque legis verbis effici dicamus ex perſona Petri omnia Alexandri patris bona ad fiſcum pertinere, perinde ac ſi mortis naturalis patris ſui momento Petrus ipſe ſolus ei heres extitiſſet, omnino contraria erit ea interpretatio, non modo expreſſis prioris illius capituli (cuius interpretandi cauſſa illa adiecta fuerant) verbis, quæ de rata tantum loquuntur, ſed etiam diſpoſitioni ipſi, qua diſerte cautum eſt, ratam ſiue virilem Petri portionem in bonis patris ad fiſcum pertinere, perinde ac ſi pater ipſo cogitati ſceleris die inteſtatus deceſſiſſet. Atque ita quod interpretationis tantum cauſſa Dux illuſtriſſimus adieciſſe ſe profitetur, legem ipſam non interpretaretur, ſed euerteret, & penitus immutaret. Quod non modo de ſingulari tanti legiſlatoris prudentia cogitare ſacrilegium eſſet, verum & de priuati cuiuſlibet homuncionis ſcriptura dicere, ſenſui ipſi communi non ſatis congruerẽ videretur. Sed & verbum illud, Ratæ portionis, vbique etiam in ſequentibus repetitum, repetitam etiam totius capitis ſententiam arguit.

a Bart. in l. nihil. D. de coniung. cum eman cip. lib.
b. Bald. in rub. de reſcript. Iaſ. in Aut. ſacrum. C. ſi aduer. vendit. Philip. fran. in c. 1. §. illud. de reſtit. ſpol. in 6.
c Nouell. de fil. aut. dot. inſtrum. nat.

Nec obſtat, quod ſequentibus illis capitulis diſerte adiectum eſt, in æſtimanda rata ſiue virili portione filij perduellionis damnati haberi rationem omnium bonorum, quæ tempore mortis naturalis patris ipſius fuerunt, etiam nominum, cæterarumque rerum omnium quæ quidem inter patris bona tum extabunt. Nam ſane & integre accipientibus facile erit intelligere, ex ipſa conceptione propoſitarum legum, his verbis modum tantum præſcribi executioni tranſlationis illius ratæ portionis, quæ in diem mortis naturalis pa-

tris dilata erat lege ipsa: quæ omnibus illis posterioribus capitulis hoc vnum cauere voluit, ne fraus aliqua fisco fieret dolo patris aut aui: cuius quidem fraudis aut doli in specie nostra ne minima quidem suspitio proponitur. Denique si coniungantur omnia earum legum capita, quæ ad hanc quæstionem pertinent, & singula ita expendantur, vt intelligentia dictorum ex caussis assumatur dicendi (quod B. Hilarius faciendum monet [a]) hæc demum mens, hæc interpretatio, hæc lux emerget: Ex crimine perduellionis cogitatione & conscientia ipsa delicti, id est ipso iure, bona confiscari [b], adeo vt etiam ante admissum crimen, si quis de committendo cogitans alienauerit in fraudem fisci, alienatio reuocetur [c]. Sed cum filij familias (quibus plerumque ætatis feruor, & conditio rerum nouitatem facilius suadet, quam patribus) nihil fere sibi possideant, ne præsentis inopiæ fiducia, futurarum etiam hereditatum, saltem ad fratres agnatosque redituarum spe aliqua audaciores fierēt æquum principi visum est, & præsenti quadam pœna filiosf. deterrere, & in futurum spes eis istas præcidere, sed ita tamen, vt aliquo saltem iuris prætextu & æquitatis specie res temperaretur. Et sane legibus illis quæ proponuntur, duæ tantum species, aut spes potius hereditatum filijsfamilias ex caussa perduellionis auferuntur, vt fisco deferantur, non sine probabili iuris colore. Nam primum quidem quod ad successiones attinet, quæ ad perduellionis reum ex euentu conditionis tum quidem pendentis, post consilium sceleris, aut condemnationem deuenturæ erant, etsi summo iure existentis conditionis tempus spectandum fuisse videatur [d]: tamen cum perduellionis reo iam ante contractum crimen ius aliquod ita quæsitum fuerit, vt ex euentu tantum conditionis in suspenso executio aut præstatio esset, & iudicium voluntatemque eius sibi habeat, qui sub conditione reliquit, non vsque adeo iniquum visum est fisco ius illud integrum illibatumque deferri, vt ex euentu conditiones, quæ mere facti est, postea complete effectum suum habeat, præsertim cum nulli alij fraus aut iniuria fiat. Sed &

vol Nellus in tractatu de bannitis. parte. 1. 2. quæst. 3 e. & seq. Baldus & Immol. in l. ex D. de vlg. & pup. subst.

a Cap 6. de verb. sign. ext.

b l. 7. C. ad l. Iul. ma. Bart. in l. Imperator de iur. fisc.

c l. Quæsitum. D. qui & a quibus manum. lib. non fil. quis quis §. emãcipationes & l. vlt. C. maiest. Bart. & DD. in l. post contractum. D. de donat. Bald. in Auth. sed iam necesse C. de donat. Scilicet. in l. fin. C. de bonis proscript. Io. Andr. & Archidiac. in c. fælicis de pœn. & Matth. de Affl. in c. 1. §. & bona. Quæ sint. regal. in vsib feud.

d. l. liber. §. si heres. D. de heredib. instit. l. 4. D. reg. Cat. glo. in l. nam ad ea D. de cõdit. & demõstr. Bald. in l. 3. facto §. fin.

quod ad virilem portionem rebellis in patris hereditate, quam lex eadem in fiscum transferri voluit, etsi iure communi nulla sit viuentis hereditas c, & eodem iure filij perduellionis viuo patre damnati, post patris mortem portio legitima ad fiscum non pertineat, vt Cynus alijque censuerunt d recte: Nota est tamen veterum de suis huiusmodi heredibus sententia hæc, continuationem quandam dominij eo rem perducere, vt nulla videatur hereditas fuisse, quasi & olim ij domini essent, qui etiam viuo patre quodammodo domini existimantur. Vnde & filiusfamilias appellatur sic vt paterfamilias, sola nota adiecta per quam distinguatur non dominus, sed genitor ab eo qui genitus sit. Itaque & ij post mortem non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequi a: & licet non sint heredes instituti, tamen domini sunt, vt eleganter Paulus ait, non ille modo consultus Romani iuris, sed diuini præco Apostolus gentium b, qui filios vocat consortes & participes bonorum patris etiam viuentis. Qua etiam ex caussa fit, vt patri heredes apparere & existere non fieri, eiusque hereditatem non adire aut repudiare, sed retinere, ac ei se immiscere, aut ab ea abstinere legibus dicatur. Quare non adeo a iuris ratione alienum est, quod in tam atrocis & nefarij criminis vindictam atque etiam terrorem, spes illa, immo potius ius illud quod filijs aut nepotibus quadam naturæ & legum præsumptione, & quasi anticipatione delatum, ac iam quodammodo quæsitum erat, tum cum crimen contraxerunt, ex eorum admisso fisco deferri. Nam nec omnino dissimili ratione, licet diuerso plane contrarioque effectu, Seuerus & Antoninus Imperatores, & ipsi non vna coniuratione petiti, iura libertorum paternorum liberis, cum pater eorum perduellionis damnatus esset, conseruanda benignissime decreuerant: quasi eorum bonorum certa iam quodammodo spe liberis quæsita & debita, quodam peculij iure antequam pater crimen contraxisset c, quod nec seueriore illa maiestatis lege postea reuocatum Baldus censuit d. Verum vt illa ipsa rata portio filij morte damnati, aut potius præsumptum illud ius, quod contracti criminis tempore in bonis patris aut aui ha-

c l. 1. D. de hered. de act. vend. l. 3. C. de vsu cap. pro her. l. 1. D. eod. l. 1. § si quis impuberi. D. de collat. bonor.
d In l. si qua pœna D. de iis qui sunt.
a L. in suis D. de lib. & post. §. sui autem inst. de hered. quæ ab intest. l. cum miles D. ex quib. caus. maior.
b Ad Rom. 8. ad Gal. 4.

c l. 4. D. de iur. patro. l. eorum. C. ad l. Iul. maiest.
d Bald. in l. 1. C. de bon. lib.

buit, fiſco quæri cum effectu poſſet, neceſſario fingendum fuit, quod & illuſtriſſ. Ducis conſtitutio expreſſe fingit, patrem aut auum eo ipſo die ab inteſtato mortuos quo crimen contractum eſt, imo ante crimen ipſum contractum. Alioquin enim ex communi regula iuris, morte ipſa naturali patris aut aui poſtea decedentium in ipſorum bonis ex perſona condemnati etiam tum naturaliter ſuperſtitis, nihil omnino ſibi fiſcus vindicare poſſet. Quia etſi alias ſententia non facit quam deſinere eſſe heredem ipſo iure, fallit tamen in damnato perduellionis, vt Martinus Laudenſis pro ſingulari notat. [e]Et certum eſt filium ſeruum pœnæ factum, paternæ mortis tempore iure ciuili pro nullo eſſe, nec caput aut ſtatum, ſed nec perſonam quidem habere[f]. Ergo & multo minus in ſpecie propoſita fiſcus in bonis Alexandri patris ius habiturus erat ex perſona Petri, qui, ne quidem naturaliter tum inter viuos fuit, cum patris hereditas delata eſt. Sed tamen fictionis illius vi, qua legis ipſius expreſſa prouiſione pater a die contracti criminis ab inteſtato mortuus præſumitur, fiſcus eam ſibi portionem vindicat, quam filius eo ipſo tempore in bonis patris habere potuerat, ſi pater inteſtatus deceſſiſſet. At cum patrem ipſum adhuc inter homines agentem bonis ſuis eorumque adminiſtratione & vſu, vel pro ea parte ſpoliari & exui crudele & iniquum videretur, nec deeſſet tamen probabilis occaſio dubitandi, ne vſu & adminiſtratione illa etiam damnati legitimæ portioni illum in fiſcum fictione quodammodo tranſlatæ fraus aliqua fieret, quin etiam conſequens videretur, vt ſi quid ei portioni poſtea accederet, fiſco etiam non periret: huic rei cautum prouiſumque eſt, non tantum alijs eiuſdem legis capitulis, ſed & nouis poſtea legibus, quibus tamen omnibus ſic res temperata eſt, vt prohibita tantum alienatione, aut diſpoſitione in fraudem fiſci (quod etiam iure communi coercetur[a], legitima patri adminiſtratio vſuſque eius portionis ita relinquatur, vt in ratione ineunda ratæ ſeu virilis, quam filius perduellionis damnatus habiturus eſſet, ab inteſtato ſi pater tempore contracti criminis deceſſiſſet, habeatur ratio bonorum non ſolum quæ pater eo

[e] In tract. de criminib. læſæ maieſt. quæſt. 32.

[f] l. ſi quis filio §. ſed & ſi quis. D. de iniuſt. rupt. irr. fact. teſt. l. ex facto. §. ſi quis D. ad ſ. c. Trebell. l. quidam de pœnis.

[a] l. cum quidam. l. in fraudem D. de iur. fiſc.

die habuit quo mortuus fingitur, sed eorum etiam quæ postea adquisiuit, quæque ipsius naturalis mortis tempore extabunt. Sic enim ea verba legis (*che fussino stati acquistati dipoi per detti padri e altri soprascritti, e che si fussino ritrouati, ò si ritrouassino al tempo della morte loro*) coniunctim accipienda sunt, vt ad præcedentia referantur: non vero disiunctim, vt aliam plane ratæ portionis quotam constituant, quam quæ expresso illo prioris legis capite statuta est. Denique pertinent ista ad executionem tantum eius iuris, quod fisco ante delatum fuerat in bonis patris, si eo ipso contracti criminis momento decessisset: efficiuntque vt ab eo postea quæsita portioni etiam illi tanquam principali pro rata accedant vt fructus quidam aut accessiones.

a *l. post emancipationem §. 1. D. de lib. leg.*

Sed nec ea parte legis fisci caussa iuuari videtur, qua constitutum est, vt quodcunque perduellionis damnatus post contractum crimen industria sua vel qua alia ratione quæsiuit, ad fiscum pertineat, quasi dici possit, ex Francisci fratris morte semissem alterum in bonis Alexandri patris Petro, aut per eum fisco quæsitum [a]. Nam nec Francisco fratri præmortuo vlla portio paternæ hereditatis patre adhuc viuo delata est, & Petrus vel ipsa cogitatione sceleris, saltem damnatione, pro mortuo sic habitus est, vt ne eorum quidem capax fuerit, quę sunt iuris gentium: tantum abest vt ea quæ sunt iuris ciuilis habuerit, qualia sunt iura legitimarum hereditatum siue suarum, siue extranearum [b]. Quinimo & ciuitatem & libertatem hoc ipso perdidit, præoccupauitque casus naturalem mortem, quamuis longo post tempore consecutam, vt eleganter Paulus ait [c], statimque seruus non fisci, aut principis, sed pœnæ in posterum effectus est [d]: adeo vt ne optionem quidem, aut arbitrium ab eo tempore habuisse censeatur [e]. Et quod lex de quæsitis ab eo statuit, naturaliter de facto intelligi potest, de iure ciuiliter non potest. Itaque frustra hic pro fisco obtendatur, Eum repræsentare personam Petri, quæ tum nulla fuit, cum Alexander pater mortuus est: imo ne ante quidem post damnationem, vt ei maire portio in patris hereditate quæri potuerit, quam quæ tum competebat, cum lege ipsa fingitur

b *C. ius Quiritium dist. 1. l. tutelas. D. de cap. minut. Bart. in extrauag. Qui sint rebell. num. 117. in verb. rebellando.*

c *l. qui vltimo. D. de pœn.*

d *l. si quis filio §. sed & si quis. D. de iniust. rupt. l. quod ad statum & l. quidã. D. de pœn. l. 1. C. de hered. instit.*

e *l. ex facto §. quod si quis. D. ad Sc. Trebell.*

fingitur pater mortuus adhuc integro Petri ſtatu, necdum eo capite minuto. Ab eo enim tempore quo vel conſcientia vel ſententia morti damnatus eſt, nihil cenſeri poteſt habuiſſe eorum quæ iuris ciuilis ſunt, aut etiam gentium [a]. Et quod fiſcus pro rata eius portionis ex die contracti criminis in ſe tranſlatæ, etiam in reliquis bonis poſtea quæſitis partem capit, ſuo iam iure facit ex poſterioris legis interpretatione, vt conſors quodammodo, aut potius particeps acceſſionum rei principalis, id eſt ratæ portionis iam ante ſibi quæſitæ & in ſe tranſlatæ ex fictione prioris edicti, vt ante dictum eſt.

Sed neque fiſcus dici poteſt Petri loco patri ſuccedere, ex l. ſi qua pœna. D. de ijs qui ſunt ſui vel al. iur. Non enim eſt hoc ex ordine ſucceſſorij edicti, quod efficit vt patre ſeruo pœnæ effecto, nepos in eius locum auo ſuccedat tanquam proximus [b]. Et quod dicitur publicatis bonis fiſcum in locum damnati ſuccedere, intelligitur de rebus quæ damnato competebant, tum cum bona eius publicata ſunt [c]. Quin nec in ijs quidem fiſcus eodem plane iure ſuccedit, quo qui ſunt ex ſanguine: quæ tractatio alterius loci eſt. Poſtremo, nec illud pro fiſco in hac cauſſa dici iure poteſt, Petrum perduellionis damnatum fingi hodieque viuere, aut ſaltem eo tempore vixiſſe, quo pater deceſſit. Primum quia lex non id fingit. Certum eſt autem in materia excluſiua aut priuatiua, quod non eſt ſpecialiter expreſſum, haberi pro omiſſo, nec ſuppleri in alterius damnum aut præiudicium [d]: immo & quamlibet generale dictum reſtringi, ne quis indebite damnum patiatur [e]: & in correctorijs iuris communis etiam ex ſimilitudine vel identitate rationis numquam fieri extenſionem [f]: multo minus in pœnalibus & odioſis [g]. Quin etiam tantum abeſt, vt legibus quæ propoſitæ ſunt, huiuſmodi fictio expreſſa videri poſſit, vt ne vel tacite elici quidem ex earum intentione aut verbis queat, cum omnino contraria ſit expreſſæ illi qua lege priore anni 1548. (ad cuius interpretationem reliquæ poſtea conditæ ſunt) diſerte fingitur pater

a D. l. qui vltimo. b l. 1. §. pen. D. de bon. poſſ. c. tab. c l. actionem §. publicatione. D. pro ſocio l. inter eo §. fin. D. de fideiuſſor. l. 2. C. ad l. Iul. de vi. publ. d §. Cum igitur. No. de non elig. ſec. nul. l. at ſi quis. §. diuus. D. de relig. & ſumpt. fu. nere. Bald. in l. Chirographis C. ſi cert. pet. & Auth. ex teſtamento C. de fœcũd. nupt. Iaſ. in l. diuortio. § ſi fundũ. D. ſol. matr. & in l. 1. C. de tranſact. e l. adigere §. quamuis. D. de iur. pat. Bart. & D D. in l. non dubium C. de legib. f Gloſ. in auth. quas actiones C. de ſacroſ. eccleſ. Doct. in de liber. & l. ſi conſtãte D. ſol. matr. Bart. in l. 1. D. de verb. ſig. Bald. & Angel. in l. Gallus. in pr. D. poſt. Cynus & Salic. in l. quicunque C. de ſer. fugit.

perduellis tunc deceſſiſſe, cum filius de crimine cogitauit: quibus verbis extremitas temporis ſignificatur [a]. Deinde vero fictio illa non modo contra naturæ veritatem, ſed & contra naturalem æquitatem fieret, quippe quæ & patri inſonti filijque calamitate plus ſatis afflicto teſtamenti factionem, id eſt libertatem eriperet, & filias innoxias paternis bonis ſpoliaret, vt poſtea ſuo loco dicetur: ſed & efficeret vt Petrus delinquendo precioſior quodammodo factus videretur, quam tunc erat cum delinqueret. Quod nec bonis moribus, nec naturali rationi ſatis congruit [b]. Iure autem fictio introducta eſt ex ſola naturali æquitate, qua ceſſante, nec fictio admittitur, vt Bartolus olim monuit [c]. Quarto, in omni fictione priuatiua aut tranſlatiua, (qualem iſtam, ſi admittatur, futuram negari non poteſt) requiruntur ſemper duo extrema habilia, primum quidem a quo verum in eſſentia: alterum ad quod ſaltem potentialiter, ſed poſſibilitate, & facti & iuris, vt Doctores noſtri magiſtraliter dixerunt [d]. At in propoſita ſpecie, præterquam quod primum illud extremum fictioni lege expreſſæ penitus contrarium eſt: poſterius licet in genere poſſibile videatur poſſibilitate facti, iure tamen eſt plane inhabile. Nec enim ſufficiat fingi Petrum vixiſſe eo tempore quo pater reuera deceſſit: ſed neceſſe omnino eſſet præterea fingere, Petrum, licet morte ciuili damnatum, naturali conſumptum, capacem tamen eorum fuiſſe quæ ſunt iuris ciuilis, & patris heredem ab inteſtato eſſe potuiſſe. Itaque non vna tantum eſſet fictio, ſed multiplex, contra regulam iuris, qua receptum eſt, Ne duo quidem ſpecialia aut ſingularia circa idem ſubiectum concurrere poſſe, ne in illis quidem quæ fauorem potius & gratiam, quam odium merentur [e]. Alioquin ſi ex eo quod fingeretur Petrus vixiſſe paternæ mortis tempore, fiſcus ex Petri perſona vniuerſam patris hereditatem auferret: fictio certe maiorem vim haberet quam veritas ipſa, contra aliam regulam iuris, qua nec fictio admittitur, vbi veritas locum habere non poteſt [f]. Nam etſi figmentum veritatis in imagine eſt, imago ipſa in veritate eſt ſui, vt Tertullianus de reſurrectione carnis argute ait. Adde quod de eo

a l. 4. in fi D. de condit. & demonſtr.

b l. pretia rerum. D. ad l. falc.

c In l. ſi quis pro emptore nu. 1. D. de vſurp. & vſucap.

d Gl. in l. ſub conditione D. de ſolut. Bart in d. l. ſi quis pro emptore nu. 8. 28. 52. & 63.

e l. 1. C. de dot. rom. Fel in C. cum N. Ferrarienſis. Ext. de Conſtit.

h Not. in l. qui ad certum D. locat. Bart. in D. l. ſi quis pro emptore & in l. eundem. C. de duob. reis.

quodamplius non extat, nihil fingi iure poteſt ad id tempus, quo in rerum natura non fuit, vt fuiſſe præſumatur.

Sed excuſſis legum verbis iam æquitas etiam in ſpecie propoſita amplius expendenda eſt. Nam & in dubio ea videtur fuiſſe mens atque intentio principis quæ eſt iuris communis & naturalis rationis. b Et Legiſlator ipſe conſtitutione ſua anni 1565. vltro diſerteque profitetur legem ſe ſuam ad rationis & æquitatis normam conformaſſe. Et ſane in propoſitis legibus, vt ſummam illuſtriſſimi Ducis prudentiam enixãque curã in ſtatu ſuo retinendo conſeruandoq; agnoſcere eſt, ſic & iuſtitiæ & æquitatis moderatione zelum illum principalem temperatum negari non poteſt: nec abs re alicui videatur antiquum eiuſdem Reipublicæ ſtatutum, cuius doctores noſtri aliquoties meminerunt, c hac parte aliquanto durius. Nam quod illuſtriſſ. princeps voluit bona perduellionis damnati tranſire ad fiſcum ſine aliquo onere fideicommiſſi aut ſubſtitutionis, & ſi fortaſſis non vſquequaque iuris communis regulis conuenire videatur d: non caret tamen probabili ratione priuilegium hoc ſecuritatis principis & publici ſtatus, & auctores habet non interpretes modo iuris, ſed etiam conditores, præſertim in feudis & beneficijs, quæ a principe ipſo, vt a capite & fonte, manaſſe cenſentur. Verũ vt id quod ad propoſitam quæſtionem propius ſpectat, attingamus, illud hic in primis conſideratione dignum eſt, poſteriorum quidem Imperatorũ conſtitutionibus in maieſtatis crimine patrũ ad filios, in quib9 paterni, id eſt hereditarij criminis exẽpla metuãtur, ne ad progenitorũ exempla ſubcreſcant, pœnam quodãmodo tranſmitti. Quod antiquum & plurium olim ciuitatum fuiſſe M. Tullius ad Brutum ſcribit, e exemplumque adfert filiorum Themiſtoclis proditionis damnati & hanc cauſſam adijcit. Præclare ita legibus comparatum, vt charitas liberorum amiciores reipublicę parentes redderet, ſeque eam ſeueritatem in dicenda de Lepidi filijs ſententia ſecutum ait. At idem ille agnoſcit videri hoc quodammodo crudele, quod

a Noc. in l. huic ſcriptura C. ad l. Aquil. Bart. in d. l ſi. quis nu. 53.
b Bald. in tit. Apud quem vel quos contro. inueſt. del. in vſib. feud. in l. ex facto D. de vl. & pub. ſubſt. & in l. in teſtamento C. de mil. teſt. & in c. innotuit. de elect. Panormit. in c. ad hæc de reſcript. Io. And. in c. dudum. de decim. Angl. in l. bene a Zenone. C. de quad. praſc. Alex. in l. quanquam. C. de teſt. mil.
c Bart. in l. iure prouiſũ C. de fabricenſib. lib. 11. & in l. ſancimus. C. de pœnis. Bal. in conſilio quodã incip. In Dei nomine feliciter. videtur quod rigore dicti arbitrij. in l. ſi finitã am.

d l. 1. C. pœn. fiſc. cred. præ. l. in ſumma l. quod placuit. & l. ſtatius. §. fi. D. de iure fiſc. Bart. §. ſi de vectigali. D. de dam. inf. Math. de Affl. dec. 282. & in c. 1. Quæ ſit prim. cau. ben.
e lib. 1. epiſt. ad Brutum.

ad liberos qui nihil meruerũt, pœna perueniat: & Seneca a inter Syllanæ crudelitatis exẽpla recenset, quod a Reip. administratione liberos proscriptorũ submouerat. Nihil enim esse iniquius, quã aliquẽ paterni odij heredẽ fieri. Quod & Dionys. Hallicarnass. lib. 8. hist. Ro. latius persequitur, & Philo de specialibus Moysis legibus b, illam præ cæteris valde laudans, quæ vetuit liberos pro patre puniri: quod iniquũ videatur ex Ezechielis Prophetæ c sententia, filiũ ferre delictum parentis. Quibus etiam rationibus moti Doctores nostri, statuta illa & leges, quæ pœnas vltra suos auctores, etiam in maiestatis aut perduellionis crimine, produxerunt, & filios ex patris delicto, vel aliqua parte bonorum multarunt, vt tolerabilia esse concedant non esse tamen laudabilia pronuntiant: sed tanquam odiosissima, & ab æquitate naturali diuinoque iure exorbitantia, nullo modo produci aut extendi, sed quantum potest strictissima interpretatione coerceri debere d. Ideoque ex eis non pauci Legem illam paullo seueriorem Arcadij & Honorij nomine celebrem cui Gildonis recens facinus occasionem dedisse videtur, non tam apud Impp. ipsos, quam apud Impp. tutores, putarunt non habere locum in filijs ante crimen natis, sed nec ad eas hereditates quæ iam tum delatæ erant, nec ad libertorum paternorum successionem aut Ecclesiastica beneficia pertinere e. Quidam etiam summi viri f eo progressi sunt, vt legem illam ad terrorem potius, quam ad executionẽ scriptam existimarint. Alij rigorẽ illum temperatum esse censuerint lege posteriore g, qua humanius sancitum est, ibi esse pœnam vbi & noxa est: propinquos, notos, familiares, quos sceleris societas reos non facit, procul calumnia submoueri: nec sanguinem vel affinitatem, aut amicitiam crimen admittere: scelus non genus esse puniendum. Alterum alterius odio grauari non debere: peccata suos tenere auctores, nec vlterius progredi pœnam, aut pœnæ metum, quam reperiatur delictum. Verum, vt hoc singulare in summo illo & horrendo perduellionis crimine esse concedamus, admittamusque seueriorum legum plenam executionem, sane nullum est Christiani principis edictum, nulla Reipublicæ bene

a lib. 1. de Clem.

b Deuter. 24. 16. 4. Reg. 14. 16. 2. Paralip. 25. 4.

c Ezech. 18. 20. C. Iudæi 1. q. 4.

d Cyn. in l. lege Cornel. D. de vulg. Bal. Salic. Angel. in tit. Res inter alius.

e Pet. Cyn. Io. fab. & Angel. in l. quisquis. C. ad l. Iul. maiest. Bald. in l. 1. C. de bon. lib. Ang. in l. adoptiuũ §. patronum. D. de adop. Angel. in l. fallaciter. C. de abolit.

f Bud. in post annot. in pand.

g l. Sãcimus. C. de pœn.

quidem constitutæ lex, nullum statutum, quo ex delicto quamlibet scelesti filij puniatur pater insons atque innoxius: & barbarum illum Macedonum morem Alexander ipse Macedo damnasse se, ac propinquis parentibusque remisisse gloriatus est [a]. Sed & iuris Doctoribus quidam ingenue dicere ausi sunt, huiusmodi statuta & constitutiones sapere tyrannidem, ac dira & crudelia esse [b]. Et vero diuersa hic longe a superioribus ratio est: nec retro quoque eadem recurrunt. Non enim vt in filijs paterni criminis, sic in patribus filiorum exempla metuenda sunt: nec hereditates istæ sic regrediuntur, vt descendunt. Sed vt Euripidem illud ab omnibus laudatur [c], Ex scelesto & improbo parente vix nasci probum filium, malique corui malum fere ouum esse solere: sic & illud eiusdem, euentus fere comprobauit, vix vnum inter plurimos nasci, qui patre vitiosior non sit: & notum est creberoque vsurpatum illud Lyrici Vatis,

a *Apud Q. Curt. lib. 6. & 7.*

b *Cyn. in d. l. lege Cornelia.*

c *In Eraclid.*

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Vetus etiam dictum constat, Heroum filij, noxæ. Adeo natura hominibus insunt vitia potius quam virtutes, & ex traduce quodammodo in posteros illa transeunt, hæc simul cum parentibus obruuntur. Quod fato quodam fieri Demosthenes queritur. Fit tamen: & reputantibus nobis, licet illam Ælij Spartiniani querelam renouare, Nemionem prope magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquisse: denique aut sine liberis interijsse, aut tales habuisse plerosque, vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discessisse. Sed nec ea pietas in liberis est, quæ in parentibus charitas, vt amiciores eos reip. metus paternæ calamitatis facile præsumatur. Quare tantum abfuit, vt legibus Romanis ex delicto filij patri pœna aliqua infligeretur, vt contra Alexander Imperator rescripserit [d], Si filius cum esset in potestate patris deportari in insulam meruit, peculium eius nec quod in castris

d *l. 3. C. de bon. proscript.*

adquisiuit, vel quod ei militaturo pater donauit, auferri patri debere. Quo rescripto tantum etiam abest, vt aliquid fingatur in odium patris, aut fisci fauorem, vt contra fingatur pater, quia filiusfamilias iure suo vsus non est, retro dominium in rebus filij habuisse ex Vlpiani sententia [a]. Quo præcipue argumento Cynus, Bartolus, alijque tradiderunt [b], Publicatis filij bonis, nec proprietatem peculij, siue profectitij siue aduentitij, aut castrensis, nec vsumfructum publicari.

[a] l. Seruum filij in pr. D. de leg. 1.

[b] in l. si postulauerit. § iubet D. ad l. Iul. de adult. & in l. si finita §. si de vectigali. D. de Damn. infe. vbi Paul. Castr. & Io. de Immol. Mar. Socin in c. veniens de accusat. Angl. in l. adoptiuum. §. patronum. D. de in ius voc. Cyn. in l. 3. C. de bon. proscript.

Porro in proposita quæstione, si verum amamus, ingenue fateamur necesse est, non agi de bonis, quæ reuera eius fuerint, qui crimen admisisse dicitur siue proprietatem, siue vsumfructum spectes: sed de iis quæ pater ciuis optimus, qui neque degeneris filij propositum sciuit, neque ratum habuit, neque prohibere potuit, ad quem nihil ex eo deuenit, cuius denique nulla culpa arguitur, aut a maioribus suis habuit, aut ipse laboribus suis & industria quæ sunt iuste, possedit legitime, fideliter administrauit, quæque posteris quantum in se fuit, quantumque per leges licere putauit, conseruata voluit. Cum igitur legum quæ proponuntur verbis hoc expressum non constituatur, vt pater ob crimen perduellionis commissum a filio, pœnam aliquam ferat, quinpotius eisdem legibus ita ei cautum sit, vt etiam portionis eius quæ ex persona filij in fiscum translata fingitur, perinde ac si pater eo die quo de crimine a filio cogitatum est, decessisset, plenam administrationem habeat: sic pœnalem sanctionem extendere, vt quod vel expressis verbis vix ac ne vixquidem fieri potuit, subtili & odiosa interpretatione fiat, profecto non solum contra humani iuris regulas, sed etiam contra diuini oracula, & contra naturalem æquitatem, communemque humanitatis sensum non immerito videatur. Atqui si ita interpretemur, vt vniuersam Alexandri patris substantiam totumque patrimonium ad fiscum pertinere dicamus, consequens erit dicere Alexandro insonti atque innocenti testamenti factionem iisdem legibus prohibitam: atque ita optimum ciuem, & antiquæ gentilitatis alieni criminis inuidia inauditum, nullo suo me-

rito capite minutum, saltem iugo latinæ libertinitatis a subditum, & iussum sub liberti quidem titulo agere viuentem, sed non permissum quidquam habere morientem, negato etiam supremæ voluntatis illo quod nunquam redit, arbitrio, quo nihil esse dicitur, quod magis hominibus debeatur b Immo quid est aliud (exclamat ad Ecclesiam Catholicam in re non vsquequaque dissimili grauis imprimis Theologus Saluianus Massiliensis presbyter)[c] quam seruituti addicere, quos non vis ali quid quasi ingenuos possidere, & quæ superstites quæsiuerũt ne pro parte quidẽ suis seruare moriẽtes? Huic inspectioni non minimum pondus addit qualitas filiarum, quæ & legitimo patris iudicio ad eius bona vocantur, & non sanguinis modo iure, sed vel sexus sui priuilegio, etiam læsæ maiestatis crimine patre ipso damnato, meliore semper conditione habitæ sunt quam filij. Nam vt omittãtur bonorum principum exempla, vt illud M. Anthonini, qui rebellis Auidij Cassij filias etiam auro, argento, gemmisque honestasse legitur[d]: itemque inter recentiora, illud Ferdinandi regis Neapolitani a nostris relatum laudatumque iure,[e] qui Rosani principis in caput ipsius coniurati filias non modo paternis bonis non exuit, verum etiam honorifice collocauit, certe & seueriore illa Arcadij & Honorij lege, filiabus damnati in maternis bonis saltem legitima seruata est[f]. Ex qua etiam constitutione Angelus respondit g, licet decreto regis aut ducis cautum sit, vt bona coniurantis contra statum suum publicentur, filiabus tamen saluam semper esse debere legitimam. Nec mirum: cum & damnati perduellionis vxor, alioquin socia diuini humanique iuris indiuidua, vna cum marito caro, non dotem modo recipiat, sed & donationem propter nuptias h, seruata etiam in ea veteri sexus siue iure, siue priuilegio[i], cuius etiam fauore traditum est, pœnam in posteros transeuntem non comprehendere lineam femininam[k]: & ex statuto puniente delictum præsumptum, mitius agi cum feminis l. Nec hoc tantum sexus infirmitati datum, sed etiam pudicitiæ & castitati, quam omnibus modis integram seruari publice interest.

a *l. 1. Theo. de hered. pet. §. vlt inftit. de success. lib. l. 1. C. de lat. lib. toll.*
b *l. 1. C. de sacros. eccles.*
c *lib. 3.*
d *vulcat. Gall. in Auidio Cassio. Iul. Capitol in Marco.*
e *Matth. de Affl. in c. 1. §. & bona committentium. Quæ sint regal.*
f *l. quisquis §. ad fili. C. ad l. Iul. maiest.*
g *consil. 305*
h *§. vxores D. l. quisquis.*
i *l. in his rebus. D. sol. matr.*
k *Io. Ard. in c. in quibusdam de pœn. in 6 Bald in l. quicunque C. de ser. fug*
l *Glo in l. vbi. D. de eden.*

Illud ad extremum in hac quæstione non bene momentum habere poteſt, quod & ſi quæ maior ambiguitas aut obſcuritas eſſe videretur, quam eſſe propius inſpicientibus viſa eſt, in propoſitis illuſtriſſimi Ducis legibus, quas etiam ſe ipſius Excellentia ad rationis & æquitatis normam conformaſſe profiteretur, recurrendum eſſet ad illas & rationis & æquitatis regulas in hanc rem a maioribus legum conditoribus præſcriptas, Semper in dubijs benigniora præferenda eſſe: a &, interpretatione legum pœnas potius eſſe molliendas, quam exaſperandas b: quin etiam interdum licet edicti verba non patiantur, iuriſdictionem tamen eſſe moderandam c: ſimul & illud expendendum, quod Baldus d non immerito pro ſingulari notat: Quantumcunque lex ſit fauorabilis, tamen ſi appoſita eſt pœna, odioſam cenſeri & reſtringendam potius, quam extendendam.

Itaque omnibus mature expenſis, quod bona melius ſentientium venia dictum ſit, Ex animi noſtri ſententia ita concludimus, Videri quidem ex propoſitis legibus eam portutionem, quæ ad Petrum ex bonis Alexandri patris deuenra erat, ſi tum pater inteſtatus deceſſiſſet, cum filius crimen perduellionis contraxit (id eſt ſemiſſem ſiue dimidiam, habita ratione Franciſci fratris tum adhuc viuentis) in fiſcum ex cauſſa perduellionis ipſo iure tranſlatam, ita vt ab eo tempore fiſco ius in ea quæſitum cenſeatur: Ideoque & quod poſtea a patre ex vniuerſorum bonorum plena adminiſtratione adiectum eſt, pro rata eiuſdem portionis quodam acceſſionis iure ad fiſcum pertinere: ſicque ex legis verbis, atque mente haberi rationem omnium bonorum, quæ pater poſtea moriens reliquit. Reliquum ſemiſſem Alexandrum patrem libere habuiſſe: & ſiue verba legum, ſiue mentem ſpectemus, ſiue rationem & æquitatem, filiarum Alexandri a patre inſtitutarum longe in eo ſemiſſe potiorem eſſe cauſſam, quam fiſci: cuius tamen vix mala cauſſa eſſe dicitur, niſi ſub bono principe, cui hæc ſumma victoria, hæc præcipua gloria eſt, cum in ſua cauſſa, ratione & æquitate vinci ſe patitur.

a l. ſemper D. de reg. iur.
b l. Interpretatione D. de pœn. l. in factum §. vlt. D. de reg. Iu. c. in pœnis. eo. tit. in 6.
c l. quamuis D. de in ius voc.
d In l. illud num. 4. C. de ſacroſ. eccleſ. vbi & Iac. de Beluiſo.

In

In huius nostri consilij fidem subscripsimus nos Aduocati Consiliarij in Curia Franciæ, Lutetiæ Parisiorum III. Non. April. anno a Christo nato CIƆ. IƆ. LXXXVII.

PETRVS PITHOEVS scripsi.

Subscripsere

Iac. Canaïus.
Franc. Montholonius.
Io. le Maistre.
Renatus Choppinus.
P. Du-Lac.

RELATIO, SIVE CONSILIVM ET SENTENTIA MAGNIFICORVM sex Iudicum Rotæ.

Ad clariss. Locumtenentem & Consiliarios Reip. Florentinæ.

CLARISSIMI DOMINI,

IN caussa coram dominationibus vestris clarissimis vertente inter nobiles dominas Gineuram, Lucretiam, Camillam & Cassandram sorores, & filias quondam domini Alexandri de Capponibus, & Franciscum filium Aloysij Capponi Stufæ, & dominæ Ludouicæ etiam filiæ dicti domini Alexandri, & Andream Vincentij de Alamannis tam nomine suo proprio, quam vti procuratorem reuerendissimi domini Lucæ Episcopi Matisconensis Alamanni, & Iuliani filiorum dicti Vincentij, & dominæ Caterinæ pariter filiæ dicti domini Alexandri, siue eorum procuratores, modis & nominibus quibus in actis dictæ caussæ actores seu actrices,

ex vna: Et fiscum & magnam cameram suæ celsitudinis, etiam modis & nominibus, quibus in actis prædictis reconuentum, ex alia. Visa petitione dictarum agentium, visis exceptionibus pro parte fisci productis, & replicationibus hinc inde factis: visis allegationibus ab vtraque parte exhibitis, auditisque pluries dictis partibus, & earum procuratoribus & aduocatis: & visis omnibus & singulis deductis, productis, actis & actitatis hinc inde in dicta caussa, & mature discussis, & consideratis omnibus considerandis cum plena caussæ cognitione, & omni meliori modo. Dei nomine repetito referimus partes dominationum vestrarum clarissimarum fore, & esse in pronunciando, vt infra sequitur.

Dei nomine repetito, Pronunciamus, sententiamus, decernimus & declaramus petita & exposita per supradictas nobiles mulieres filias dicti domini Alexandri de Capponibus, & per supradictos eius nepotes, siue per eorum & earum procuratores in principali eorum petitione & libello, siue infrascripta fieri debere & posse de iure, & secundum formam statutorum & ordinamentorum communis Florentiæ: saluis tamen infrascriptis. Dicimus igitur medietatem omnium rerum, bonorum mobilium, immobilium, iurium, actionum, & effectuum, qui & quæ erant quomodolibet in bonis & patrimonio dicti D. Alexandri, seu quoquo modo ad ipsum spectassent, & pertinuissent tempore cogitati criminis rebellionis per Petrum filium dicti D. Alexandri, spectauisse & pertinuisse vsque tunc fisco suæ celsitudinis iure proprietatis & dominici, & eidem nunc etiam spectare & pertinere sine aliqua deminutione. Post obitum vero dicti D. Alexandri eandem medietatem spectauisse & pertinuisse, spectare & pertinere supradicto fisco vna cum omnibus fructibus & iuribus percipiendi omnes & quoscunque fructus dictæ medietatis. Alteram vero dimidiam supradictorum bonorum, iurium, actionum & effectuum, qui & quæ erant tempore cogitati criminis, dicimus spectare & pertinere vna cum fructibus proportionalibus a die mortis eiusdem domini Alexandri dictis filiabus & nepotibus: & fore & esse ex-

corporandam, & eiſdem filiabus & nepotibus, ſeu eorum procuratoribus dictis nominibus relaxandam. Ad quam excorporationem & relaxationem, præfatum fiſcum, ſiue eius procuratorem condemnamus. Quod ad alia vero bona, iura, actiones & effectus, ſi quos & quæ poſt cogitatum delictum per dictum Petrum fuerint quoquo modo quæſita per dictum D. Alexandrum, & fuerint reperta in eius bonis & hereditate, exceptis tamen rebus & bonis relictis dicto D. Alexandro per dominum Aloyſium eius fratrem dicimus pro medietate vna cum fructibus a die mortis domini Alexandri ſpectare & pertinere præfato fiſco ſuæ celſitudinis. Alteram vero medietatem vna cum fructibus pariter a die mortis dicti D. Alexandri dictis filiabus & nepotibus, ſiue eorum procuratoribus dicto nomine, & fore, & eſſe excorporandam & eis relaxandam. Ad quam excorporationem & relaxationem fiſcum præfatum, ſeu eius procuratorem, condemnamus, & pronunciamus ſine præiudicio iurium, ſi quæ fiſco competant ſub aliis cauſſis ab iſta quomodolibet dependentibus, & nobis referendis. Et ſecundum prædicta dicimus per D. Iudices a quibus, bene vel male fuiſſe & eſſe iudicatum, & per appellantes bene vel male appellatum: & ambas partes iuſtis de cauſſis ab expenſis abſoluimus. Et hæc omni meliori modo, &c.

Ex Rota die xxx. Octob. 1587.

D.D. VV.

Deditiſſimi

Camillus Cerezzanus Prætor,
Galuanus Caſtaldus,
Valerius Bregnoſa,
Tirontes Boncoannes,
Aſcanius Renaldus,
Alexander Lucantonius.

DOM FERDINANDO CARDINAL DE MEDICI, GRAN DVCA DI TOSCANA.

Molto magnifici nostri dilectissimi, Habiam visto il Referto della Ruota nella caussa del fisco, & delle figle d'Alexandro Cappon, & altri interessati: & perche l'intenzione nostra é esara sempre che si faccia la giustizia indifferentemente ad ogni vno, pero ci contentiamo che publichiate & approuate il detto Referto che si vi manda incluso sottol giorno d'hoggi i habiam per publicato, & nostro Signore Iddio vi guardi. Di Palazzo l'vltimo d'Octobre 1587.

F. CARD. GRAN DVCA DI TOSCANA.
PETRVS VSIMBARDVS Secret.

Et a tergo
Alli molto magnifici nostri dilectissimi Signori il Luogotenente, & Consiglieri nella Republica Fiorentina.

Pronunciata & publicata primo mensis Nouembris Anno CIↃ. IↃ. LXXXVII.



CONSVLTATIO DE FEVDIS QVIBVSDAM PEDEMONTANIS.

Thema.

CIↃ CCCLXII. *Augusti legitur concesio & inuestitura feudi Morettæ, fratribus de Sollario cum clausula ad habendum, tenendum & posidendum, & perpetuo faciendum, prout videbitur absque Principis licentia, & cum pacto expresso, quod de eo ipsi inuestiti & sui hæredes possent inter se disponere libere absque licentia.*

CIↃ CCCXCVI. Legitur *concesio & inuestitura feudi Macelli pro heredibus & successoribus quibuscumque masculis, & cum pacto quod ipsi, & eorum liberi masculi possent inter seipsos alter alteri & aliis eorumdem & econuerso quandocumque & quotiescumque placuerit, quouis titulo & quauis etiam vltima voluntate alienare ipsum feudum & quamlibet eius partem, principe & successoribus non requisitis.*

CIↃ CCCXII. *Ioannes Marchio Saluciarum, vendit Philippo de Sollario condomino Morettæ locum turris sancti Georgij recipienti pro se, hæredibus & successoribus*

quibuſcumque, & cauſam habentibus & habituris.

CIↃ CCCCXIV. *Dux Sabaudię approbat dictam venditionem & inueſtit dictum emptorem pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus quibuſcumque.*

CIↃ IↃLX. *Ludouicus de Sollario condominus Morettæ, Macelli & Turris ſancti Georgij in ſuo teſtamento prælegauit dicta feuda Morettæ, Macelli, Turris & (de quo vltimo hactenus non fuit quæſtio) Manfredo & Gabrieli filijs ſuis & alijs maſculis forte naſcituris, cum reciproca ſubſtitutione, & poſt omnes filios, ſiue vltimo ſine liberis decedenti, ſubſtituit Hieronymum & Bonifacium fratres, Vaſcimum, Franciſcum, & Ioannem omnes de Sollario eiuſdem teſtatoris nepotes, & præmortui ſiue præmortuorum filios maſculos in dictis bonis feudalibus. In reliquis ſubſtituit filias ſuas.*

In omnibus alijs bonis inſtituit filios & filias: & filijs omnibus decedentibus ſubſtituit filias.

Prohibuit filiis ſuis maſculis natis & naſcituris alienationem dictorum feudalium, niſi inter ipſos & alios proximiores æquatos, cum clauſula incitatiua.

CIↃ IↃLXIII. *Exorta inimicitia & rixa inter dictum Ludouicum teſtatorem & Bonifacium vnum ex dictis ſubſtitutis dictus Ludouicus per ſuos codicillos reuocauit ſubſtitutionem factam de Bonifacio & Hieronymo eius fratre: omiſit reuocare ſubſtitutiones filiorum eorumdem Bonifacij & Hieronymi. Et in hoc conſiſtit vna difficultas.*

CIↃ IↃLXXIIX. *Manfredus filius Ludouici ſolus ſine filiis maſculis decedens inſtituit Octauiam filiam, cui dece-*

denti sine filiis substituit Carolum & Ludouicum filios Francisci vnius ex substitutis in testamento Ludouici.

Defuncta Octauia, Camera Ducalis reduxit feudalia ad manus suas. Oritur quæstio inter Carolum & Ludouicum fratres filios Francisci prætendentes se vocatos duplici via; primo ex testamento Ludouici & persona patris substituti in feudalibus exclusis Hieronymo & Bonifacio per codicillos Ludouici. Secundo ex testamento Manfredi, in quo ipsi nominatione vocantur aliis omnibus exclusis.

Causa primo loco fuit per delegatos serenissimi Ducis definita, vt Carolus & Ludouicus in feudo Morettæ soli succederent excluso filio Bonifacij. Secundo loco senatus Ducalis non solum filio Bonifacij partem feudorum Macelli & Turris confirmauit, sed etiam partem feudi Morettæ assignauit. Pendet nunc casus sententiæ reuisio. Cuperent illustrissimi Domini Carolus & Ludouicus veridicum reportare consilium supra infra scriptis difficultatibus, vt possint maturius deliberare, cedere ne an vltra contendere debeant.

Et primo quæritur vtrum substitutio facta in testamento Ludouici filijs suis decedentibus sine liberis, intelligatur de masculis, an etiam promiscue etiam de fœminis. Materia subiecta feudorum vnam suadente, vocationem filiarum sub eadem liberorum conditione ad partem contrariam inclinante, iuncta regula quod liberorum appellatione filiæ continentur etiam ex proprietate verbi.

Secundo, an inimicitia orta post testamentum inter Ludouicum testatorem & Bonifacium substitutum induxerit suffi-

cientem causam reuocationis, imo reuocationem substitutionis Bonifacij.

Tertio, an præsupposito quod inimicitiæ fuerint sufficientes ad reuocationem substitutionis Bonifacij, an etiam extendatur ad filiorum Bonifacij substitutionem, maxime, quia cum illi tempore testamenti Ludouici non essent nati, præsumitur de eis facta substitutio non ipsorum sed patris Bonifacij contemplatione, quo fit vt ingratitudo patris noceat etiam filiis.

Quarto, an reuocatio substitutionis factæ in testamento Ludouici de Bonifacio & Hieronymo nulla in codicillis facta mentione filiorum extendatur etiam ad filios ratione prædicta, videlicet, quod substitutio fuerit facta de filiis non natis contemplatione patrum, quorum inimicitia & ingratitudo nocere videtur filijs, adeo vt & locus regulæ, quod vnius exclusio &c.

Quinto, quæritur an feuda ista constantibus pactis & tenore inuestiturarum dicantur talia vt posint comprehendi in dispositione testamentaria Ludouici & subsequenter Manfredi inspecto tenore primarum inuestiturarum, de quibus supra: cum facultas alienandi simpliciter concessa debeat intelligi secundum naturam feudorum, & clausula feudi recti & proprij repugnet facultati alienandi: & in dubio verba & pacta secundum subiectam materiam intelligantur & secundum naturam feudorum.

Sexto, quæritur an illustrissimi Domini Carolus & Ludouicus de Sollario qui dixerunt in actis conditionem illam liberorum posita morte filiorum Ludouici, intelligi de masculis, posint nunc contrarium asseuerare, cum nostrum affirmare vel negare rei veritatem non immutet. Nam ratio & vtilitas

est

est euidens, quia si conditio illa liberorum debet de masculis tantum intelligi, subsequitur dubitatio de reuocatione substitutionis Bonifacij, an videlicet etiam includat filiorum substitutionis reuocationem; quod si etiam de fœminis, cessant difficultates, & ex testamento Manfredi soli vocantur dicti illustrissimi fratres.

Septimo quæritur, an Ludouicus habens filios masculos vocatos ex natura feudorum & tenore concessionum, potuerit filios grauare, & tollere eis facultatem disponendi in casu quo ex tenore inuestiturarum potuissent disponere, videlicet quando sine masculis decederent. Ratio & vtilitas est, quia si non potuit pater filios masculos habens auferre ab eis facultatem disponendi, si filios masculos non haberent, remanet testamentum Manfredi validum, quo soli vocati sunt illi Domini fratres prædicti.

Postremo queritur, feudum Baldeizeri, quod est nouum in persona Ludouici fuit ne concessum iure antiqui, vt veniat in dispositionem Ludouici & Manfredi, aut alterius ipsorum: an potius ob mortem Manfredi sine filijs masculis fuerit legitime deuolutum, adeo quod potuerit Princeps illud tanquam deuolutum alteri donare, & sic erit enucleanda illa difficultas, vbi D. Can. in Tractat. de Antiq. temp. vnum tenuit, & in consilijs alium.

VT propositis in hoc breuiculo quæstionibus analytico ordine satisfiat, primum illud statuendum videtur, quamuis iure communi feudorum, vasallus feudum alienare aut in extraneum, vel remotiorem gradu agnatum transferre; sed ne filio qui ad successionem feudi vocatus est testamento præiudicare possit. c. 1. Qual. olim pot. feud. al. c. 1. §. hoc quoque de success. feud. c. 1. §. si vero de feud. alie. c. 1.

de al. feud. pat. c1. de vassal. qui cont. loth. &c. Titius si de feud. defun. fuer. cont. In specie tamen quæ proponitur potuisse Ludouicum patrem cum auita Morettæ, Macelli, & Turris S. Georgij feuda Manfredo filio iure legati testamento relinqueret emissum fideicommiss. & substitutione agnatorum grauare: tum quia legibus inuestituræ eorumdem filiorum hoc expresse cautum concessumque fuit, vt de eis inuestiti & eorum hæredes possent inter se disponere (quæ lex etiam in extraneorum gratiam maxime inter laicos valet, vt Iac. Aluar. & alij feudistæ notant in d. c1. Qual. ol. pot. feud. al. Et in c. 1. §. pen. in fine quid sit inuest.) tum quod & cessante ea lege receptum est alienationem feudi etiam in extraneum a patre factam non posse reuocari a filio, ad quem postea ex hæreditate patris aliquid peruenit. Iac. de Bel. in d. c. Titius not. in c 1. an fil. vel agn. in vsibus feud. & a Paul. Castr. consil. 173.

Illud igitur videndum, cum Manfredus moriens Octauiam filiam naturalem & legitimam relinquerit quam & ipse testamento omnium bonorum ex asse hæredem instituit, an conditio Ludouici testamento substitutioni adiecta, hoc ipso defecisse censenda sit. Et sane Oldradi sententia hæc fuit consil. xxi. substitutionem ita factam, si sine liberis decesserit, extantibus liberis tempore mortis euanescere, quidquid postea inquit, de liberis contigerit. Quod Ioannis Andreæ F. Pauli Castrensis, Abbatis & Alexandri auctoritatibus late confirmat Philippus Decius consil. 63. ex quo hic plura repetere superuacuum fuerit. Verum vt recte Barthozius monet consil. 113. mim. 2. vol. 1. liberorum nomen alioquin per se generale & collectiuum, interpretationem, & extensionem, restrictionemq; recipit, non solum ex conditione & dignitate loquentis, aut ex consuetudine familiæ, sed etiam ex qualitate & iure subiectæ rei l. ex facto §. si quis rogatus D. ad S C. Trebell. L. Dominus §. testamento D. de pecul. leg. L. Si seruus §. vult. de legat. 1. l. Numi. D. de leg. 3. D.D. in l. liberorum D. de verb. sig. Itaque cum hic de feudis agatur quæ neque conditione sua, neque expressa

conuentione muliebria esse proponuntur, non liberorum modo, sed hæredum & successorum longe amplius nomen omnino referendum est ad eas personas quæ feudi iure capaces sunt. Non ergo ad fœminas, quia neque fondam leuare, neque pugnam facere queunt, in feuda etiam non succedunt nisi aliud expressim conuenerit in constituendo feudo, quo casu demum admittuntur non extantibus masculis, aut nisi feudum conditione sua muliebre sit, & de quo fœmina primum fuerit inuestita c 1. de succ. feud. & c 1. de grad. succ. in feud. c 1. §. quia etiam Episcop. vel Abb. c 1. §. mulier de Capit. meo qui curiam vendid. Et c 1. In quibus caus. feud. amitt. Et hæc omnium feudistarum constans sententia est c 1. §. similiter de lege Conrad. c 1. §. sed aduersum D. de al. feud. Bald. in l. Cum virum C. de fideiuss. Paul. Cast. in aut. itaque C. Com. de succ. Mart. Laud. in c 1. §. donari Qual feud. al. poss. Alex. in l. Gallus in consil. 3. in 1. volu. Philipp. Dec. consil. 208. coll. 3. & consil. 413. num. 10. & 445. col. 3. & consil. 516. col. 2. consil. 555. numero 3. Ias. consil. 155. vol. 1. Franc. Curt. consil. 25. col. 1. Ioann. Calder consil. 8. feudalium, & consil. 15. de verb. sig. Ioan. Baptista Caccial. in rep. capitis l. reg. 13. de feud. cognit. Iacob. de sancto Georgio in tractat. feud. in verbo & vnus ex dictis vassallis.

Ex quo consequitur, primum quidem, nihil esse quod ex legibus inuestituræ inter hæc feuda, de quibus quæstio est ob hæredum aut successorum nomen differentia aliqua constituatur. Deinde vero Manfredum Ludouici filium sine liberis masculis naturalibus & legitimis decedentem feuda illa non libere habuisse sed cum onere fideicommissi aut substitutionis, cui demum morte eius locus factus est.

Nunc illud excutiendum, Primum Manfredo in illis feudis a patre substituti remanserint, id est an reuocatio substitutionis facta Ludouici codicillis, etiam Bonifacij filium comprehenderit; Quæ huius inspectionis potissima quæstio est, In qua & si illa probabiliter dici posse videantur natura patrem & filium vnam eandemque personam censeri vulg. l. vlt. C. de Impub. & al. subst. nec esset verisimile tertio loco

post patrem, a testatore honoratum magis ei cordi fuisse, quam patrem ipsum quem secundo loco vocauerat, ex L. Publius §. 1. D. de Condit. & dem. Sed nec nouum aut insolens esset in iure, vt ingratus patris animus etiam liberis noceat nondum natis Acc. noster ad feudi priuationem extendere visus est in l. 2. C. de lib. eorum lib. quasi filij postea nascentes a linea infecta rubiginem traxisse videantur. Et Baldus ad eundem locum more suo subtiliter & colorate addit: Tamen & rationi & æquitati magis congruere videtur noxam caput suum sequi & peccata solos tenere auctores suos, nec filium iniquitate patris onerari. Qua etiam æquitate moti in non omnino dissimili causa pleniore tractatu habito adhibitisque serio iurisperitis M. Antonius & Verus Impp. sententiam mutare non erubuerunt, statueruntque nepotem neque verbis neque sententia legis, aut edicti prætorij ex persona vel nota patris sui excludi a bonis auiti liberti in l. Diui fratres de iure patronatus. Et eos postea sequutus Iustinianus noster, mariti odium apud matrem infanti nocere noluit, & crudele visum esse dixit, eum qui non sentit, indignum aut ingratum existimari L. Si quis in suo. § fin. C. de Inoff. testamento. Cui etiam definitioni consequenter plerisque Doctorum non abs re quidem visum est, quod & Accurs. notauit ad L. fin. §. vlt. C. de liberis præter post nouellam eiusdem Imperatoris constitutionem, qua exhæredationi certas causas formasque præscripsit, posthumos hodie exhęredari non posse. Sed & ante eam constitutionem laxiore adhuc & liberiore exhæredationis iure, nepos ex filio matre ignominiosa natus, & quæ tam patri quam auo dedecori esset etiam excluso patre, non aliter ipse a bonorum possessione aui excludebatur, nisi auus eum nominatim exhęredasset. L. 3. §. si emancipatus D. de bonor. poss. cont. tab. Ergo in specie proposita multo magis liberi qui ex Bonifacio nascerentur nominatim substituti, saltem nominatim aut expressim iure illo substitutionis priuari debuisse videntur, si quidē ea Ludouici mens fuit, durumque esset, & contra regulas æquitatis, quæ semper in dubiis benigniora præferri & odia

refringi iubent, quod in ſolum patrem nominatim ſcriptum eſt, ad filium immeritum extendere, & pœnam eo producere, vbi nulla culpa aut noxa eſſe proponitur, nec fruſtra Sceuola noſter apud Paulum monet aliam eſſe cauſam exhæredationis quæ benigne acciperetur. Exhæredationes vero & ademptiones non eſſe interpretatione adiuuandas L. cum quidem D. de lib. & poſth.

Adde quod in ſpecie propoſita teſtator Bonifacij liberos non tam vt patris hæredes, quam vt agnatos ſuos filio ſubſtituiſſe videtur, conſeruandorum ſcilicet in familia feudorum auitorum animo potius, quam Bonifacij ipſius reſpectu aut gratia. Itaque quod Bonifacij filius non tam a patre, quam a genere & naturæ tributum habet, etiam excluſo patre, manere ipſi ſaluum & incolume æquius eſt quando & deportato patre ſaluum eſſet L. eum qui D. de interd. & releg. Flor. in L. in Iudicio D. famil. occiſæ. Qua etiam æquitate patre ipſo perduellionis damnato liberis ſalua eſſe libertorum iura Imperatores voluerunt L. 4. D. de iure patronatus. Porro & hic in conſiderationem venit, quod Bonifacij filius eodem gradu eodemque iure eſt quo Franciſci filij, nec eſt quod in eius perſonam merito dici poſſit. Iam igitur illud fruſtra quæratur, iuſta ne fuerit cauſa Ludouico reuocandæ ſubſtitutionis in perſonam Bonifacij agnati cui vel ſuperſtiti ſola teſtatoris voluntas vt in dando, ſic in adimendo fideicommiſſo pro lege eſſe debuerat, potiore alia non prohibente, quinimo concedente, inueſtituræ pacto liberam inter hæredes feudi capaces diſpoſitionem.

Reliqua eſt illa quæſtio de feudo Baldeizeri, cuius tamen inueſtituræ nulla lex proponitur ex quo certo iudicari poſſit iure ne antiqui conceſſum fuerit, aut quibus conditionibus. In dubio tamen, quandoquidem inter partes conuenire videtur feudum illud in perſona Ludouici nouum fuiſſe (quod alioqui in incerto non facile præſumitur, vt feudiſtæ not. in c 1. de duobus fratribus de benef. inueſt. & alij in L. ſi defunctis (arbit. tut.) illud generaliter reſponderi poteſt in feudum nouum ſuccedere tantum poſteros eius a quo feu-

dum originem cœpit, & qui sunt ei liberorum loco, illis deficientibus feudum ad Dominum reuerti iure communi feudorum, nisi aliud inuestituræ lege conuenerit c I. de gradib. successionum in feud. Philipp. Decius consil. 395. & Alex. consil. 25. numero 6. in 5. volum. adeo vt in concessione ipsa feudi hæc verba, si sine hærede vasallus decesserit, in dubio de filio aut nepotibus tantum intelligantur C I. §. sed diuersum de alien. feud.

Denique nostra hæc sententia est, Karolo & Ludouico Francisci filijs aduersus amplissimi senatus iudicium supplicandi non satis iustas causas esse videri. Scriptum Lutetiæ Parisiorum III. Non. Mart. anno salutis CIↃ. IↃ. LXXXVIII.

PETRVS PITHOEVS scripsi.

Subscripserunt,

Iac. Canaius,
Io. Magistri,
Renat. Choppinus.

RVFI FESTI V.C.

BREVIARIVM

RERVM GESTARVM POPVLI ROMANI.

AD VALENTINIANVM IMP. AVG.

Ex vetuſtis exemplaribus reſtitutum.

CL.

CL. PVTEANO V. C.
IN SVPREMA PARISIENSI CVRIA CONSILIARIO REGIO,

P. PITHEOVS S. D.

RVfi Festi, forsan & Auieni, Breuiarium, vtilem sane Ro. historiæ studiosis libellum, & antehac totiens corrupte editum, & nuper inter illos qui ad Remp. Imperiumque Ro. pertinere visi sunt, nescio quo fato omissum dolui. Ita quo cum reliquis posthac coniungi posset, visum est exemplar, quod ante annos xx. ex vetustis codicibus ipse descripseram, Patissonio nostro excudendum tradere, tibique V. C. inscribere, vt cui victoris omnium pœne gentium populi Manes cum alia multa, tum Coloniarum suarum relliquias debent, prouincias etiam integras, atque adeo suum quondam orbem nunc debere incipiant. Bene Vale.



INCIPIT BREVIARIVM
RVFI FESTI V. C. RERVM
GESTARVM PO. ROMANI.

PIO, PERPETVO, DOMINO VALENTINIANO,

IMPERATORI ET SEMPER AVGVSTO,

RVFVS FESTVS V. C.



E Breuiario rerum geſtarum Pop. Ro. breuem fieri clementia tua præcepit. Parebo libens præceptis, quippe cui deſit facultas latius eloquendi: ac morem ſequutus calculonum, qui ingentes ſummas æris breuioribus exprimunt, res geſtas ſignabo, non eloquar. Accipe ergo quod breuiter dictis breuius computetur, vt annoſam vetuſtatem Reipublicæ, ac præteriti facta temporis non tam legere tibi, glorioſiſſime Princeps, quam numerare videaris.

Ab vrbe igitur condita in ortum perennitatis veſtræ, quo proſperius fratrum imperium Roma ſortita eſt, numerantur anni mille centum decem & ſeptem, ſic: Sub Regibus numerantur CCXLIII. ſub Conſulibus CCCCLXVII. ſub Imperatoribus: CCCVII. Regnauerunt Romæ per annos ducentos

quadraginta tres Reges numero ſeptem. Romulus regnauit annos XXXVII. Senatores per quinos dies annum I. Numa Pompilius regnauit annos XLIII. Tullus Hoſtilius regnauit annos XXXII. Ancus Marcius regnauit annos XXIIII. Priſcus Tarquinius regnauit annos XXXVIII. Seruius Tullius regnauit annos XLIIII. L. Tarquinius Superbus expulſus regno eſt anno XXV. Conſules fuerunt a Bruto & Publicola in Panſam & Hirtium, numero quadringenti decem & ſeptem, præter eos qui in eundem annum ſorte aliqua ſunt ſubrogati, per annos CCCCLXVII. Nouē enim annis Romæ Conſules defuerunt ita: ſub Decemuiris, annis duobus: ſub Tribunis militaribus, annis tribus. Sine magiſtratibus Roma fuit annis quatuor. Imperatores ab Octauiano Cæſare Auguſto vſq; in Iouianū fuerunt N. quadraginta tres, per annos CCCCVII. Sub his igitur imperandi generibus, hoc eſt Regio, Conſulari, Imperatorio, quantum Roma profecerit, breuiter intimabo. Sub Regibus ſeptem per annos CCXLIII. non amplius quam vſque Portum atque Oſtiam, intra octauumdecimum miliarium a portis vrbis Romæ, vt pote adhuc paruæ & a paſtoribus conditæ, cum finitimæ circum ciuitates premerent, Romanum proceſſit imperium. Sub Conſulibus, inter quos nonnumquam & Dictatores fuerunt, per annos ſimul quadringentos ſexaginta ſeptem, Italia vſque trans Padum occupata eſt, Africa ſubacta, Hiſpaniæ acceſſerunt, Galliæ & Britanniæ tributariæ factæ ſunt. inde Illyricum, Iſtria, Liburni, Dalmatæ domiti. ad Achaiam tranſitum eſt. Macedones ſubacti, cum Dardanis, Mœdis & Thracibus bellatum eſt, & ad Danubium vſque peruentum. In Aſia expulſo Antiocho, primum pedem poſuere Romani. Mithridate victo, Pontus eius regnum eſt occupatum, Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta eſt, in Meſopotamiam Romanus peruenit exercitus, cum Parthis fœdus initum eſt. Contra Carduneos & Saracenos & Arabas bellatū eſt. Iudæa omnis victa eſt. Cilicia & Syria in poteſtatē Populi Ro. peruenerunt. Ægypti reges fœderati erant. Sub Imperatoribus vero per annos CCCCVII. cum diuerſa Reip. fortuna multi principes imperarent, acceſſerunt Romano orbi

Alpes maritimæ, Alpes Cottiæ, Rhetiæ, Noricæ, Pannoniç, Mœsiæ, & omnis ora Danubij in prouincias est redacta. Pontus omnis, Armenia minor, Oriens totus cum Mesopotamia, Assyrijs, Arabia & Ægypto sub imperij Romani iura transiuit. Quo autem ordine singulas prouincias Romana Respublica adsecuta est, ostenditur ita. Prima prouinciarum Sicilia facta est. Eam, victo Hierone Siculorum rege, Marcellus Consul obtinuit. deinde a Prætoribus recta, postea est cõmissa Præsidibus: nunc a Consularibus administratur. Sardiniam & Corsicam Metellus vicit: triumphauit de Sardis. Rebellauere sæpe Sardi. Iuncta administratio harum insularum fuerat: post, suos quæque Prætores habuit. nunc singulæ à Præsidibus reguntur. In Africam pro defensione Siculorum Romana arma transmissa sunt. Ter Africa rebellauit: ad extremum deleta per Africanum Scipionem Carthago, prouincia facta est. nunc sub Proconsulibus agit. Numidia ab amicis regibus tenebatur: sed Iugurtæ ob necatos Adherbalem & Hiemsalem filios Micipsæ regis, bellum indictum est, & eo per Metellum Consulem adtrito, per Marium capto, in populi Romani potestatem Numidia peruenit. Mauritaniæ a Boccho obtentæ sunt. Sed subacta omni Africa, Mauros Iuba rex tenebat, qui in causa belli ciuilis ab Augusto Cæsare victus, mortem sibi propria voluntate consciuit. ita Mauritaniæ nostræ esse cœperunt: ac per omnem Africam sex prouinciæ factæ, ipsa vbi Carthago est, Proconsularis, Numidia Consularis, Bizacium consularis. Tripolis & duæ Mauritaniæ, hoc est, Sitifensis & Cæsariensis, Præsidales. Hispanis primum auxilium aduersum Afros per Scipionem tulimus. Rebellantes Lusitanos in Hispania per Decimum Brutum obtinuimus, & vsque Gadis ad Oceanum mare peruenimus: postea ad Hispanos tumultuantes Sylla missus eos vicit. Celtiberi in Hispania sæpe rebellauere: sed, misso iuniore Scipione, cum excidio Numantiç subacti sunt Omnes prope Hispaniæ Sertoriani occasione belli per Metellum & Pompeium in ditionem nostram acceptæ: postea prorogato quinquennij imperio a Pompeio perdomitæ sunt. Ad extremum

quoqueab Octauiano Cæſare Auguſto Cantabri & Aſtures, qui freti montibus reſiſtebant, deleti ſunt. ac per omnes Hiſpanias ſex nunc ſunt prouinciæ Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitania, Callectia, Betica: trans freta etiam in ſolo terræ Africanæ, prouincia Hiſpaniæ eſt quæ Tingitana Mauritania cognominatur. ex his Betica & Luſitania Conſulares, ceteræ ſunt Præſidales. Cum Gallis grauiſſima bella Populus Romanus habuit. Galli enim etiam eam partem Italiæ in qua nunc Mediolanus eſt, vſque ad Rubiconem fluuium tenebant, in tantum viribus freti, vt Romam ipſam bello peterent, & cæſis exercitibus Romanis, mœnia vrbis intrarent, Capitolium obſiderent, ad cuius arcem ſexcenti nobiliſſimi Senatores confugerant, qui mille auri libris ſe ab obſidione redemerunt. Poſtea Gallos cum victoria remeantes Camillus, qui in exilio erat, collecta de agris multitudine, oppreſſit, aurum & ſigna quæ Galli cæperant, reportauit. Cum Gallis multi Conſules, Prætores, ac Dictatores euentu vario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit, & tranſcenſis Alpibus, feliciter aduerſus eos pugnauit. C. Cæſar cum decem legionibus, quæ tercena milia militum Italorum habuerunt, per annos octo ab Alpibus ad Rhenum vſque Gallias ſubegit. cum Barbaris vltra Rhenum poſitis conflixit in Britanniam tranſiuit. Decem annis Gallias & Britannias tributarias fecit. Sunt Galliæ cum Aquitania & Britannijs prouinciæ decem & octo: Alpes maritimæ, Prouincia Viennenſis, Narbonenſis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ: In Britannia, Maxima Cæſarienſis, Flauia Cæſarienſis, Britannia prima, Britannia ſecunda. Illiricum ab ore maritimo paullatim adgreſſi ſumus. Leuinus Conſul Adriaticum atque Ionicum mare primus ingreſſus maritimas obtinuit ciuitates. Creta per Metellum Proconſulem, qui Creticus dictus eſt, prouincia facta eſt. Græcis in fidem noſtram confugientibus, ad Achaïam acceſſimus. Athenienſes aduerſus Philippum Macedonum Regem auxilium noſtrum petierunt. Libera diu ſub amicitijs noſtris Achaïa fuit. ad extremum lega-

tis Romanis apud Corinthum violatis, per L. Mummium Proconsulem capta Corinthus, Achaïa omnis obtenta est. Epirotæ, qui aliquando cum Pyrrho rege, etiam ad Italiam transire præsumpserant, victi: ac Thessali simul cum Achiuorum & Macedonum regionibus nobis accesserunt. Macedonia ter rebellauit, sub Philippo, sub Perse, sub Pseudophilippo. Philippum Flaminius, Persen Paullus, Pseudophilippum Metellus oppressit: quorum triumphis, Macedonia populo Romano adiuncta est. Illyricos, qui Macedonibus auxilium tulerant, ex eadem occasione per Ancilium Prætorem vicimus, & eos cum Rege Gentio in deditionem accepimus. Dardanos & Mœsiacos Curius Proconsul subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium vsque peruenit. Sub Iulio & Octauiano Cęsare Augusto per Alpes Iulias iter factum est, Alpinis omnibus victis, Noricorum prouinciæ accesserunt. Bathone Pannoniorum rege subacto, in ditionem nostram Pannoniæ venerunt. Amantinis inter Suauum & Drauum prostratis, regio Suauiensis ac Secundorum loca Pannoniorum obtenta sunt. Marcomanni & Quadi de locis Valeriæ quæ sunt inter Dannubium & Drauum, pulsi sunt, & limes inter Romanos ac Barbaros ab Augusta Vindelicum per Noricum, Pannonias ac Mœsiam constitutus. Traianus Dacos sub rege Decibalo vicit, & Daciam trans Danubium in solo Barbariæ prouinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena milia passuum. sed sub Gallieno Imperatore amissa est, & per Aurelianum translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ ac Dardaniæ factæ sunt. Habet Illyricus decem & septem prouincias, Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Suauiam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas: & in diœcese Macedoniæ prouinciæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaïa, Epiri duæ, Præualis, Creta. In Thracias Macedonici belli occasione transcursum est. Sæuissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thraciæ regionibus etiam Scordisci habitauerunt, pariter crudele & callidum genus. Multa de sæuitia prædictorum fabulosa memorantur, quod hostijs captiuorum dijs suis ali-

quando libauerint, atque ſanguinem humanum in oſſibus capitum potare ſint ſoliti. Sępe per eos Romanus eſt cæſus exercitus. Marcus Didius vagantes Thracas repreſſit, Marcus Druſus intra fines proprios continuit, Minutius in Ebri fluminis glacie vaſtauit. Per Appium Claudium Proconſulem hi qui Rhodopen incolebant, victi ſunt. Europæ maritimas vrbes antea Romana claſſis obtinuit. Marcus Lucullus per Thracias cum Beſſis primus conflixit. Ipſam caput gentis Thraciam vicit. Eumolpiadam, quæ nunc Philippopolis dicitur, Vſcudaniam, quæ modo Adrianopolis nominatur, in ditionem noſtram redegit. Capylem cæpit: ſupra Pontum poſitas ciuitates occupauit, Apolloniam, Galatum, Parthenopolim, Tomos, Iſtrum. ad Danubium vſque perueniens, Romana Scythis arma monſtrauit. Ita ditioni Reipublicæ ſex Thraciarum prouinciæ ſunt adquiſitæ, Thracia, Æmimontus, Mœſia inferior, Scythia, Rhodope, Europa in qua nunc ſecundæ arces Romani orbis ſunt conſtitutæ.

Nunc Eoas partes, totumque Orientem ac poſitas ſub vicino Sole prouincias, qui auctores ſceptris tuis parauerunt, explicabo: quo ſtudium clementiæ tuæ, quod in hiſdem propagandis habes, amplius excitetur. Aſia ſocietate Attali regis nota Romanis, eamque Attali teſtamento relictam hereditario iure poſſedimus. Ne quid tamen Pop. Ro. non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho Syriarum rege maximo eſt vindicata. Eadem occaſione etiam Lydia ſedes antiqua regnorum, Caria, Elleſpontus ac Frygiæ in poteſtatem populi Romani iuncta ditione venerunt. Rhodijs & Inſularum populis, experti primum infeſtiſſimos, poſt ijſdem fideliſſimis auxiliatoribus vtebamur. Ita Rhodus & Inſulæ primum libere agebant, poſtea in conſuetudine parendi Romanis, clementer prouocati peruenerunt: & ſub Veſpaſiano principe, Inſularum prouincia facta eſt. Pamphiliam, Frygiam, Piſidiam Seruilius Proconſul ad bellum Piratarum miſſus obtinuit. Bithiniam Nicomedis defuncti Regis teſtamento ſumus adſecuti. Gallogræciam, hoc eſt Gallatiam (ſunt enim, vt nomen reſonat, ex Gallijs Gallatæque) dum

Antiocho contra Romanos auxilium præbuiſſet, inuaſimus. Mummius Proconſule Gallatas perſecutus eſt, & confugientes partim in Olympum, partim in Megabeam montem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detruſit, victos in perpetuam pacem redegit. Poſtea Gallatiam Deiotarus Tetrarches nobis permittentibus tenuit. ad extremum ſub Octauiano Cæſare Auguſto, Gallatia in ſpeciem prouinciæ redacta eſt, & eam primum Lollius Proprætore adminiſtrauit. Cappadoces primi ſocietatem noſtram ſub Epafrace rege petierunt, poſteaquam Ariobarzanes rex Cappadocum a Mithridate expulſus Romanorum armis eſt reſtitutus, ſemper inter auxilia noſtra fuere Cappadoces, & ita maieſtatem coluere Romanam, vt in honorem Auguſti Cæſaris Mazaca ciuitas Cappadociæ maxima, Cæſarea cognominaretur. Poſtremo ſub Imperatore Claudio Cæſare cum Archelaus ex Cappadocia Romam veniſſet, ibique diu tentus occubuiſſet, in prouinciæ ſpeciem Cappadocia migrauit. Pontus per Pompeium victo Mithridate rege Pontico formam prouinciæ accepit. Paſlagoniam Pylemenes rex amicus populi Romani tenuit, ſæpe ex ea pulſus a nobis eſt reſtitutus. Quo mortuo, prouinciæ ius Paſlagonibus impoſitum eſt. Vltra iuga Tauri montis quemadmodum poſſeſſio Romana perrexit, conſequenter, locorum magis quam temporum ſeruata digeſtione, monſtrabitur. Antiochus Syriæ potentiſſimus Rex bellum formidabile Populo Romano intulit, in quo trecenta milia armatorum habuit, falcatis etiam curribus & Elefantis aciem inſtruxit. Ab Scipione Africano in Aſia apud Magneſiam victus pace accepta, intra Taurum regnare permiſſus eſt. Eius filij regnum Syriæ ſub clientela Populi Romani retinuerunt. quibus defunctis, Syriarum prouincias potiti ſumus. Cilices & Iſauros qui ſe piratis ac prædonibus maritimis iunxerant, Seruilius Proconſule ad prædonum bellum miſſus ſubegit, & viam per Taurum montem primus inſtituit: iſque de Cilicibus & Iſauris triumphauit, atque Iſauricus eſt cognominatus. Cyprus famoſa diuitijs paupertatem populi Roma-

ni vt occuparetur, sollicitauit. Eam Rex fœderatus regebat: sed tanta fuit penuria ærarij Romani, & tam ingens opum fama Cypriarum , vt lege data Cyprus confiscari iuberetur. Quo accepto rex Cyprius nuncio, venenum sumpsit, quo vitam prius quam diuitias amitteret. Cato Cyprias opes Romam nauibus aduexit. ita ius eius insulæ auarius magis quam iustius sumus adsecuti. Cyrenas cum ceteris ciuitatibus Libyæ Pentapolis, Ptolomæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Apionis regis arbitrio sumus adsecuti. Ægyptus omnis sub amicis regibus fuerat : sed victa cum Antonio Cleopatra, prouinciæ formam Octauiani Cæsaris Augusti temporibus accepit. Et primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus Romanus Iudex administrauit. Per confinia Armeniarum primum sub L. Lucullo Romana trans Taurum arma transmissa sunt. Fylarchi Sarracenorum in Osdroena superati. In Mesopotamia ab eodem Lucullo Nisibis capta est, postea per Pompeium eadem loca armis obtenta sunt: Syriæ, Phenice, bello a Tigrane Armeniorum rege receptæ: Arabes & Iudæi in Palæstina victi sunt. Ad extremum sub Traiano principe Regi maioris Armeniæ diadema sublatum est: & per Traianum Armenia, Mesopotamia, Syriæ & Arabiæ prouinciæ factæ sunt, ac limes Orientalis supra ripas Tigridis est institutus. Sed Hadrianus qui successit Traiano, inuidens Traiani gloriæ , sponte sua Armeniam , Asiam, Mesopotamiam reddidit, ac medium inter Persas & Romanos Eufratem esse voluit. Sed postea sub Antoninis duobus Marco & Vero, ac Seuero Pertinaci, ceterisque principibus Romanis, qui aduersus Parthos euentu vario dimicarunt, quater amissa, quater recepta Mesopotamia est: ac Diocletiani temporibus, victis prima congressione Romanis, secundo autem conflictu superato rege Narse, vxore eius ac filiabus captis, & cum summa pudicitiæ custodia reseruatis, pace facta, Mesopotamia est restituta, & super ripam Tigridis limes est reformatus ita, vt quinque gentium trans Tigridem constitutarum ditionem assequeremur. Quæ conditio fœderis

in tempus Diualis Constantij reseruata durauit. Scio nunc, inclite princeps, quo tua pergat intentio. Requiris profecto quotiens Babyloniæ Romanorum arma conlata sint, & quibus vicibus sagittis pila contenderint. Breuiter euentus enumerabo bellorum. Furato hostes in paucis inuenies esse lætatos: vera autem virtute semper Romanos probabis extitisse victores. Primum a L. Sylla proconsule Arsaces rex Parthorum missa legatione amicitias populi Romani rogauit, ac meruit. L. Lucullus Mithridatem regno Ponti exutum ad Armeniam persecutus est. Tigranem Armeniorum regem cum septem milibus clibanarijs & centum viginti sagittariorum, ipse cum decem & octo Romanorum milibus vicit. Tigranocerta maximam Armeniæ ciuitatem expugnauit. Adenam optimam Armeniorum regionem obtinuit. per Meletem ad Mesopotamiam descendit. Nisibim cum Fraate Rege cæpit. Tendere in Persas paratus successorem accepit. Cn. Pompeius expertæ felicitatis ad Mitridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore noctu adgressus, prœlio superauit, cæsis duobus & quadraginta milibus hostium, castra eius inuasit. Mithridates cum vxore & duobus comitibus in Bosforos fugit: ibi desperatione rerum suarum venenum hausit, & cum vis veneni parum esset, a milite suo, vt ferro percuteretur, impetrauit. Pompeius auxiliarem Mithridatis Tigranem Armeniarum regem persecutus est. Ille se oblato diademate apud Artaxata dedidit. Receptæ ab eo sunt Mesopotamiæ, Syriæ, & aliquanta pars Fenicis, atque intra Armeniam maiorem regnare permissus est. Idem Pompeius Bosforianis & Colchis Aristarcum regem imposuit. cum Albanis conflixit: Othe de Albanorum rege ter victo pacem dedit. Iberiam cum Artace rege in deditionem accepit. Saracenos & Arabas vicit. Iudæa capta, Hierosolymam obtinuit. Cum Persis fœdus icit: rediens, apud Antiochiam Dafnensem lucum, delectatus loci amœnitate & aquarum abundantia, addito nemore consecrauit. Marcus Crassus Consul aduersus rebellantes Parthos missus est. Is cum pacem missa a Persis legatione

rogaretur, apud Ctesifontem responsurum se ait. Apud Zeugmam traiecit Euphratem, & a transfuga quodam Mazoro inductus, ad ignotam camporum solitudinem descendit. Ibi vndique circum volantibus sagittariorum agminibus, Camsilate & Supinate Præfectis regijs est cinctus exercitus, & vi telorum obrutus ipse Crassus, cum ad conloquium sollicitatus pæne capi posset, repugnantibus Tribunis euaserat, & dum fugam petit, occisus est. Caput eius cum dextra manu resectũ ad Regem perlatum est, atque ita ludibrio habitum, vt faucibus aurum liquefactum infunderetur: scilicet qui ardens cupiditate prædandi, pacem Regi dare rogatus abnuerat, etiam mortui reliquias auri flamma combureret. Lucius Cassius Quæstor Crassi, vir strenuus reliquias fusi collegit exercitus. Contra Persas in Syriam inrumpentes ter cum summa admiratione conflixit, eosque trans Eufratem traiectos vastauit. Parthi Labieno duce, qui Pompeianarum partium fuerat, ac victus ad Persas fugerat, in Syriam inruperunt, ac totam prouinciam occuparunt. Publius Ventidius Bassus Parthos, qui ducente Labieno Syriam inuaserant, occurrens in Capro monte cum paucis fugauit, Labienum occidit. Persecutus Persas ad internicionem deleuit. Qua congressione Pacorum Regis filium eadem die qua Crassus fuerat victus, occidit, ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Persis primus triumphauit. Marcus Antonius Mediam ingressus, quæ nunc Medœna appellatur, bellum Parthis intulit, & primis eos prœlijs vicit. verum post, duabus legionibus amissis, cum fame, pestilentia, tempestatibus premeretur, vix per Armeniam, Persis insequentibus, reuocauit exercitũ: tanto per momẽta temporum terrore perculsus, vt a gladiatore suo percuti postularet, ne viuus veniret, in hostiũ potestatẽ. Sub Octauiano Cæsare Augusto Armenia cũ Parthis cõspirauit. Claudius Cæsar nepos Augusti cum exercitu missus ad Orientem, cum per maiestatem Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se Armenij qui tunc temporis validiores erant, cum Parthis dedidissent, iudicesque instituto

Pompeij prædictis gentibus Claudius Cæſar præficeret, Domnes quidam, quem Parthis Arſaces præpoſuerat, proditione ſimulata, libellum in quo ſcripti theſauri continerentur, obtulit: quem cum Imperator Romanus legeret intentius, vltro adgreſſus gladio vulnerauit. Percuſſor quidem a militibus occiſus eſt, Claudius ex vulnere, reuerſus in Syriam, obiit. Perſæ ad ſatisfactionem tam audacis admiſſi, obſides tunc primo Octauiano Cæſari Auguſto dederunt, & erepta ſub Craſſo ſigna retulerunt. Pacatis gentibus Orientis, Auguſtus Cæſar etiam Indorum legationem accepit. Nero, quem turpiſſimum Imperatorem Ro. eſt paſſa Reſp. amiſit Armenias duas. Tunc Romanæ legiones ſub iugum a Perſis miſſæ, extremo dedecore Romani exercitus ſacramenta fœdarunt. Traianus, qui poſt Auguſtum Romanæ Reipublicæ mouit lacertos, Armeniam recepit a Parthis, ſublato diademate, regi Armeniæ maioris regnum ademit. Albanis Regem dedit. Iberos, Boſforianos, Colchos in fidem Romanæ ditionis recepit. Oſrœnorum loca & Arabum occupauit. Cardenos, Marcomedos obtinuit. Antemuſium optimam Perſidis regionem, Seleuciam, Cteſifontem & Babyloniam accepit, & tenuit. vſque ad Indiæ fines poſt Alexandrum acceſſit. In mari rubro claſſem inſtituit. Prouincias fecit Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam, quæ inter Tigridem atque Eufratem ſita inriguis amnibus inſtar Ægypti fœcundatur. Hadrianum gloriæ Traiani certum eſt inuidiſſe, qui ei ſucceſſor in Imperio, ſponte propria reductis exercitibus, Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam conceſſit, & inter Romanos ac Perſas Eufratem medium eſſe voluit. Antonini duo Marcus & Verus, hoc eſt ſocer & gener pariter Auguſti, imperium orbis æquata primum poteſtate tenuerunt. ſed ex his Antoninus iunior ad expeditionem Parthicam profectus, multa & ingentia aduerſus Perſas feliciter geſſit. Seleuciam Aſſyriæ vrbem cum quadringentis milibus hoſtium cæpit. ingenti gloria de Perſis cum ſocero triumphauit. Seuerus natione Afer acerrimus Imperator,

Parthos ſtrenue vicit, Adiabenos deleuit, Arabas interiores obtinuit, & Arabiam prouinciam fecit. Huic cognomina ex victoriis quæſita ſunt. Parthicus enim, & Arabicus, & Adiabenicus eſt cognominatus. Antoninus cognomento Caracalla filius Seueri Imperatoris, expeditionem in Perſas parans in Hoſphœnia apud Edeſſam propria morte obiit, & ibidem ſepultus eſt. Aurelius Alexander quaſi fato quodam in exitium Perſicæ gentis renatus, iuuenis admodum Romani gubernacula ſuſcepit Imperij. Ipſe Perſarum regem nobiliſſimum Zerſem glorioſe vicit. Hic Alexander ſcriniorum magiſtrum habuit Vlpianum Iuris conſultorem. De Perſis Romæ pompa ſpectabili triumphauit. Sub Gordiano, acri ex iuuentutis fiducia principe, rebellantes Parthi ingentibus præliis contuſi ſunt: iſque rediens victor de Perſide, fraude Philippi qui Præfectus Prætorij erat, occiſus eſt. Milites ei tumulum viceſimo miliario a Circeſſo caſtro, quod & nunc exſtat, ædificarunt, atque exſequias eius Romam cum maxima reuerentia deduxerunt. Valeriani infauſti principis fortunam tædet referre. Is cum Gallieno ſuſcepit imperium, cum Valerianum exercitus, Gallienum Senatus Imperatorem feciſſet. In Meſopotamiam aduerſum Perſas Valerianus congreſſus, a Sapore Perſarum rege ſuperatus eſt, & captus in dedecori ſeruitute conſenuit. Sub Gallieno Meſopotamiam inuaſerant, & iam Syriam ſibi Perſæ cæperant vindicare, niſi, quod turpe dictu eſt, Odenatus Decurio Palmyrenus collecta Syrorum agreſtium manu, acriter reſtitiſſet. Is fuſis aliquotiens Perſis non modo noſtrum limitem defendit, ſed etiam ad Cteſifontem, Romani vltor Imperij, quod mirum dictu eſt, penetrauit. Aureliani Imperatoris gloriæ Zenobia Odenati vxor acceſſit. Etenim poſt mortem mariti feminea ditione Orientis tenebat imperium: quam Aurelianus multis clibanariorum & ſagittariorum milibus fretam apud Imas haud procul ab Antiochia vicit, & captam Romam triumphans ante currum duxit. Cari Imperatoris victoria de Perſis nimium potens ſuperno numini viſa eſt. Nam ad inuidiam

cæleſtis indignationis pertinuiſſe credendum. Is enim ingreſſus Perſidam, quaſi nullo obſiſtente vaſtauit, Colchen & Cteſifontem vrbes Perſarum nobiliſſimas cæpit. Cum victor totius gentis caſtra ſuper Tigridem haberet, vi fulminis, ictus interiit. Sub Diocletiano principe pompa victoriæ nota de Perſis eſt. Maximianus Cæſar, prima congreſſione cum contra innumeram multitudinem cum paucis acriter dimicaſſet, pulſus receſſit. Hoc tanta a Diocl[illegible]ano indignatione ſuſceptus eſt, vt ante carpentum eius per aliquot milia paſſuum cucurrerit purpuratus: & cum vix impetraſſet, vt reparato de limitaneis Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret, in Armenia maiore ipſe Imperator cum duobus equitibus explorauit hoſtes, & cum viginti quinque milibus militum ſuperueniens caſtris hoſtilibus, ſubito innumera Perſarum agmina adgreſſus ad internicionem cecidit. Rex Perſarum Narſeus effugit: vxor eius & filiæ captæ ſunt, & cum maxima pudicitiæ cuſtodia reſeruatæ. Pro qua admiratione Perſæ non modo armis ſed etiam moribus Romanos ſuperiores eſſe confeſſi ſunt. Meſopotamiam cum Tranſtigritanis quinque regionibus reddiderunt. Pax facta vſque ad noſtram memoriam Reipublicæ vtilis perdurauit. Conſtantinus rerum dominus extremo vitæ ſuæ tempore, expeditionem parauit in Perſas. Toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis victoriaglorioſior, multis in Perſas deſcendebat agminibus: ſub cuius aduentum Babyloniæ in tantum regna trepidarunt, vt ſupplex ad eum legatio Perſarum adcurreret, & facturos ſe imperata promitterent. Nec tamen pro aſſiduis eruptionibus, quas ſub Conſtantio Cæſare per Orientem tentauerant, veniam meruerunt. Conſtantius in Perſas vario ac magis difficili pugnauit euentu. præter leues excubantium in limite congreſſiones, maiori Marte nouies decertatum eſt, per duces ſuos ſepties, ipſe præſens bis adfuit. Verum Siſauena, Singarena, præſente Conſtantio: ac Segarena, Conſtantinienſi quoque, & cum Amida capta eſt, graue ſub eo principe Reſpublica vulnus acce-

pit. Ter autem est a Persis obsessa Nisibis, sed maiore sui detrimento dum obsedit, hostis adfectus. Narsanensi autem vbi Narseus occiditur, superiores discessimus. Nocturna vero Eliensi prope Singaram pugna, vbi præsens Constantius adfuit omnium expeditionum compensatus fuisset euentus, si, locis & nocte aduersantibus, percitos ferocia milites ab intempestiuo pugnandi tempore Imperator ipse adloquendo reuocare potuisset: qui tamen inuicti viribus, improuisis aduersum sitim aquarum subsidijs, incumbente iam vespere, castra Persarum adgressi, ruptis munitionibus, occuparunt: fugatoque rege, cum a prœlio respirantes patentibus luminibus repertæ aquæ inhiarent, nimbo sagittarum obruti sunt, cum stolide ad dirigendos certius in se ictus lumina ipsi per noctem accensa præberent. Iuliano in externos hostes expertæ felicitatis principi, aduersus Persas modus defuit. Is enim ingenti apparatu, vt pote totius orbis infesta in Parthos signa commouit, instructa commeatibus classe per Eufratem inuexit. Strenuus ingressu multa Persarum oppida & castella aut suscepit dedita, aut manu cæpit. Cum contra Ctesifontem in ripa Tigridis & Eufratis iam mixti castra haberet, ludosque campestres, vt hosti sollicitudinem demeret, per die agitasset, noctis medio impositos nauibus milites in vlteriorem ripam repente transuexit: qui per ardua nitentes, qua difficilis etiam per diem, & nullo prohibente fuisset ascensus, Persas terrore subito miscuerunt, versisque agminibus totius gentis, apertis Ctesifontem portis victor miles intrasset, nisi maior prædarum occasio fuisset, quam præda victoriæ. Tantam adeptus gloriam, cum de reditu a comitibus admoneretur, intentioni suæ magis credidit, & exustis nauibus, cum a transfuga, qui se ad fallendum obiecerat, inductus viæ in Madenam compendia sectaretur, dextrum aduersa Tigridis ripa nudato militum latere, iter relegens, cum incautius per agmen erraret, excita puluere ereptus e suorum conspectu, ab obuio hostium equite, conto per ilia ictus, inguinum tenus vulneratus est. Inter effusionem nimij sanguinis, cum

suorum

ſuorum ordines motos inſtauraſſet , cunctantem animam, multa ſuos adlocutus, efflauit. Iouianus prœlijs ſuperiorem, ſed confuſum, ſubita morte amiſſi imperatoris, ſuſcepit exercitum. Cum commeatus deficerent, & via in reditu prolixior immineret, Perſæ crebris excurſibus nunc a fronte , nunc a tergo, mediorum quoque latera incurſantes iter agminis morarentur, conſumptis aliquot diebus, tanta reuerentia Romani nominis fuit, vt a Perſis prius ſermo de pace haberetur, ac reduci confectus inedia exercitus ſineretur, conditionibus , quod numquam ante accidit , diſpendioſis Romanæ Reipublicæ impoſitis, vt Niſibis & pars Meſopotamiæ traderetur: quibus cupidior regni, quam gloriæ Iouianus imperio rudis adquieuit. Quam magno deinceps ore, tua, Princeps inuicte, facta ſunt perſonanda, quibus licet imparem dicendi niſu, & æuo grauior me parabo. maneat modo conceſſa diuinitus & ab amico , cui credis & creditus es, numine indulta felicitas, vt ad hanc ingentem de Gothis, etiam Babyloniæ tibi palma pacis accedat.

Explicit Breuiarium Rufi Feſti V. C.

CHRONICON
PROSPERI TIRONIS
AQVITANI,

A morte Valentis Imp. ad captam
a Genſerico vrbem.

*Nunc primum in lucem editum, longe aliud ab eo quod
hactenus B. Hieronymi Chronico
ſubiunctum eſt.*

ITEM
FRAGMENTVM EX CHRONICO
VICTORIS EPISCOPI TVNNENSIS
Africæ, quod ſubiecit Chronico
Proſperi.

HOc Chronicon Prospero non antiquorum modo exemplarium fides, sed & Sigeberti Marianique testimonia adserunt. Et vero quamuis in annorum notatione valde confusum perturbatumque sit, Prosperi tamen ingenium sic refert, vt non immerito videatur membrum esse amplioris eius, quod ipsius nomine ab orbe condito ad captam a Vandalis Romam Gennadius Maßiliensis presbyter se legisse testatur: ac miremur vnde factum sit, vt aliud per Coss. digestum, hactenus in omnibus Hieronymiani Chronici editionibus Prosperi titulo subiungeretur. quod etsi cum isto non pauca habet communia, vt pote ad eiusdem ætatis historiam pertinentia, alterius tamen genij esse facile intelliget, qui vtrumque attentius legerit. Id vt iam poßis, Lector, & hoc beneficio nostro habe ac fruere.



PROSPERI CHRONICON.

* *



GITVR Valente a Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano regnat annos ſex. Hic paruulum fratrem habens regni conſortem, probatæ ætatis virum Theodoſium in ſocietatem regni aſciſcit. Hic Gratianus valde religioni fauens & Eccleſijs per omnia promptus fuit. GRATIANVS. I.

Martinus Turonenſium Epiſcopus Apoſtolicis virtutibus inſignis habetur.

Theodoſius in Orientis partibus laſſam Rempublicam reparauit. II.

Maximus Tyrannus in Britannia a militibus Imperator conſtituitur. III.

Incurſantes Pictos & Scotos Maximus ſtrenue ſuperauit. IIII.

Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.

Ambroſius libros contra Arrianorum perfidiam luculentiſſimos ad Gratianum Auguſtum ſcribit. V.

Maximus in Gallias transfretauit, & conflictu contra Gratianum habito, eundem fugitantem Lugduni interfecit. VI.

Theodoſius annis XI. THEODOSIVS.

Maximus timens Orientalis imperij principem Theodoſium, cum Valentiniano fœdus inijt. I.

Apud Treueros Manichæi deprehenſi, ſummo Maximi ſtudio exterminati.

II. Iustina mater Valentiniani Arrianis fauens in Ambrosium, & omnem Mediolanensem Ecclesiam diuersa iniuriarum genera congerit.

Reliquiæ Geruasij & Prothasij ab Ambrosio primum Mediolani repertæ.

Hymni Ambrosij compositi, qui numquam ante in Ecclesijs Latinis, modulis canebantur.

III. Maximus indignum ducens contra Ecclesiæ statum agi, locum irrumpendi quod cum Valentiniano iunxerat fœdus, inuenit. Valentinianus veritus imminentem iam ceruicibus suis Tyrannum, ad Theodosium confugit.

Honorius & Arcadius XXXII. CCCC.

Theodosius & Iohannes XXV. & XXIII.

Valentinianus & Martianus III. CCCC. XXV.

Augustinus Mediolani Rhetoricam adprime docens, omissis scholis ad fidem rectam conuertitur, cum ante Manichæus fuisset.

IIII. Theodosius cum exercitu ad Italiam transgrediens, Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit.

Iustina, quæ ecclesias vexauerat, ne regnum cum filio reciperet, morte præuenta est.

Immane Thessalonicæ gestum facinus extincti populi, egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religiosus eluit.

V. Hæresis Apollinaristarum ab Apollinare cæpta.

Arriani qui totum pæne Orientem, atque Occidentem commaculauerant, edicto gloriosi principis ecclesijs spoliantur, quæ Catholicis deputatæ sunt.

VI. Iohannes Ægyptius monachus, qui ob vitæ puritatem prophetiæ gratiam a Domino meruit, insignis habetur.

Post Damasum Romanæ Ecclesiæ regimen XXXVI. Syricius suscepit.

Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus, & post hunc Theophilus Episcopi constituuntur.

Ierosolimis post Cyrillum Iohannes Ecclesiam recipit.

Apud Antiochiam defuncto Miletio substituitur Flauianus.

Ingens inter noſtros contentio oborta, quod ſcilicet Epiſcopi, qui ab hæreticis depulſi fuerant, nollent his ab Imperatore deiectis alios, quam ſe, ſubſtitui ſacerdotes.

Terribile in cælo ſignum, columnæ per omnia ſimile apparuit.

Apud Alexandriam templa deſtructa, in quibus Serapis antiquiſſimum & notiſſimum templum, quod quaſi quædam columna ruentem ſuſtinebat idololatriam. VIII.

Valentinianus Viennæ ab Arbogaſte comite ſuo extinguitur, in cuius locum tyrannidem Eugenius inuadit. VIIII.

Ad vindicandum Valentiniani interitum, & opprimendam Eugenij tyrannidem Theodoſius in Italiam tranſgreditur, aperto Dei fauore conſpirantibus in idipſum elementis. X.

Eugenio ſuperato Theodoſius XI. regni ſui anno diem obit.

Arcadius & Honorius XXXII. annis. ARCADIVS ET HONORIVS.

Conſtantinopolis eminentem iram Dei, igne ſuper nubem terribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conuerſa ſubterfugit.

Rufinus Boſphoritanus cum ad ſummam militiæ perueniſſet, præferri ſibi Stiliconem non ferens, ab eodem interficitur, Hunnorum, quo fulciebatur, præſidio ſuperato. I.

Claudianus poeta admiratione dignus habetur. II.

Gildo Africanus in rebellione commota, conſueta Romanis ſtipendia ſubtraxit.

Prudentius Lyricus poeta noſter, Hiſpanus genere illuſtri, ingenij ſui robur exercet.

Stilico magiſter militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit, Africa ad priſtinum ius redacta. III.

Romanæ Eccleſiæ cathedram XXXVII. Innocentius tenet.

Toto orbe Romano antiquæ ſuperſtitionis templa deſtructa. IIII.

Paulinus, Nolanus poſtmodum Epiſcopus, admirabili

exemplo venditis omnibus, cum esset Dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.

V. Iohannes Constantinopolites Episcopus, dictis factisque clarescit.

Martinus post egregie actam vitam corpore exuitur.

VI. Pelagius vesanus doctrina execrabili Ecclesias commaculare conatur.

VII. Contentio ex doctrina Origenis synodum apud Alexandriam mouit, cuius extitit sententia, vt extra Ecclesiam fieret quicunque supradicti viri opera probauisset.

VIII. Solis facta defectio.

Augustinus plurima libris innumerabilibus disserit.

VIIII. Seuerus ex disciplina sancti Martini eius vitam tribus explicat libris.

X Sæua Italiæ barbarici motus tempestas incubuit. Si quidem Radagaius Rex Gothorum Italiæ limitem vastaturus transgreditur. Ex hoc Arriani, qui Romano procul fuerant orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulere, præsidio erigi cæpere.

XI. Multis ante vastatis vrbibus, Radagaius occubuit: cuius in tres partes per diuersos Principes diuisus exercitus, aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni triumpho exercitum tertiæ partis hostium, circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico vsque ad internicionem deleuit.

XII. Archadius Orientis Imperium gubernans vitam explet, paruum admodum Theodosium filium Imperij successorem relinquens.

Celestinus XXXVII. Romanam Ecclesiam gubernauit.

XIII. Diuersarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa immissu quam maxime Stiliconis indigne ferentis filio suo regnum negatum.

XIIII. Vticæ in foro Traiani terra diebus septem mugitum dedit.

Inter alia multum reipublicæ Stiliconis morte consultum est, qui saluti Imperatoris tendebat insidias.

Nestorius

Nestorius Constantinopolites Episcopus ad hæresim quæ in Christo Deum ab homine separat, vertitur.

Ioannes Comes Africæ occisus est a populo.

Proculus Massiliensis Episcopus clarus habetur, quo an- XV.
nuente, magna de suspecto adulterio Remedij Episcopi quæstio agitatur.

Hac tempestate præ valitudine Romanorum vires funditus attenuatæ Britanniæ.

Saxonum incursione deuastatam Galliarum partem Vvan- XV
dali atque Alani vastauere. quod reliquum fuerat Constantinus tyrannus obsidebat.

Hispaniarum partem maximam Sueui occupauere.

Ipsa denique orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdissime patuit.

Constantinus tyrannus occiditur. XVII.

Rursum alia prædatio Galliarũ, Gothis, qui Alarico duce XVIII.
Romam cæperant, Alpes transgredientibus.

Iouinus tyrannidem post Constantinum inuadit, indu- XVIIII.
stria viri strenui, qui solus tyranno non cessit, Dardani. Atauulfus, qui post Alaricum Gothis imperitabat, a societate Iouini auertitur. Salustius quoque & Sebastianus occisi.

Valentia nobilissima Galliarum ciuitas a Gothis effringitur, ad quam se fugiens Iouinus contulerat.

Ingens in Galliis fames. XX.

Aquitania Gothis tradita.

Patroclus Arelatensis Episcopus infami mercatu sacerdotia venditare ausus.

Heraclianus Comes Africæ, qui in Romanæ vrbis reparationem strenum exibuerat ministerium, noua quædam molitus interimitur.

Placidia soror Imperatoris diu captiua, postea etiam regis XXI.
vxor, rege fraude sublato, Constantis connubio copulatur.

Gothi, cum se iterum, Atauulfo perempto, mouissent, XXII.
Constantis repelluntnr occursu.

Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustini libris male in- XXIII.
tellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere

exorsa.

XXIIII. Tricesimus nonus Xistus Romanam Ecclesiam regit.

XXV. Solis hoc anno facta defectio.

XXVI. Faramundus regnat in Francia.

XXVII. Signum in cœlo mirabile apparuit.

Maximus tyrannus Hyspaniarum dominatum vi obtinet.

XXVIII. Honoratus, Mineruius, Castor, Iouianus singulorum monasteriorum patres in Galliis florent.

XXIX. Constantio dignitas Imperij ab Honorio sponte delata, qua vix octo mensibus vsus, interiit, Valentiniano octo annorum filio derelicto.

XXX. Maximus tyrannus de regno deiicitur, ac Rauennam perductus sublimem spectaculorum pompam tricennalibus Honorij præbuit.

XXXI. Placidia cum insidias fratri tenderet, depræhensa est, & Romam exilio relegata.

XXXII. Honorius Rauennæ defunctus.

Nullo iure debitum Ioannes ex Primicerio Notariorum regnum sumit, qui vulneratum multis cladibus reliquit Imperium.

THEODOSIVS. Theodosius annos XXVII.

Placidia ad Theodosium auxilium precatum mittit.

I. Sigisuuldus ad Affricam contra Bonifacium properauit.

II. In Galliis Exuperantius præfectus a militibus interficitur.

Muro Carthago circumdata, quæ ex tempore quo vetus illa destructa est, sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari.

Ioanne ab exercitu Orientis victo & perempto, Rauenna deprædatione vastata est.

Aëtius Gaudentij Comitis a militibus in Galliis occisi filius, cum Chunnis Ioanni opem laturus, Italiam ingreditur.

III. Valentinianus Romæ Imperator factus.

IIII. Arelas a Gothis per Aëtium liberatur.

V. Placidia tandem illata optato regno.

Clodius regnat in Francia.

VI. Cassianus compertas in Aegipto vitas patrum doctrinas-

que & regulas, libris ad plurimos datis exponit.
Aëtius Ihutungurum gentem delere intendit. VII.
Viginti ferme milia militum in Hispaniis contra Vvandalos pugnantium cæsa. Vvandali in Africa transfretantes, ingentem, lacerata omni prouincia, Romanis cladem dedere. VIII.
Consulatu Aëtius edito, Bonifacium, qui ab regina accitus ex Africa fuerat, declinans, ad munitiora conscendit. IX.
Asperitas nimij frigoris etiam saluti plurimorum pernicies extitit.
Bonifacius contra Aetium certamine habito percussus, victor quidem, sed moriturus abscedit.
Cum ad Chunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, post prælium se Aëtius contulisset, impetrato auxilio ad Romanum solum regreditur. X.
Gothi ad ferendum auxilium a Romanis acciti.
Germanus Episcopus Antisiodori virtutibus & vitæ districtione clarescit.
Aëtius in gratiam receptus. XI.
Rugila Rex Chunnorum, cum quo pax firmata, moritur, cui Bleda succedit.
Gallia vlterior Tibatonem principem rebellionis secuta, a Romana societate discessit, a quo tracto initio, omnia pęne Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauere. XII.
Bellum contra Burgundionum gentem memorabile exarsit; quo vniuersa pæne gens cum rege Peretio deleta. XIII
Capto Tibatone & cæteris seditionis partim principibus vinctis, partim negatis, Bagaudarum commotio conquiescit. XIIII.
Theodosianus liber omnium legum legitimorum Principum in vnum collatarum hoc primum anno editus. XV.
Siluius turbatæ admodum mentis, post militiæ in Palatio exacta munera, aliqua de religione conscribit.
Ecclesiæ Romanæ XL. Leo suscepit principatum. XVI.
Pacatis motibus Galliarum Aëtius ad Italiam regreditur.

Deserta Valentinæ vrbis rura, Alanis, quibus Sam bida præerat, partienda traduntur.

XVIIII. Britanniæ vsque ad hoc tempus variis cladibus euentibusque * latę, in ditionem Saxonum rediguntur.

* lacerate.

XIX. Alani, quibus terræ Galliæ vlterioris cum incolis diuidendæ a Patricio Aëtio traditæ fuerant, resistentes armis subigunt, & expulsis dominis terræ possessionem vi adipiscuntur.

XX. Sabaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis diuidenda.

XXI. Carthago a Vuandalis capta cum omni simul Africa lacrimabili clade & damno, Imperij Romani potentiam deiecit. Ex hoc quippe a Vuandalis possidetur.

XXII. Thracia Hunnorum incursione concutitur.

XXIII. Bleda Chunnorum rex Attilæ fratris fraude percutitur, cui ipse succedit.

XXIIII. Noua iterum Orienti consurgit ruina, qua septuaginta non minus ciuitates Chunnorum deprædatione vastatæ, cum nulla ab Occidentalibus ferrentur auxilia.

XXV. Meroeus regnat in Francia.

Eudoxius arte medicus, praui sed exercitati ingenij, in Baganda id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit.

XXVI. Eucherius Lugdunensis Episcopus & Hilarius Arelatensis egregiam vitam morte consummant.

XXVII. Hæresis nefaria a quodam archimandrita commota, cui fauorem præbens Theodosius obiit, septem super viginti annis in imperio exactis. Cui Martianus substituitur.

Placidia quoque post irreprehensibilem conuersationem hoc anno vitam expleuit, filio vicesimum quintum annum in ipso consummante.

VALENTINIANVS ET MARTIANVS.

Valentinianus & Martianus.

I. Hac tempestate valde miserabilis reipublicæ status apparuit, cum ne vna quidem sit absque barbaro cultore prouincia: & infanda Arrianorum hæresis, quæ se nationibus barbaris miscuit, catholicæ nomen fidei toto orbe diffusa præsumat.

Attila Gallias ingressus, quasi iure debitam poscit vxorem:

vbi graui clade inflicta & accepta, ad propria recedit.

Plurima hoc anno signa apparuerunt. II.

Insperata Galliis clade accepta furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu solo territi, præsidio nudauere.

Synodus Chalcedonensis, vbi Eutichæ Dioscoroque III. damnatis, omnes, qui se ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata vniuersaliter fide quæ de incarnatione verbi secundum Euangelicam & Apostolicam doctrinam per sanctum Papam Leonem prædicabatur.

Attila in sedibus suis mortuo, magna primum inter filios ipsius certamina de obtinendo regno exorta sunt: Deinde aliquot gentium, quæ Hunnis parebant, defectus sequuti, causas & occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur.

Inter Valentinianum Augustum & Aëtium Patricium IIII. post promissæ inuicem fidei sacramenta, post pactum de coniunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt: & vnde fuit gratia charitatis augenda, inde exarsit fomes odiorum, incentore, vt creditum est, Heraclio spadone, qui ita sibi Imperatoris animum in sincero famulatu astrinxerat, vt eum facile in quæ vellet, impelleret. Cum ergo Aëtius placita instantius repetit, & causam filij communis agit, Imperatoris manu & circunstantium gladiis crudeliter confectus est, Boëtio Præfecto prætorij simul perempto, qui ei multa amicitia copulatus erat.

Mortem Aëtij mors Valentiniani non longo post tempore consecuta est, tam imprudenter non declinata, vt interfecti Aëtij amicos armigerosque eius sibimet sociaret: Qui concepti facinoris oportunitatem dissimulanter aucupantes, egressum extra vrbem Principem, & ludo gestationis intentum inopinatis ictibus confoderunt, Heraclio simul vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine regia ad vltionem tanti sceleris accenso. Vt autem hoc parricidium perpetratum est, Maximus vir gemini Consulatus & Patriciæ dignitatis sumpsit imperium. Qui cum periclitanti reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non sero documento V.

quid animi haberet, probauit: sic quidem vt interfectores Valentiniani non solum non plecteret, sed etiam in amicitiam reciperet, vxoremque eius Augusti amissionem viri lugere prohibitam, intra paucissimos dies in coniugium suum transire cogeret. Sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem nunciato ex Africa Genserici regis aduentu, multisque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cum ipse quoque, data cunctis abeundi licentia, trepide vellet abscedere, a famulis Reginæ dilaniatus & membratim deiectus in Tyberim, sepultura quoque caruit. Post hunc Maximi exitum, confestim secuta est multis digna lacrimis Romana captiuitas, & vrbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portas sancto Leone Episcopo: cuius supplicatio ita eum, Deo agente, leniuit, vt cum omnia in potestate ipsius essent, tradita sibi ciuitate, ab igne tamen & cæde, atque supplicijs abstineret. Per quatuordecim igitur dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est: multaque milia captiuorum prout quique aut ætate, aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus eius Carthaginem abducti sunt.

Hucusque Prosperi Chronographia, in qua Dominicæ incarnationis annos non annotauimus, quia in subsequenti Chronographia eadem pæne & eo amplius quæ a Prospero, a Segeberto monacho sub annis Domini recitantur a CCLXXXI. Dominicæ incarnationis incepta, quo Hieronymus presbiter Chronicorum suorum finem fecerat.

FRAGMENTVM EX CHRONICO VICTORIS EPISCOPI TVNNENSIS AFRICÆ,

quod ſubiecit Chronico Proſperi.

GIBBO v. c. CONS. Anaſtaſius Imperator Conſtantinopoli Synodum congregat, & Theodoro Mopſueſteno, & Theodoreto Cypri, & Hybe Edeſſeno Epiſcopis: & Leoni Romano Epiſcopo & eius Tomo, atque Chalcedonenſi Synodo inferre anathema perſuaſit.

*

* MESSALA v. c. CONS. Conſtantinopoli iubente Anaſtaſio Imperatore, ſancta Euangelia tanquam ab idiotis Euangeliſtis compoſita reprehenduntur, atque emendantur.

*

BOETIO v. c. CONS. Vitalianus Comes Patricioli filius fidei Catholicæ ſubuerſionem & Synodi Chalcedonenſis damnationem, remotioneſque orthodoxorum Epiſcoporum, atque ſucceſſiones hæreticorum cognoſcens, virorum fortium validam manum congregat, & Imperatori Anaſtaſio rebellat.

FELICE v. c. CONS. Vitalinus Comes Hyppathium nepotem Anaſtaſij principis Magiſtrum Romanæ militiæ congreſſione facta XL. & V. virorum ex Romana militia peremptis viuum capit, & vinculis æreis vinctum, in cuſtodia caueæ ferreæ trudit.

*

SENATORE V. C. CONS. Vitalianus Comes cum manu valida barbarorum Constantinopolim veniens, in Sostene sedit: qui non aliter, postulatus, pacem Anasiasto promittit, nisi prius defensores Synodi Chalcedonensis relegatos exilio sedibus propriis reddat, & Romanæ Ecclesię cunctas Orientis Ecclesias.

*

AGAPITO II. ET MAGNO CONS. Anastasius Imperator intra Palatium suum tonitruorum terrore fugatus, & corruscationum iaculo percussus in cubiculo quo absconsus fuerat, moritur, & cum ignominia, absque consuetis exequiis ad tumulum ducitur. *

*

Chronici Victoris meminit Ado Viennensis: meminit & Otho Frising. lib. v. hist. cap. VI. Sed apud vtrumque Turonensis legitur corrupte. Sane in vetustioribus Adonis exemplaribus scriptum fuit, Tonnonensis. Porro mirum est quam hæc diuersa sint a Marcellino Illyriciano & Senatore, præsertim in Conss. nominibus qua de re alias.

PETRI

PETRI PITHOEI
I. C.

ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM LIBRI II.

Auctorum Veterum loci qui in ijs libris aut explicantur aut emendantur, proximo indice notati sunt.

PETRVS PITHOEVS

ANTONIO LOISELO

I. C. S.

CVi dono illepidum meum libellum,
Burras, quiſquilias, ineptiaſque?
Antoni, tibi. Nanque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas.

Et verò, eorum quæ te maxime impulſore atque etiam adiutore auſus ſum, quem alium potius auctorem laudem? AC vt id quidem mihi liceat, quod ego per amicitiæ religionem nefas duco. Quis tandem iniuriam ſibi fieri non cenſeat, ſi tam incerti nominis præs rogetur, cuius tu nihilominus in te periculum vltro recipere non dubitaſti?

Quare habe tibi quicquid eſt libelli.
Qualecunque quidem,

Sit ſacroſanctæ amicitiæ noſtræ & communium ſtudiorum pignus, quandiu quidem extare poterit, ſempiternum. Bene vale. Tricaſſib. III. Kal. Octob. M. D. LXIIII.

BREVIS CAPITVM

LIBRI PRIMI.

Ad Anto. Loiselum. I. C.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI.

INCIPIT BREVIS CAPITVM LIBRI SECVNDI.

Ad Claud. Sennetonum. I. C.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM

in quibus veteris cuiuſque auctoris loci aut explicantur aut emendantur. lib. librum. c. caput libri ſignificat.

A.

B.

C.



PETRI PITHOEI ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM LIBER PRIMVS.

Ad Antonium Loiſelum. I. C.

Filius per arma, per capillos, per ſacras preces.

Cap. I.



ON ſtatui miſcellis iſtis quicquam inſerere quod ad ius noſtrum proprie pertineat. Volo enim hæc eſſe eorum quæ de iure molimur parerga quædam & veluti ſubſeciua. Itaque de adoptione ea hic a me annotabuntur, quę Iuriſconſulti noſtri ex iure Quiritium ſua eſſe nunquam dicturi ſunt. Igitur vt formularii olim Romani per Populum & Prætorem adoptabant, ita cæteræ fere bellicoſæ gentes per arma filios ſibi adſciſcebant, id eſt, armorum traditione: cuius adoptionis formula extat apud Caſſiodorum lib. iiii. Variar. qua Theodoricus Herulorum Regem filium ſibi procreat. Sic Iuſtinianus noſter Athalarici patrem adoptauit, vt hic ipſe apud eundem auctorem gloriatur lib. viii. Deſiderio (inquit) concordiæ factus eſt per arma filius, quia vnis nobis pene videbatur æquæuus. Vbi pro, vnis nobis, libri ſcripti habent nimis

vobis: vnde coniicio scribendum, qui annis vobis. Idem auctor lib. viii. in mandatis Athalarici ad Tolum siue Tholuit Patricium (sic enim & in altero eiusdem libri loco appellatur) Extat, inquit, gentis Gothicæ huius probitatis exemplum. Gensimundus ille toto orbe cantabilis, solum armis filius factus, tanta se Amalis deuotione coniunxit, vt heredibus eorum curiosum exhibuerit famulatum. Ex quo illud animaduersione dignum est, hoc genus adoptionis per arma non perinde ius sui, id est, hæredis & successoris tribuisse atque eam quæ legibus Romanis facta esset. Qua de re elegans profecto locus est apud Procopium lib. i. Belli Persici, cuius quia longiorem historiam suis verbis non licet hic adscribere, sensum tantum, quam potero, breuissime referam. Cabades Persarum rex, belli quod cum Romanis gerebat ansas præcidere cupiens, eademque opera, Cosroem ex sorore filium regni successorem relinquere, excluso Cabade maiore natu, quem naturæ ius cæteris præferebat, pacem Iustino Imperatori ita obtulit, si Cosroem adoptaret. Accepit statim conditionem Iustinus, paratusque erat Cosroem Romano ritu adoptare, & adoptionis instrumenta conscribere, ni Proclus Quæstor prohibuisset, dictitans, hoc modo & Iustinum Romanorum vltimum Imperatorem, & Iustinianum, quem is antea nobilissimum designatum principem regnique sui successorem creauit (sic legendum apud Marcellinum Comitem) in Imperii successione magno sibi impedimento futurum: quandoquidem hac adoptione, legibus Romanis, Cosroes ad imperium, vt filius, vocaretur. Ex consilio igitur Procli, Cabadis legatis tandem responsum est, Paratum quidem Iustinum Cosroem adoptare, & filium sibi facere, sed ita vt barbarum decet, id est, per arma, non per literarum instrumenta. Quo responso, Persæ elusos se esse sentientes (hoc enim genere adoptionis Cosroes Iustino ita adnasci non poterat, vt ei in imperio suus heres succederet, quod Cabadis votum & consilium erat) re infecta, discesserunt. Fiebat etiam adoptio per comam, siue per capillos. Paulus Monachus lib. vi. de gestis Langobardorum, Circa hæc tempora, Karolus Francorum

Francorum princeps, filium suum ad Liuthprandum misit, vt " eius iuxta morem capillum susciperet: Qui eius cæsariem in- " cidens, ei pater effectus est. Memini etiam Theodorum Bal- * samonem alicubi notare, ex No. xxiiii. Leonis Philosophi, per sacras preces, siue per Baptismum adoptionem fieri: Idque etiam probare ex libello quodam & rescripto Imperatoris ex Chartophilacio, vt ipse ait, sumpto. Quod apud nos iampridem in vsu est. Sed quæ huius adoptionis vis fuerit, alterius erit loci exponere. Sane priscis Ecclesiæ ritibus, vt iam adulta ætate tingendi, quamuis ipsimet in sacramenti verba responderent (vt Tertullianus loquitur,) primum tamen a præpositis ecclesiæ offerebantur. Ita a parentibus ipsis paruulos offerri solitos, Augustinus epistola quadam ad Bonifacium ostendit, ex qua hæc tantum subiungam. Sicut (inquit) scribens dicis, vt sicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem parentum identidem iustificentur: cum videas multos non offerri à parentibus, sed etiam à quibuslibet extraneis, sicut a dominis seruuli aliquando offeruntur, & nonnunquam mortuis parentibus suis, paruuli baptizantur ab eis oblati, qui illis huiusmodi misericordiam præbere potuerunt: aliquando etiam, quos crudeliter parentes exposuerunt nutriendos, a quibuslibet, nonnunquam a sacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptismum, quæ certe filios non habuerunt vllos, nec habere disponunt.

Furtum per lancem & licium conceptum.

Cap. II.

A. Gellio pridem responsum est a quodam, quem ego Apiciani potius, quam Appiani iuris peritum fuisse crediderim, furtorum quæstiones cum lance & licio euanuisse. Quæsitum tamen est postea anxie & diligenter a multis, quodnam fuisset hoc genus furti, per lancem & licium concepti. Qua de re, non tantum a nostris Iureconsultis, sed etiam a Grammaticis frequens Senatus indictus est. Quamobrem & hic a me locus in subseciuum referetur. Primum,

recte quidam censuerunt, furtum per lancem & licium non fieri, sed perquiri & concipi. Deinde vero seruos & ministros publicos licio transuerso præcingi solitos cum Magistratibus præministrarent, aut quid aliud publica, id est, Magistratuum auctoritate facerent. Quod ex Tirone Tullio Gellius notat lib. xij. cap. iij. Apud quem tamen lino, & linum, pro limo & limum perperam & corrupte legitur. Limum enim antiquo verbo transuersum significat, vnde & limites & limum cinctum dixerunt, quod purpuram transuersam haberet, vt ab Isidoro & auctorib. limitum scriptum est. Itemque obliquitatum curatores Deos limos vt Arnobius testatur lib. iij. Limes etiam pro transuerso dixit Ammianus
" Marcell. lib. xvij. eo loco: limibusque oculis eos ad vsque
" metum contuens mortis. Sic habet calamo descriptus liber,
" excusi limis. Idem lib. xvij. Aut climatiæ qui limes ruentes
" & obliqui. Sed vt ad rem redeamus, de lance quid iidem senserint non modo refellere piget, sed etiam pudet referre. Nam quod siue ex Sexto Pōpeio, seu potius ex Paulo adferri solet, etsi auctoritate aliqua fortasse nititur, exemplo tamen & ratione caret. Itaque, de hac re ego neque manum porrigam, neque pedibus in sententias iturus sum, neque verbo consensurus, sed ex tabella potius, quando adsum, loco modo sententiam dicam: furtum quod a lictore aut viatore licio præcincto, ipso aut alio quolibet comite indicium & fidem in lance præferente, siue hæc priuata fuerit, siue publica (quod magis credo) ex auctoritate magistratus perquisitum inuentumque est, per lancem & licium conceptū videri. Indicij autem nomine hic intelligo καὶ τὰ μήνυθρα, καὶ τὰ εὕρετρα. Hoc quia specie & ratione non caret, exemplis potius & auctoritate firmandum est. Petronius Arbiter in Satyrico. Dum Eumolpus cum Bargate in secreto loquitur, intrat sta-
" bulum Præco cum seruo publico aliaque sane non modica
" frequentia, facemque fumosam magis quam lucidam quas-
" sans, hæc proclamauit: PUER in balneo paulo ante aberrauit,
" annorum circiter xvj. crispus, mollis, formosus, nomine
" Gyton: si quis eum reddere aut commonstrare voluerit, ac-

cipiet nummos mille. Nec longe a præcone Aſcyltos ſtabat, amictus diſcoloria veſte, atque in lance indicium & fidem præferebat. Imperaui Gytoni vt raptim grabbatum ſubiret, annecteretq; pedes & manus inſtitis, quibus ſpondam culcita ferebat. Et paulo poſt. Interim Aſcyltos vt pererrauit omnes cum viatore cellas, venit ad meam: Ex hoc quidem pleniorem ſpem concepit, quod diligentius oppeſſulatas inuenit fores. Publicus vero ſeruus inſertans commiſſuris ſecures, clauſtrorum firmitatem laxauit. Ego ad genua Aſcylti procubui, & per memoriam amicitiæ, perque ſocietatem miſeriarum, petij, vt ſaltem oſtenderet fratrem: immo, vt fidem haberent fictæ preces, Scio te inquam, Aſcylte, ad occidendum me veniſſe. Quo enim ſecures attuliſti? Itaque ſatia iracundiam tuam, Præbeo ecce ceruicem, funde ſanguinem quem ſub prætextu quæſtionis petiiſti. Amolitur Aſcyltos inuidiam, & Se vero nihil aliud quam fugitiuum ſuum dixit quærere, mortem nec hominis concupiſſe, nec ſupplicis, vtique eius, quem poſt fatalem rixam habuit cariſſimum. At non ſeruus publicus tam languide agit, ſed raptam cauponis hyrundinem ſubter lectum mittit, omniaq; etiam foramina parietum ſcrutatur. Adſcripſi locum paulo latius, tum quod totam quæſtionis rationem accurate exprimit, tum quod in vulgatis Petronij exemplaribus nõ extat. Extat autem magna eius Satyrici parte, in meo libro, cuius ego procacitatem, petulantiam, & laſciuiam priuato carcere ita damnaui, vt tamen eius copiam viris optimis & amiciſſimis nõ negem, quam non ita dudum feci Errico Meſmio, V.C. & bonarum artium (vere dixerim) patrono. Cæterum, diſcoloriã veſtem dixit Arbiter, vt iuris noſtri auctores verſicoloriã. Vopiſcus coloriam. Diſcoloria autẽ veſte vti ſolitos, qui quid publica auctoritate facerent, teſtimonio ſunt Imperatoriæ conſtitutionis verba, in Codice Theodoſiano, ſub titulo, De habitu quo intra vrbem vti oportet: quæ quia ad rem maxime pertinẽt, a me hic referẽtur, Officiales (inquiunt) per quos ſtatuta cõplentur, ac neceſſaria peragũtur, vti quidem penulis iubemus verũ interiorẽ veſtem admodũ cingulis obſeruare: ita tamen vt diſcolori-

bus quoque palliis pectora contegentes, conditionis suæ necessitatem ex huiusmodi agnitione testentur. Id vero hodieque in vsu esse non desiit. Sed ne quis nouam quandam rei amissæ, perquirendæ & concipiendæ rationem a Petronio descriptam putet, subiiciam & Euthychij apud Plautum in Mercatore verba,

" *Certum est (inquit) præconium iubere iam quamtum est conducier,*
" *Qui illam inuestigent, qui inueniant: Post, ad Prætorem illico*
" *Ibo, orabo, vt conquisitores det mihi in vicis omnibus.*

Extat & aliud præconij huius exemplum apud Apuleium lib. vj. Asini aurei, sane quam elegans, in quo mirum videri non debet, Mercurium prædicatorem in lance indicium & fidem non præferre, qui indicaturæ (vt idem loquitur) nomine, nihil præter Veneris suauia & linguæ adpulsum polliceatur. Curius Fortunatianus iuriscosul. lib. j. Rhetoricæ scholasticæ. " Cuius seruus fugerat libello proposito, vel per prçconē " nuncians, dixit daturum se denarios mille ei qui ad se seruum " perduxisset. Addam hic illud, quando liciorum mentio incidit, videri mihi apud Spartianum in Quieto pro (delitijs) duobus distinctisque verbis, De liciis, scribendum. Locus hic " est. Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & ar" gento, mulieres in reticulis, & dextrocherijs, & in annulis, & " in omni ornamentorum genere exsculptum semper habue" runt, eousque, vt tunicæ, & limbi, & penulæ matronales in " familia eius hodieque sint, quæ Alexandri effigiem licijs va" riantibus monstrent. Significat tunicas & penulas multitias & polimitas, id est, versicoloribus de liciis textas, quod genus Alexandriam instituisse Plinus scribit.

Belenus, & de Diis veterum Gallorum.
CAP. III.

GAllorum veterum Dii, hi maxime suis nominibus ex Lucano & Lactantio referuntur: Teutates, quem plerique omnes Mercurium credunt, cui humanis hostiis litari solitum Cæsar & Tertullianus auctores sunt, quemque au-

ctor Queroli, quiſquis ille fuerit, Gallus, Anubim latrantem deum appellare videtur: Heſus, ſiue Heus, quem Martem hunc & heredem inſtituere conceſſum Vlpianus noſter ſcribit, Taranis, ſiue Taramis, quem Iouem. Herculem etiam Ogmii nomine coluiſſe, auctor eſt Lucianus in Hercule Gallico: Sed & eũ qui a Græcis Sarrapis, a Latinis Serapis dicitur, hoc quoq; nomine a Gallis cultũ, non immerito quis colligat ex Ammiani Marcellini verbis, quæ ex libro ipſius xvi. adiecturus ſum. Latus dextrum Serapio agebat, etiam tum adultæ lanuginis iuuenis, efficacia præcurrens ætatem, Mederici fratris Chonodomarii (hoc fuit tum Alemannorum regis nomen) filius, hominis quoad vixerat perfidiſſimi: Ideo ſic appellatus, quod pater eius diu obſidatus pignore tentus in Galliis, doctuſque Græca quædam arcana, hunc filium ſuum, Agarenichum genitali vocabulo dictitatum ad Serapionis tranſtulit nomen. Hæc myſteria ſiue a Græcis & Ægyptiis Galli didicerint, vt Marcellinus ſignificat, ſeu potius ipſi Græcos cum philoſophia ſua docuerint, conſtat ſane Cæſaris teſtimonio, Gallos ſe omnes à Dite patre, id eſt Serapi ſiue Plutone prognatos prædicaſſe. Idem quoque tradit Gallos poſt Mercurium, Apollinem colere. Sed quo nomine hactenus proditum non eſt. Et vero plane ignotum id eſſet, niſi ex Auſonii verſibus opera Lud. Miræi viri optimi (qui nuper magno literarum incommodo deceſſit) ex Charpini libro editis, didiciſſemus, Apollinem Belenum (credo, a iactu ſiue emiſſione radiorum, vnde Apollinis quoque nomen deductum Plato ſcripſit) eius vero miniſtros ſiue ſacerdotes Pateras Gallis dictos. Auſonii locos ex Burdegalenſium profeſſorum monimentis adſcribam, & quia obſcuri corruptique ſunt, tentabo ſi quid poſſum iis lucis adferre. Ac primum de Attio Patera Rhetore, Delphidii Tyronis patre, Phœbicii filio, & Phœbicii alterius fratre (hoc enim ad eius quoque loci intellectum pertinet) ſic ſcribit.

» *Tuba Gocaßi stirpe Druidarum satus,*
» *Si fama non fallit fidem,*
» *Beleni sacratum ducis e templo genus,*
» *Et inde vobis nomina:*
» *Tibi, Pateræ (sic ministros nuncupant*
» *Appollinaris mystici)*
» *Fratri patrique nomen, à Phœbo datum;*
» *Natoque de Delphis tuo.*

» Idem de Phœbicio Attij Pateræ patre.

» *Nec reticebo senem*
» *Nomine Phœbicium,*
» *Qui Beleni æditus,*
» *Stirpe satus Druidum*
» *Gentis Aremoricæ,*
» *Burdigalæ cathedram*
» *Nati opera obtinuit.*

Mirabitur fortasse aliquis, qui modo librum Ausonii viderit, me hos vno ordine versus recitare, inter quos tum multi in impresso interiecti sunt. Sed is profecto sciat, iam pro certo habere me, in eo Ausonii epigrammate, itemque in aliis quisbusdam, quæ breuiori huiusmodi carmine concepta sunt, vt hinc inde duabus vel pluribus (vt vocant) columellis in vna facie scribi potuerint, multos esse versus non suo ordine descriptos, quosdam etiam deesse videri. Non immorabor exemplis, præsertim cum difficillimum sit, atque etiam interdum plane ἀδύνατον, sine veteris exemplaris, quo caremus, beneficio peruersa suo loco reponere. Hoc lectorem monuisse satis sit, & his de Phœbicio versibus a me suo ordini (vt opto speroque) restitutis, ad paria tentanda prouocasse. Sed quid est quod ait Ausonius,

Tuba Gocaßi stirpe?

Hoc, manifesto, opinor, errore corruptum est, & emendatione indiget. Cum autem Phœbicium Pateræ ipsius de quo loquitur patrem, stirpe Druidum gentis Aremoricæ satum dicat, suspicor hunc versum non infœliciter ita restitui posse si legamus,

Tu Baiocaßi stirpe Druidarum satus

Baiocasses & Baiocassimi qui dicantur hodie vel sola nominis exauditione notum esse potest, eosque Aremoricæ gentis esse nemo pudens inficias iuerit, cum in vltimis Galliæ finibus positi, Occeanum pene digito attingant. Et vt Baiocasses eos esse concedamus, qui apud Cæsarem Velocasses, Veliocasses, & Bellocasses in veteribus libris scribũtur, quamuis ab eo lib. vij. belli Gallici, ab Aremoricis ciuitatibus separari videãtur, Cum tamen & de delectibus tantum Gallorum loquatur: quorum ita faciendorum varia ratio esse potuit, & res ipsa ita Baiocasses, Gallorum consuetudine ab eodem Cæsare tradita, Aremoricos esse clamet, non ita facile muto sententiam. Si quis autem Baiocassium & Baiocassinorum appellationem recentiorem esse existimet, quam vt Ausonij sæculo conueniat, monendus est, non solum Sidonium Baiocassina prædia dixisse, sed & in alijs eius ætatis scriptoribus hoc nomen reperiri. Enimuero ex his Ausonij locis illud etiam annotandum censeo, fuisse in Gallia diuersas Druidarum familias, eorumque nomen etiam sub Christianis Imperatoribus celebre admodum fuisse. Sane Plinius scribit, Tiberij principatum sustulisse Druidas Gallorum & id genus vatum medicorumque: Suetonius etiam, Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum ciuibus sub Augusto interdictam penitus Claudium aboleuisse auctor est. Sed vt voluerint, certe omnino sustulisse non potuerunt. Sustulerunt quidem fortasse ritum illum sacrorum detestabilem a Britannis acceptum, quo Mercurio humanis litabant hostiis (quod & eundem ipsum Tiberium in proconsulatu suo penes Africam in Saturni sacris fecisse Tertullianus scribit) ita tamen vt feritatis abolitæ manerent apud Gallos vestigia, in eo, quod deuotam hostiam, id est hominem, altaribus admotam delitabant, vt Mela auctor est: Druidas vero penitus non sustulerunt: Nam & eorum sub Vitellio Tacitus meminit lib. xx. & Ausonij loci ita esse confirmant. Sed & ad Druidas nescio quomodo multa pertinent ex Pseudoplauti Aulularia, quæ nuper P. Danielis viri doctissimi & diligentissi. opera edita est. Meminit & Gallicanarum Druidum Lampridius in

Alexandro, meminit & Vopiſcus in Aureliani & in Taciti vita, à quibus eas quoque religioſe conſultas ſcribit, & ab hoc quidem apud Tungros. Atqui Germanos Druidas non habuiſſe Cæſar teſtatur: ſed habuerunt tamen non omnino diſſimiles a Gallicanis Druidibus Velledas & Aurinias, quarum Cor. Tacitus meminit. Præter Druidas fuerunt etiam in Gallia Bardi, fuerunt & Vates ſiue Vaties, ita Strabo lib. iiij. appellare videtur eos qui a Marcellino libro, xv. Eubages, a Diogene Laërtio σεμνόθεοι, a Diodoro Saronidæ dicuntur. Ex quo genere philoſophorum fuiſſe veriſimile eſt eum quem Lucianus in Hercule Gallico picturæ ſibi ænigma explicaſſe fingit. Non deſunt tamen qui hæc religioſius diſtinguant, quorum ego auctoribus tam propenſe credulus eſſe non poſſum.

De Beleno Tertulliani locus emendatus, itemque de Cæleſti & de Beſſa.

Cap. IIII.

CVm hos Auſonij locos iterum atque iterum relegerem, memoria repetēti, ecquid de Beleno ab aliis auctoribus proditum eſſet, venit tandem in mentem Tertulliani locus, in quo variarum gentium deos enumerans, Tibilenem etiam Norici deum facit: vbi Beleni nomen corruptum ſtatim ſuſpicatus ſum. Et quia impreſſi libri copia tum non fuit, veterem manuſcriptum conſului quem tum forte ad manum habere contigit, in quo, bono euentu, non iam coniecturam meam, ſed veram & genuinam Tertulliani ſcripturam reperi. Adſcribam locum integrum ex Apologetico, vti quidem in veteri libro exaratus eſt. „ Vnicuique etiam prouinciæ & ciuitati ſuus „ deus eſt, vt Syriæ Adſtartes, vt Arabiæ Dyſares, vt Norici „ Belenus, vt Africæ Cœleſtis, vt Mauritaniæ Reguli ſui. Ro„ manas, vt opinor, prouincias edidi, nec tamen Romanos „ deos earum, quia Romæ non magis coluntur, quam qui per ipſam

ipſam quoque Italiam municipali conſecratione cenſentur: Caſianenſium Deluentinus, Narnenſium Viſidiarius, Æſculanorum Ancharia, Volcinienſium Nortia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliſcorum in honore patris, Curris, & accepit cognomen Iuno. Ex quo apparet Belenum Deum in Aremorico & in Norico cultum. Niſi forte quis ad hæc quoq; ſuſpicetur, apud Tertulianum Armorici pro Norici reponendum: Sic enim tum Aremoricum neutro etiam genere appellabant. Sed hanc ego, ſiue coniecturam, ſiue diuinationem, temere probare non auſim, vt illud omni aſſeueratione contendo, Affricæ Cœleſtem in veteri libro rectiſſime ſcriptum non Cœleſtum: quomodo & in Vlpiani fragmentis, & apud Capitolinum reponendũ cenſeo. Cœleſtis non eſt, vt opinor, Saturni pater Cælius, aut qui ab eodem Tertuliano Afrorum Saturnus dicitur, ſed Cœleſtis dea. Spartianus in xxx. tyrannis. Afri Celſum imperatorẽ appellarunt peplo deæ Cœleſtis ornatum. Am. Marcel. lib. xxij. Aſclepiades philoſophus cum viſendi gratia Iuliani peregre ad id ſuburbanum veniſſet, deę Cœleſtis argenteum breue figmentum quocunque ibat, ſecum ſolitus efferre, ante pedes ſtatuit ſimulachri ſublime, accenſiſque cereis ex vſu ceſſit. Philaſtrius Brixienſis in catalogo hæreſ. Alia (inquit) hęreſis in Iudæis quæ Reginam, quam & Fortunam cæli nuncupant, quam & Cœleſtem vocant in Africa. Idem ipſe Tertulianus in eodem Apolegetico. Iſta ipſa virgo Cœleſtis pluuiarum pollicitatrix, iſte ipſe Æſculapius medicinarnm demonſtrator, alia de morituris Socordio, & Denatio, & Aſclepiodoto ſubminiſtratur, niſi ſe demones confeſſi fuerint Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite. Hæc eſt manuſcripti codicis lectio. Sane & in vetuſtiſſimo & optimo exemplari librorum Saluiani de gubernatione Dei ad S. Salonium Epiſcopum (ex quo, domino faciente, auctorem optimum multo integriorem quam nunc eſt, aliquando fortaſſe editurus ſum) quibus locis Cœleſtis mentionem facit, conſtanter vbique ſcriptum eſt. Cœleſtem illam, non illum. Ad Cœleſtem etiam reſpexiſ-

se videtur Apuleius lib. iiij. Floridorum his verbis: Cartha-
" go prouinciæ nostræ magistra venerabilis, Carthago Afri-
" cæ musa Cælestis. Vereor etiam ne apud Tertulianum in libro de virginib. velãdis, Cereri Africanę scriptum sit pro Cœlesti; vt & in exhortatione ad castitatem. Sed nihil temere affirmo. Habeat vero Si deo Si deæ hanc hostiam. Et quia veternosis istis dæmoniis nescio quo malo hodie operari contigit, libemus etiam aliquid Besę deo, cuius Amm. Marcellinus sic meminit lib. xix. Oppidum est Abydum in Thebaidis
" parte situm extrema. Hic Besæ dei localiter appellati, oracu-
" lum quondam futura pandebat. Huius dei aut oraculi nomen, alibi legisse me nunc non memini. Sed nunc illud quidem satis percipio quod ait, Besam deum localiter appellatum: nisi forte intelligamus ab incolis loci sic appellari, & hoc nouum loquendi genus in Græculo milite feramus. Quid
" autem si legamus potius? Hic Besæ dei a loco (vel a luco) tali-
" ter appellati: Strabo de Abydo Thebaidis loquens, ait ibi fossam esse, & circa eam Ægyptiarum achantorum lucum Apollini sacrum. A fossa illa & luco, Bessa Deus appellari potuit, vt Bessam campum a sylua vicina dictum idem scribit lib. ix. vbi ait gemino ss. scribendum, vt a Besa Attici agri tribu distinguatur. Sed hæ coniecturæ tantum sunt hominis otio abutentis, quæ ἐποχὴν & ἀπορίαν ferunt.

Marcellini & Taciti de Druidibus loci.
CAP. V.

NON absre forsitan suspicetur aliquis Druidarum nomen reponendum esse apud Amm. Marcellinum lib. xv. Vbi vulgo sic legitur, Drasidæ memorant reuera fuisse
" populi partem indigenam. Nec id sane omnino alienum est ab eo quod Cæsar scribit, Gallos se a Dite patre prognatos prędicaro, idq; a Druidibus proditum dicere. Verum, vt hoc nomen eo loco tedintegrari vltro patiar, apud Cor. Tacitum lib. xii. facile hoc idem recipi non sinam. Ecquando enim tandem Druides Romæ recepti & eo honore habiti sunt, vt

iis carpento Capitolium ingredi permitteretur? cum & ſub Auguſto Druidarum religio ciuibus penitus interdicta ſit, vt Sueto. in Claudio ſcribit, & a Tiberio Claudioque etiã apud Gallos pene abolita? Sed locum ipſum Taciti adſcribamus, ſuum quoque faſtigium Agrippina tollere altius, carpento Capitolium ingredi: Qui mos ſacerdotibus & ſacris Druidibus antiquitus conceſſus, venerationem augebat fœminæ. Vulnus quidem, vt videtur, non recens detectum eſt, in quo ſanando, vt verum fatear, mihi ipſi plane ſatisfacere non poſſum. Equidem Sex. Pompeium ſcribere ſcio, Pilentis & carpentis per vrbem vehi matronis conceſſum eſſe, quod cum aurum deeſſet ex voto quod Camillus vouerat Apollini delphico, contulerunt. Id Liuius quoque lib. v. ſic expreſſit. Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum vt pilento ad ſacra ludoſque, carpentis feſto profeſtoque vterentur. Virgilius lib. viij. Æneid. de Pilentis ſic canit.

Caſtæ ducebant ſacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus.

vbi Seruius, Pilenta (inquit) ſunt vehicula, Sicut nunc Baſternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non vt nunc, ruſſati: quibus niſi caſtæ matronæ vti non poterant. Quod & ab Iſidoro refertur lib. xx. Ethimolog. vbi & carpentum ab Horatio petoritum, non prætorium, appellatum ſcribit. Ex quibus vt id quoque obiter admoneam, interpretationem accipit Hieronimi ad Euſtochium locus, in quo vir doctiſſimus humano vitio lapſus eſt Baſtarnas pro baſternis neſcio quomodo exaudiens. Præcedit (inquit Hier.) caueas baſternarũ ordo ſemiuirorum. De matronis autem loquitur de quib. Amm. quoque Marcellinus lib. xiiij. Eo comitatu (ait) matronæ complures opertis capitibus & baſternis per latera ciuitatis cuncta diſcurrunt vtque præliorum periti rectores primo cateruas denſas opponunt. Baſternæ etiam nomen eodem penitus ſenſu vſurpant Lampridius in Heliogabalo, & Gregorius Turon. in libris hiſtor. Sed his crudeſcit potius vulnus quam ſanatur. Nam vt carpenti ius

matronæ habuerint, quid habet earum nomen cõmune cum ſacris Druidibus? Deinde carpento eas Capitolium ingreſſas qui conſtat? Et vero vt conſtet, quanam tandem prerogatiua Agrippinæ venerationem id auxit, quod cum ceteris honeſtioribus matronis commune habuit? Itaque quando huic ſanando nihil nunc quidem adhibere poſſumus, præſtat deſperatum nobis locum in medio deponere, quam ei prematurè manus violentas inferre. Sed quid ſi tamen interim vulnus deligemus, aut etiam ἀοδηνόν prius adhibeamus, & quod medicos paſſim in dubiis deſperatiſque morbis facere videmus, in hoc quoque adblandientibus medicamentis, id eſt fucco & (vt ipſi vocant) palliatione vtamur? Legamuſque, interim dum cum aptius occurret, Qui mos ſacerdotibus & ſacris virginibus antiquitus conceſſus. Artemidorus lib. j. de Som. interpret. φημὶ δὲ ἀγαθὸν ἐλευθέραις γυναιξὶν ἅμα καὶ παρθένοις πλουσίαις, τὸ διὰ πόλεως ἅρμα ἐλαύνειν· ἀγαθὰς γὰρ ἱερωσύνας αὐταῖς περιποιεῖται loquitur autem de carpento & petorito, id eſt, περὶ ἅρματος πετώρου. Hoc vero Agrippinæ venerationem auxiſſe intelligemus, quod quamuis honeſtiores etiam matronæ carpentis per vrbem veherentur, eis tamen carpento Capitolium ingredi ius non erat, quod ſacerdotibus tantum & ſacris virginibus conceſſum a maioribus fuit. Cuius priuilegij vt ſtatim authenticum inſtrumentum a nobis non proferatur, rationis tamen ſpecie coniectura & interpretatio noſtra non caret, qua ſæpe in cœcis huiuſmodi morbis par eſt nos eſſe contentos. Diuerſum porro fuit a carpento & petorito pilentum, vt pote mollius, quo & interdum per vrbem cum ſacris vehi ſolitas Veſtales Prudentius lib. ij. In Symmach. teſtatur. Ideoq; Capitolinus ſcribit Zenobiam virilis ſpiritus fœminam vehiculo carpentario vſam, raro pilento, equo ſæpius. Sed longius proceſſiſſe me ſentio quam res poſtulabat. Verum quid faciam? Omnis profecto ſcientia vt (ille ait) naturæ facilitate verboſa eſt.

Ver ſacrum.
CAP. VI.

VEr ſacrum quid ſit Paulus ex Feſto ſic explicat. Ver ſacrum mouendi mos fuit Italis. Magnis enim periculis adducti vouebant quæcunque vere proximo nata eſſent apud ſe animalia immolaturos. Sed cum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant. Idem Sex. Pompeius in Momertin. vt ſi vellent (inquit) eo malo liberari ver ſacrum vouerent, id eſt, quæcunque vere proximo nata eſſent immolaturos. Quem locum librariorum incuria in Auguſtiniana editione corruptum arbitror. In aliis vero auctorum locis quos adſcripturus ſum, ignorantia & audacia potius quam oſcitantia. Apud Iuſtinum lib. xxiiij. Galli abundanti multitudine dum eos terræ non caperent quæ genuerant, trecenta hominum milia ad ſedes nouas quærendas veluti peregrinatum miſerunt. Legendum auctoritate veterum librorum, velut Ver ſacrum miſerunt. In collectaneis rerum memorabilium Iulij Solini vbi ſcriptum eſt, Catillus Amphiarai filius poſt prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei aui iuſſu cum omni fœtu vel ſacro miſſus tres liberos in Italia procreauit. Emendandum cum omni fœtu ver ſacrum miſſus. Quod & veterum librorum & excuſſi cuiuſdam fide mihi compertum eſt, & miror a doctiſſimo & diligentiſſimo homine prętermiſſum cui ſtudioſi omnes vel vnius Solini nomine plurimum merito debent. Sed nemo vnquam iure reprehenſus qui e ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam. Porro autem veris ſacri vouendi faciendique ritus peti poſſunt ex Liuio lib. xxij. & xxxiiij. hiſt. A. V. C. cuius huc verba transferre nihil opus eſſe duxi. Inde vero ab antiquis vernarum nomen pro conuitio & maledicto habitum Nonius ſcribit, quod eos etiam vernas appellarent qui vere ſacro nati eſſent tanquam deuotos, ſacroſque & deteſtabiles. Quod ſi verum eſt, vt certe veri

ſpeciem habet, ſimul etiam quod de eadem voce Feſtus ſcripſit, ſubruiur plane quorumdam Grammaticorum traditio, quæ non ſolum Bedam in libello de orthographia, ſed & Martyrium Adamantium auctorem habet, ex cuius tractatu de V. & B. hæc Caſſiodorus excerpſit, quæ ex veteri Danielis noſtri quamlibet hac in parte corrupto peruerſoque, exemplari adſcripturus ſum, ſed vti ea tandem ex ingenio reſtituenda putaui. Berna (inquit) licet ego inuenerim per V. ſcriptum, tamen Mannam inluſtris memoriæ audiui, Mennonium hominem omnis facundiæ iudicem, ſe dicentem de hoc, reprehenſum à Romano quodam diſertiſſimo, quod per hanc enunciaret literam. Nos quoque notamus, ac temptamus rationem reddere quaſi diuerſitatis cauſa. Si enim Berna domi genitus ſignificet, id eſt. οἰκογενής, commune eſt duum generum ſecundum veteres, Trium vero ſecundum meam ſententiam, & per, B mutam ſcribitur: Si vero temporale quidem denunciet, erit mobile. Quare? Namque vernus, verna, vernum fit, vt ſi quis dicat vernus ſol, verna hirundo, vernum tempus, &, V, ſicut primitiuum eius in ſcriptura tenebit. His ita ſe habentibus, poſſumus etiam intelligere Bernam dictum eſſe eum qui in bonis hereditatis natus eſt. Bona vero per, B, literam ſcribi ſupradicta ratio demonſtrat. Sed hęc cum audio Græculorum mihi literatorum de aliena lingua ſomnia audire videor.

Adorationis ritus. CAP. VII.

ADorationis vetus hic non apud Romanos modo, ſed & apud alias pleraſque gentes ritus fuit, vt dextera manu labris admota & ad oſculum relata[1], capite ſubmiſſo, corpus dextrouorſum circumagerent. Quod in adoratione ciuili (ſic enim vocare liceat dum lubet) neſcio quomodo nuper tandem a nobis ſimiolis receptum eſt. Plinius lib. xxviii. ca. ij. In adorando, dextram ad oſculum referimus, totū corpus circumagimus: quod in læuum feciſſe Galliæ religioſius credunt. Fulgetras popyſmis adorare conſenſus gentium eſt. Plautus in Curculione.

PH. Quo me vortam neſcio.

PA. Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſeo.

Apuleius Afer. Apolog. I. Nam, vt audio percenſentibus iis qui nouere, nulli deo ad hoc æui ſupplicauit, nullum templum frequentauit; Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere. Minutius Fœlix Octauio, Cæcilius ſimulachro Serapidis viſo (vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admouens oſculũ labiis preſſit. Hieronymus Apolog. j. in Ruffinum de expoſitione illius loci, Apprehendite diſciplinam. Naſcu (inquit) vt verbum de verbo interpreter καταφιλήσατε, id eſt, deoſculamini dicitur. Quod ego nolens transferre putide, ſenſum magis ſecutus ſum vt dicerem, Adorate. Quia enim qui adorant ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere (quod ſe B. Iob elementis feciſſe negat, dicens, Si vidi ſolem cum fulgeret & Lunam incedentem clare, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima eſt & negatio contra Deum altiſſimum.) Et Hebræi iuxta linguæ ſuæ proprietatem deoſculationem pro veneratione ponunt, id trãſtuli quod ipſi intelligunt quorum verbum eſt. Bar autem &c. Sic totus ille locus legendus diſtinguenduſque eſt. Male autem, quantum intelligo, quidam eum Iobi locum ita interpretantur ex cap. xxx. vt ſe tacuiſſe ſignificet. Nam ſane aliud longe eſt manum oſculari, aliud manum ori opponere, & quaſi digito labellum compeſcere. Ad hunc quoque morem reſpiciens vetus interpres quiſquis ille eſt, locum alterum in lib. iij. ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ cap. xix. ſic reddidit. Quorum genua non ſunt incuruata ante Baal. & omne os quod non adorauit eum oſculãs manum. Ex quo etiam illud Eccleſiaſt. cap. xxix. Ἕως οὗ λάβῃ, καταφιλεῖ χεῖρας αὐτοῦ non inepte fortaſſe ita quis interpretetur, Eſt qui dum accipiat manum deoſculatur ſuam, id eſt adoret eum a quo accipit. At ego receptam eius loci interpretationem magis probem, quæ & ratione nititur & exemplis non caret. Macrob. lib. j. Satur. Inuenies Dominum ſpe lucri oſcula alienorum ſeruorum manibus infigentem. Apul. Apolog ii. Pontianus ante

pedes nostros aduolutus, flens, & manus nostras osculabundus. Sed esto sane suum cuique iudicium & mihi meum, dum id tandem bono modo fiat. Porro ab hac manus ad os relatione non immerito aliquis suspicetur adorandi, quod ab ador Nonius deducere tentat, vt a capitis submissione supplicandi verbum deductum: Quanquam & hoc genua, & illud orationem magis spectare videatur. Quod autem Hierony-
» mus adiicit, Adoraturos capita submittere, pertinet maxime
» ad hæc Lampridij de Alexandro verba: Salutabatur nomine
» hoc, Haue Alexander, si quis caput flexisset, aut blandius ali-
» quid dixisset, vel abiiciebatur, si loci eius qualitas pateretur,
» vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori non possset subiacere iniuriæ, hoc est, quod idem paulo post scribit, Alexandrum adorari se vetuisse. Non est illud omittendum, Adoraturos etiam plerunque ad solis ortum labia vibrare solitos, vt Tertull. loquitur, cuius hæc sunt ex A-
» pologetico verba. Deinde suspicio Solem nos adorare, quod
» innotuerit ad orientis regionem precari. Sed & plerique ve-
» strum, affectatione aliquando & cœlestia adorandi, ad solis
» ortum labia vibratis. Vbi in vet. li. scriptum est affectatione aliquando & cœlestia adoriendi. Latinus Pacatus Drepanius Gallus, in Panegy. Theod. A. dicto. Nam & diuinis rebus
» operantes in eam cœli plagam ora conuertimus a qua lucis
» exordium est, sic ego vota verborum quæ olim nuncupaue-
» ram, soluturus, id oratione tempus afficiam quo Romana lux cæpit. Cæterum veteres etiam Christianos siue stantes Paschæ & quinquagesimæ diebus, siue aliis de geniculis adorarent, ad Solis exortum conuerti solitos, vulgatius est quam vt adnotari debeat. Illud potius de voti adsignatione ex Apulei Apolog. priore huc congeratur. Quippe omnibus
» (inquit) si cui forte negotium magiæ facessitur quicquid om-
» nino egerint obiicietur. Votum in alicuius statuæ fœmore
» adsignasti. Igitur magus es. aut cur signasti? Tacitas preces
» in templo Diis allegasti, Igitur magus es, aut quid optasti?

Baro, Dux.

CAP. VIII.

BAronis nomen vltro tandem pro ſtupido, bardo, ſtolidoque receptum eſt, & apud Ciceronem pluribus in locis quaſi interdicto ſedem retinuit. Retineat & apud Perſium Satyr. vj. vel libris veteribus vindicias ſecundum ipſum dicentibus. Nam quo loco impreſſi vulgo habent,

Verte aliquid, iura, ſed Iupiter audiet. eheu "
Vare reguſtatum digito terebrare ſalinum "
Contentus perages, ſi cum Ioue viuere tendis "
Iam pueris pellem ſuccinctus, &c. "

Illi rectius multo:

Baro reguſtatum digito terebrare ſalinum "
Contentus perages, ſi cum Ioue viuere tendis "
Iam puer, is pellem ſuccinctus, &c. "

Scio vari vitium ad animum quoque transferri, cui non diſſimili loquendi forma recto talo viuere idem dixit: Sed quiſquis Baronis nomen ei loco magis congruere non videt, is ipſe, meo quidem iudicio, Baro eſt. In manuſcripto autem libro adſcripta eſt veteris Grammatici gloſa hæc. Baro vel varo, id eſt, fatue, ſtulte, lingua Gallorum. Varones dicuntur ſerui militum, qui vtique ſtultiſſimi ſunt. Quod ego non ſtatim reſpuendum arbitor. Nam quamuis hodie apud nos, nomen hoc nobilium & generoſorum hominum ſit, quis tamen miretur modo duriora, interdum etiam molliora verba efficere vetuſtatem? Sed & cum ignauos inerteſque & nihili homines in nonnullis Galliæ partibus hodieque Barones appellari audimus, cur ab hac potius quam ab illa ſignificatione trahamus & deducamus? Sane vero, ne quid diſſimulem, & in veteribus quæ extant Saliorum, Langobardorum, Alamanorum & Ripuariorum legibus, Baronis nomen pro viro paſſim poſitum videtur vt ab altero ſexu diſtinguatur, & in veteri Lexico Latino-Græco Baro ἀνὴρ vertitur. Apud auctorem

Bbb

Panegyrici Maximiano A. dicti sic scriptum est eo loco quem de Tricassino agro citauimus. „ Quicquid infrequens Ambiano & Bellouaco & Tricassino solo Lingonicoque restabat, „ Baro cultore reuirescit. „ Vbi quis Baro vel Barus sit plane ignorare me fateor, putoque emendandum Vario cultore reuirescit: nisi quis malit Ambarro reponere, cum & Liuius lib. v. Senones Ambarros & Heduos coniungat, & Cæsar libro j. Bell. Gall. Ambarros Heduorum consanguineos appellet. Videtur tamen auctor, quisquis ille est, significare voluisse ex Britannica victoria Lingonas & Tricassinos cultores accepisse, quod & sequentia indicant. Vt autem Barones siue Varones, ita & Ambactos apud Ennium lingua Gallica seruos dictos ex Sex. Pompeio, Paulus scripsit: Quo verbo, sane, vt mihi quidem videtur, mere Romano, Cæsar etiam vtitur de Gallis equitibus loquens. Vt vt autem Gallicum esse fateamur, amplius videtur fuisse Varonis appellatione, quæ ad militum tantum seruos pertinuit. Pueri autem nomine Persius seruulum significat, vt & post paulo: dum ait,

Solea, puer, obiurgabere rubra.

Antea male ita legebatur, Iam pueris, pro, puer is: quod iterum monere voluimus, ne cuiusquam aures oculosque ea emēdatio leuius præterueheretur. Sed quoniam in Baronum nostrorum mentionem incidimus, placet hic adnotare, Karoli magni temporibus Ducem sub se xij. Comitatus habuisse. Itaque in Annalibus Pipini sic scriptum legimus, Domum „ reuersus Grifonem more Ducum xij. Comitatibus donauit: quod postea ad Aimonij Monachi historiam additum est lib. iiij. cap. lxj. Ex quo emendatus videtur alter eiusdem appen„ dicis locus lib. v. cap. xj. de Ludouico. Baldrico (inquit) Duci „ Foroiuliensi, dum obijceretur, & probatum esset eius ignauia „ & incuria vastatam a Barbaris regionem nostram, pulsus est „ Ducatu, & inter quatuor Comitatus est eiusdem potestas diuisa. Legendum distincte inter quatuor, id est, xij. Quod & tibi, Ant. Loisele, aliquando visum memini.

M. Varronis de Compitalibus & liberalibus, loci expositi.

Cap. IX.

Varro lib. v. de ling. Lat. ad M. Tullium Ciceronem, " Compitalia (inquit) dies adtributus Laribus, vt alibi, " ideo vbi viæ competunt, tum in compitis ſacrificatur. Quo- " tannis is dies concipitur. Quid eſt quod ait Varro, Vt alibi? " Hoc enim obſcurum eſſe video. Sic vero interpretor vt ſignificet, Compitalia dicta a compitis ſiue compitorum vijs, in quibus Compitalibus ſacrificabatur: quod & Macrobius ad ludos refert. Vt alibi, ſcilicet, ſacrificetur, id eſt, quamuis & alibi quam in compitis Compitalibus ſacrificetur, nempe in foco. M. Cato de Re ruſtica, Rem diuinam niſi Compitalibus in compito aut in foco ne faciat. Martial. lib. v.

Cingunt ſerenum lactei focum vernæ,
Et larga fectos lucet ad lares ſylua.

Quo & Virgilius reſpexiſſe videtur in Daphnide, cui tanquam Lari ſe ſacrificaturum Menalcas vouet. (Animas enim hominum in numerum deorum relatas veteres, Lares eſſe putauerunt, quemadmodum ex Sex. Pompeio Paulus notat.) Ait igitur Menalcas,

Pocula bina nouo ſpumantia lacte quotannis
Craterasque duos ſtatuam tibi pinguis oliui,
Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho
Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in vmbra.

Vt compita, ita & focum ſedem eſſe & quaſi domicilium Larum nemini hodie ignotum eſt, quamuis ab itineribus & vicis, quos Græci Lauras vocant, Lari potius appellare vulgus putauerit, vt Arnob. ſcribit lib. iij. Cæterum, Compitalia non certo ſed incerto die concipi ſolita Varronis Macrobijque euincit auctoritas. Sed & Auſonij verſus,

Et nunquam certis redeuntia feſta diebus
Cum ſua per vicos compita quiſque colit.

Nam quod apud Macrob. lib. j. Saturn. verba Prætoris more maiorum Compitalia pronunciantis ſic concepta ſunt, Die noni poſt Kal. Ian. Quiritibus Compitalia erunt, & veterum librorum & Gelliani codicis fide ita emendandum eſt, Die noni P. R. Quiritus Compitalia erunt. Quid in contrarium proferri poſſit cum ex Dion. Hallicarnaſ. & Macrobio, tum ex Ouidio & veteri Kalendario a Manutio prolato ſat ſcio, nec tamen ſententiam muto. Qua de re alibi fortaſſe amplius diſſeretur. Nunc alterum ex eodem Varronis libro de Libe-
„ ralibus locum interpretari conſtitui, qui ſic habet, Liberalia
„ dicta, quod per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes Li-
„ beri, hedera coronatæ anus, cum libis & foculo pro emptore ſacrificantes. Hæc eſt vetus ſcriptura quæ ita nullum ſenſum quibuſdam habere viſa eſt, vt Oedippo coniectore opus eſſe dixerint, & horum verborum pro emptore, loco, Compotores, repoſuerint. Ego quoque aliquando pro tempore legi poſſe putaui, quam nunc ſententiam vltro muto, & vero capite damno: vt erunt proculdubio multa in his nugis opinionum commenta, quæ tandem delebit dies cum naturæ iudicia confirmabit. Varronis autem verba ſic exaudio: Liberalium die anus libero patre dignæ antiſtitæ & ſacerdotes vtpote vinſiores hedera & ipſa Libero ſacra coronatæ, paſſim per oppidum ſedebant cum foculo & libis mellitis quæ ipſæ confecerant, ad quæ etiam populos vocabant, vt Ouid. lib. iij. Faſt. ſcribit: id eſt, vt ego interpretor, tranſeuntes quoſlibet ad liborum emptionem inuitabant, & pro emptore ſacrificabant, libi empti parte foculo indita. Hunc ego Varroniani loci ſenſum aliqua ex parte debere me fateor Nicolao Vignerio medico doctiſſimo & mihi amiciſſimo, qui eius primum eruendi quaſi anſam præbuit. Porro ſi cui viſum ſit anus a Liberi ſacerdotibus diſtinguere, intelligat ſane liba mellita ſiue Liberi bellaria ab anu confici ſolita & vendi, Sacerdotes autem pro emptore ſacrificare ſolitos libi empti parte foco aſperſa. Liberalibus etiam veteres in publico diſcumbere ſolitos teſtis eſt Sep. Tertullianus in Apologetico.

Spinturnicia, Resecro, apud Plautum & Marcellinum.

CAP. X.

AMmianus Marcellinus lib.xxij. Exuberat Ægyptus pecudibus multis, inter quas terrestres sunt & aquatiles, aliæque quæ humi & in humoribus viuunt, vnde amphibia nominantur. Et in aridis quidem capreoli vescuntur, & buculi, & bisturnitatia omni deformitate ridicula, aliaque monstra quæ enumerare non refert. Vbi quidam codices habent Pisturnitia. Ego vero non dubito ab auctore Græculo scriptum Spinturnicia pro spinturnicibus græcanica etiam forma, quemadmodum & apud Plautum in Milite scriptum est,

PVR. *Aedepol hæc quidem*
Bellula est. PA. *Pithecium hæc est*
præ illa & spinturnicium.

Prudentius etiam lib. ij. in Simmach. Inter Ægyptios deos Simiam refert his versibus.

Isis enim est Serapis & grandi Simia cauda
Et crocodillus, idem quod Iuno, Lauerna, Priapus.
Hos tu Nile colis, hos & tu Tybris adoras.

Libet & alterius verbi vim apud vtrumque auctorem adnotare quæ vulgo non satis nota est. Sic igitur Marcellinus lib. vigesimoquarto scribit: Exclamauit indignatus acriter Iulianus, Iouemque testatus est nulla Marti iam sacra facturum: Nec resecrauit celeri morte præreptus. Vidi qui eo loco emendaret reserauit quod omnino explodendum est. Resecrare ex Festo, Paulus sic exponit. Resecrare soluere religione. Vt cum reus populum comitiis orauerat per Deos, vt eo periculo liberaretur, iubebat Magistratus eum resecrare, id est, populum religione absoluere: scilicet, vt ita demum populus religione teneretur, si is qui per Deos orauerat insons innocensque esset. Ita Festum sensisse Farnesiani libri vestigia indicant. Nisi ita resecrasset reus, & si ex iusta causa a po-

pulo damnatus esset, populus ipse religione obstrictus mansisset. Significat igitur Marcellinus, Iuliano morte celeri præuento non licuisse obtestationis quam fecerat religione se absoluere. Plautus in Aulularia,

Nunc te obsecro
Fac mentionem cum auunculo mater mea,
Resceroque mater quod dudum obsecraueram.

Sic vulgo legitur etiam in libris a doctissimo Camerario editis, sed resecro omnino legendum Pauli locus indicat, hoc sensu. Obtestatus erat matrem Lyconides, ne eorum quæ ipsi de Euclionis filia aliquando dixerat apud auunculum mentionem faceret: nunc obsecrationis religione eam absoluit, rogatque vt cum auunculo de amica conloquatur. Non subterfugit hoc verbum virum diligentissimum in Persa Comœdia. Sic enim suo ordini versum restituit, qui antea perturbatus erat.

T O. *Obsecro te, resecro, operam da hanc mihi fidelem.*

Sed sensum potius eruamus, est enim subobscurus. Toxillus per amicitiam obtestatus erat Sagaristionem, vt mutuo D C. nummos daret. Dixerat Sagaristio nummos se præsentes non habere. Ita obsecrationis religione tenebatur. Resecrat Toxillus & ea absoluit Sagaristionem, obsecratq; vt saltem operam commodet, quo aliunde possit mutuos sumere. Dicet hic aliquis, Vbi vero tandem obtestationis religionem notas, qua Sagaristionem teneri fingis? Nempe hic paulo ante,

T O. *Facere amicum tibi me potis es sempiternum?*

Nam hæc verba, potis es, obtestandi obsecrandique, & vt ita dixerim, adiurandi vim habent.

Terentius, *Si tibi placere potis es mihi vt respondeat.*
Idem, *Potin es verum dicere.*

Quo etiam respicere mihi videtur illud Persij Satir. j.

Et verum inquis, amo, verum mihi dicito de me.
Qui pote?

Vbi quam in obtestatione formulam non expressit in responsione attingit, nisi cui forte hæc nimis anxie exquisita videantur. Vidi etiam qui Plauti locum in suo libro personis sic di-

ſtingueret.

T O. *Obſecro te.* S A. *Reſecro te.*
T O. *Operam da. &c.*

Quod ſatis perſpicuum habet ſenſum, nec eum quidem inſulſum aut indignum qui recipiatur, ſi modo ex veteris potius exemplaris fide quam ex ingenio ita relatum eſt.

Ennij de Africano verſus expenſi.

CAP. XI.

SCripſit Ennius de Scipione Africano epigramma, in quo ipſum ſic loquentem induxit,

A ſole exoriente ſupra Mæotis paludes,

Ad quod reſpiciens auctor Genethliaci Maximiano A. dicti. Etenim (inquit) quod ait ille Romani carminis (ſic leg.) primus auctor, A ſole exoriente ad vſque Mœotis paludes, id nunc longius longiuſque protendere licet, ſi quis hoſtilem in mutuas clades veſaniam toto orbe percenſeat. In eo epigrammate Ennius Africani victorias deſcripſit, hoſtes internecione cæſos, vrbes captas direptaſque, cæteraque huiuſmodi quæ licentia militari publice patrata virtutibus annumerantur: quo pertinebant etiam fortaſſe & illa.

Deſine Roma tuos hoſtes, Et
Nanque tibi monimenta mei peperere labores. Itemque
Teſtes ſunt campi magni.

Quæ eiuſdem epigrammatis fuiſſe veriſimile eſt: vt & iſta quæ a Lactantio referuntur lib. j.

Si fas cædendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Mi ſoli cœli maxima porta patet.

Itemque a Seneca Epiſt. cix. licet paululum diuerſa ſcriptura. Nam in vetuſtis Senecæ exemplaribus ni faciendo plagas, vel ſi faciendo conſtanter ſcriptum fuiſſe Pincianus homo doctus & diligens monuit. Ex quo ego facile conijcio mihique pene perſuadeo olim ſic ſcripſiſſe Ennium,

Si fas endo plagas cœleſtum aſcendere cuiquam.

Endo pro in, veteres paſſim dixiſſe cuilibet notum eſt. Emen-

dandus vero ita est & hic ipse versus apud Lactantium Firmianum corruptus, credo ex præcedentibus sequentibusque auctoris verbis, sed ab his profecto qui neque veterem loquendi formam, neque Firmiani ipsius mentem satis percipiebant. Si enim ita scripsisset Ennius, Si fas cædendo, non debuit nec vero potuit tam acriter reprehendi: Quandoquidem conditionem adiecit hanc, Si fas, quæ potuit non vera esse. At si ita vt dixi versus hic reponatur reprehendi iure potuit. Cæterum huc etiam valde pertinent Senecæ ex Epist.
” lxxx.vij. de eodem Africano verba. Animam quidem eius
” (inquit) in cœlum ex quo erat redijsse mihi persuadeo, non
” quia magnos exercitus duxit (hoc enim & Cambises furio-
” sus, & furore fœliciter vsus habuit) sed ob egregiam eius mo-
” derationem, &c. Respicit vero ad Ennij versum. Quod autem in eadem Senecæ epistola, ex qua Ennij versus protuli-
” mus, ita scriptum est ex Cicerone, hanc quam nunc in Circo cretam vocamus, antiqui calcem dicebant, valde mihi pertinere videtur ad eum Plinij locum ex lib. xxxv. in quo ait, Cre-
” ta Circum præducere ad victoriæ notam, & venalium pedes
” transmare aduectorum denotare maiores instituerunt. Quod
” ego adnotaturus non fui, nisi viderem inepte, Circum, pro ἀμφὶ, a quibusdam accipi. Cassiodorus lib. iij. Var. for. in Circi
” descriptione Albæ cuiusdam lineæ meminit his verbis: Alba
” linea non longe ab ostijs in vtrumque podium quasi regula
” directa producitur, vt quadrigis progredientibus inde certa-
” men oriretur, ne dum propere conantur elidere, spectandi vo-
” luptatem viderentur populis abrogare: Quod Persius dixit
” Cretata ambitio, etsi ad candidatos magistratus proprie referendum videtur, hanc tamen etiam vim habet, vt seruilem quandam ambitionem notet. Gallos quoque facies olim in-
” cretasse Petronius indicare videtur, dum scribit, Quin tu &
” circuncide nos, vt Iudæi videamur, & pertunde aures, vt imi-
” temur Arabes, & increta facies, vt suos Gallia ciues putet. Sed hoc ego ad natiuum potius Gallorum candorem, & vt Virgil. ait, lactea colla referendum censeo sicut & Gallicos vultus, apud Tertull. in lib. de virginib. velandis.

Locis

Locus Varronis de Ornithone ex lib. iij. de Re rustica, & quid sit in eo Plumula.

Cap. XII.

M. Varronis de Re rustica libri tertij caput v. crebrioribus maculis inquinatum esse pridem Victorius admonuit, qui & ipse in eo auctore restituendo operam nauauit egregiam. Sed homo vnus quamlibet oculatus omnia videre non potuit. Inter cætera, cum quid, Plumula, in eo significaret exquirerem, libuit locum ipsum, vti par est, attentius, expendere: Qui tandem mihi ita legendus distinguendusque visus est. Circum huius ripas ambulatio sub dio, (hypœthram significat) pedes lata x. Ab hac ambulatione in agrum versus, (id est, in longitudine) Ornithonis locus ex duabus partibus dextra & sinistra macerijs altis conclusus: inter quas locus qui est Ornithonis, patet in latitudinem P. xlviij. deformatus ad tabulę literariæ speciem cum capitulo. Forma qua est quadrata, patet in longitudinem P. lxxij. qua ad capitulum P. xxvij. ad hæc, id est, xcix. vel potius c. si modo xxviij. legatur. Hactenus omnia distinctione, emendatione, & interpretatione nostra plana sunt. Sequitur deinde, Ita vt in margine quasi infimo tabulæ, descripta sit ambulatio, ab Ornithone plumula, in qua media sunt caueæ, qua iter in aream est. In limine, in lateribus, &c. Hæc est Victoriani libri scriptura: sed ex ea commodum sensum eruere mihi quidem perdifficile est. Tentemus tamen si quid ipsi in hac re possumus. Videtur autem error ex notis originem habuisse, quæ a librario non intellectæ in plumulam euaserunt. Quid igitur si legamus? Ita vt in margine quasi infimo tabulæ descripta sit ambulatio ab Orinthone. P. l. xlviij. V. LA. Significat in extremo loci qui est Orinthonis, quem ad tabulæ literariæ speciem deformatum dixit, ab ipso Ornithone, id est, post Ornithonem quasi in ipsius tabulæ literariæ margine infimo, ambulationem fuisse eadem omnino longitudine, qua se loci

ipſius latitudo exerebat, id eſt, pedum xlviij. Latitudine pedum v. Quæ ſi cui anguſtior paulo videatur, per me licet reponat pedes decem, vt in ſuperiore ambulatione. Hanc ego coniecturam debere me fateor Æmari Ranconeti manibus, viri, nulli vnquam ingenio aut eruditione ſecundi. Nam cum forte in codicem incidiſſem qui ipſius aliquando fuiſſe dicebatur, nihil aliud ad Varronis libros annotatum reperi quam ad hunc locum notas iſtas, PL. LA. Statimque ſuſpicatus ſum virum ingenioſiſſimum & ſagaciſſimum putaſſe aliquando locum eſſe corruptum, vti quidem certe eſt, & ex notis errores natos, quibus deturpabatur, quam ego quaſi anſam arripiens, loco altius refoſſo, hanc tandem (qualiſcunque eſt) lectionem erui. Sequitur apud Varronem, In qua media ſunt caueæ. Has oportuit eſſe ſuſpenſas, vt certe fuiſſe veriſimile eſt, aut longitudinis ipſius menſura comprehendi, ſi quidem vt ſuperioris loci latitudini, ita huius quoque ambulationis longitudini pedes xlviij tribuamus. Qua iter in aream eſt. Antiqua lectio, Qua introitus iter in aream eſt. Victorius locum peruerſum putat, & quomodo corrigi debeat non videre ſe fatetur. Ipſe vnius literæ facili mutatione ſic repono, qua introitus, iter in aream eſt, vt ſignificet Varro, qua introitus in ambulationem erat, iter quoque in aream ipſam fuiſſe.

Auſonij Verſus emendati.

CAP. XIII.

EDita ſunt non ita pridem Auſonij quædam opuſcula, in quibus deſcribendis ex veteri exemplari, quod ſane non ita facile lectu fuit, vt pote literis hiantibus nec diſtinctis ſillabis ab ignaro ſcriptum, multa fefellerunt deſcriptorem Lud. Miræum (pace id manium viri optimi & de literis pluſquam dici poteſt benemeriti dixiſſe liceat) in emendandis vero plura ſibi conceſſit eius cui hoc munus Io. Tornæſius vir & ipſe optimus iniunxerat nimia licentia, atque interdum etiam oſ-

citantia. Vidi ipſe aliquando Lugduni exemplar manuſcriptum apud Step. Charpinum, in quo tamen nihil tum licuit mihi conferre præter locos quoſdam epiſtolæ ad Theonem, qui mihi forte in mentem venerant, quoſque hic adſcripturus ſum, vt intelligant omnes, qui modo hæc lecturi ſunt, quam non ita facile interdum excuſorum librorum ſcripturę credendum ſit. Hoc vero non ita a me dictum accipi velim, quo eorum operæ aliquid detraham, qui veterum nobis auctorum reliquias veſpillonum manibus extortas, tanquam ab inferis domum reducunt (Nam hos ego præcipue Apollines & Æſculapios veneror) ſed quo obnixius rogem & moneam, vt liberalitatem iſtam ſuam quam fieri poteſt, maxima religione candide nobis impertiant. In ea igitur Auſonij ad Theronem epiſtola, primum nemo dubitauerit pro nonaginta legendum nongenta. Id enim & verſus ipſius & ſenſus ratio poſtulat. Quod ſequitur, per tot abeſſe dies, ita in archetypo ſcriptum eſt, per tot ouire dies, vt non dubitem ſcribere, obire, Sic igitur,

Milia bis nongenta iubet demenſio legum
Adnumerata, reos per tot obire dies.

Nempe per nonaginta dies quos ſine Therone traxiſſe ſe ait: Nam itineri faciendo in ſingulos dies xx. milia paſſuum leges præſcribunt, id eſt, leugas Gallicas pluſquam xiij. Continet enim leuga ſeu leuua, M, & D, paſſus Romanos vt Iordanus in Gothica hiſtoria ad Caſtalium & alij plerique auctores tradunt: quod & ex Ammiano Marcellino & Antonini itinerario facile probari poteſt. Sequitur apud Auſo.

An quia per tabulam medico pugnante notatam.

In veteri libro quantum ex ſcripturæ veſtigijs intelligere potui, ita eſt.

An quia per tabula medica pugnan otatam.

Vnde hodieque ſatis commodam lectionem eruere non poſſum. Veteres tamen reliquias vt potui repræſentaui, in quibus coniecturæ ſuæ ſagacitatem & ingenij vim alius fortaſſe fœlicius experietur.

Nec tanti fuerit. Vet. *Ne* recte.

Ergo aut prædictos iam nunc rescribe Tarios.

Sic vetus, pro Darios. Rescribere est reddere, seu per mensæ scripturam dare, vt Donatus notat. Quia enim adnumerationem pecuniæ intercedit scriptura, rescribere dicebant pro renumerare.

Aut abos a me totidem dabo.

Quis non videat legendum, Aut alios a me totidem dabo? Vnus a Domnotoni in veteri libro notatur, S, liquescere quod ego quoque omissum nolui: vt illud pene omiseram, in secundo eiusdem epistolæ versu, pro, Expectans, scriptum est experiens. Sed lubet aliquos etiam ex multis quos in eis opusculis coniectura tantum emendauimus locos hic adiicere In precatione solemni.

Latiam vis scire. lego visure.

Qua vaga Sauromates sibi iunxerat agmina Crunis.

repono Chunnis vt & epigr. I.

Arma inter Chunnosque truces.

In parentalibus, de Æmilia.

Tarbellæ matris patris & Heducii.

lego heduici vt supra *Gens Hedua matri*, & infra,

Stemma tibi patris Heduici.

De Cæcilio Argicio,

Sed in atris cura retexit. lege sed matris.

Euronne iuuenum. distingue Euromi, e iuuenum.

In professoribus Burdigal, de Attico Tyrone.

Facunde docte, lingua & ingenio celer
Dei poeta nobilis, id est, Beleni.
Epos ligasti metricum
Minus malorum munere expertus Dei.

De Citario,

Concedit Cai Musa Simonidei. vulgo ceu. Sed de his nimis.

Clusura, Burgi lusoriæ.
Cap. XIIII.

IMpp. Romani habuerunt in limitibus τὰ ὀχυρώματα quæ ipsi Clusuras appellant: de quo verbo Doctor meus plures

auctorum locos annotauit. Posteriorum temporum scriptores, vt Liutprandus, Ado, Sigibertus, cæterique eius fere ordinis, Clausas Clusas, & interpositiones vocant. Id primum ab Hadriano institutum videtur, de quo Ælius Spartianus sic scribit, Per ea tempora & alias frequenter, in plurimis locis in quibus Barbari non fluminibus sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis in modum muralis sæpis funditus iactis atque connexis Barbaros separauit. Hæ clusæ propugnaculis quibusdam munitæ fuerunt, quæ castra & castella dicuntur, vnde & castellanus miles alicubi nuncupatur. Herodianus lib. vj. στρατόπεδα καὶ τὰ φρούρια appellat & paulo ante τὰ ἐπικείμενα στρατόπεδα ταῖς ὄχθαις τῶν ποταμῶν. Dicuntur & Burgi, a quibus olim Burgundiones dictos Paulus monachus, Liutprandus Diaconus, & Isidorus episcopus tradiderunt. Ex quo interpretationem accipiunt & hi Sidonij versus de Burgo.

Diceris (inquit) *sic. Namque domus de flumine surgunt,*
Pendentesque sedent: per propugnacula Thermæ.

Habuerunt etiam Romani in plerisque limitibus in quibus à Barbaris, fluminibus diuidebantur, lusorias naues, prohibendis credo vicinorum hostium excursibus incursibusque vicissim faciendis: harum lusoriarum refectio magistris militum maximopere iniungitur constitutione quadam imperatorum, quæ est in Codicis Theódosiani libris nondum editis, sub titulo De lusorijs Danubij. Sic in Africæ limite, id est, Traiecto erat Dromones, vt indicat posterior Instiniani constitutio de P. P. Africæ. In limite etiam Rheni armatas naues habuisse dispositas indicat auctor Panegirici Constantino dicti, ex quo hæc tantum protulisse sufficiet. Insuper etiam (inquit) Agrippinensi ponte faciendo reliquiis afflictæ gentis " insultas, ne vnquam metus ponat, semper horreat, semper " supplices manus tendat: cum tamen hoc tu magis ad gloriam " imperij tui & ornatum limitis facias, quam ad facultatem " quotiens velis in hostem transeundi, quippe cum totus ar- " matis nauibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus vsque " ad Occeanum dispositus miles immineat. Inter hæc subsisto " apud Capitolinum in Bonoso clusuras pro luxurias emen-

dem, an de luſoriis nauibus interpreter, cuiuſmodi in eo limite multas fuiſſe ex Amm. Marcellino facile coniicio. Capitolini locus ſic habet. Hic idem cum quodam tempore in Rheno romanas luxurias Germani incendiſſent, timore ne pœnas daret, ſumpſit imperium. Sed tamen ſi pronunciare tandem neceſſe habeo, cluſuras malim, præſertim cum Capitolinus in Lolliano ſic ſcribat. Pleraſque Galliç ciuitates nonnulla etiam caſtra Poſtumus per ſeptem annos in ſolo Barbarico ædificauerat, quæ interfecto Poſtumo ſubita irruptione Germanorum & direpta fuerant & incenſa, ea in ſtatum veterem reformauit. Et Amm. Marcellinus monumenta & caſtra plurima in Rheni limite a Barbaris, ideſt, Francis Alemanniſque incenſa & exciſa multo poſt tempore a Iuliano refecta communitaque teſtatur. Porro cluſurç etiam formam habuit murus ille, quo per tranſuerſam inſulam ducto vtrimque ad finem Occeani Seuerus Imperator Britanniam muniuit, cuius & Spartianus, & alij auctores ſæpe meminere. Caſſiodorus in Chronico vallum appellat. Nunc vide quo etiam proruptura ſit audacia mea. Nam apud hunc ipſum Capitolinum cum Trebelliani Tyrannidem deſcribit, cluſuriarum quoque nomen lubens repoſuerim vbi vulgo cuſtodiarum legitur. Iſauri (inquit) poſt Trebellianum pro Barbaris habentur, & nunc in medio Romani nominis ſolo regio eorum nouo genere cluſoriarum quaſi limes includitur locis defenſa, non hominibus. Scio excuſam receptamque vulgo lectionem leuiter defendi poſſe, eodemque pene ſenſu quo & ſi cluſurias repoſueris. Sed quod rei exprimendæ aptius eſt & auctoris menti magis congruere videtur, magis etiam placet. Ammianus ſane Marcellinus lib. xiiij. de iiſdem Iſauris loquens, Cluſurias appellat prætenturas, & paulo poſt caſtella, ſtationes, in quibus erant milites diſpoſiti.

De vite, loci quidam emendati. Itemque de vitta & præconis iure.

Chap. XV.

VItem Centurionum aliorumque militiæ ducum & principum insigne fuisse, eamque castris insertam summam rerum imperiumque continuisse nemo nescit. Inde & sub vineam & sub vitem iacere miles dicitur Sex. Pompeio. Inde & ego arbitror, vitem fortitudinis a Mamertino translatione quadam dictam, in Panegyrico Iuliani, Scilicet (inquit) & candorem æquitatis potuit obumbrare, & a temperantia purpuram sancti ruboris abolere, vitem fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos prudentiæ. Vulgo tamen vicem scriptum est, nullo mihi satis commodo sensu. Idemque plane error est apud Cassiodorum lib. vij. Variarum, in formula principis Dalmatiarum. Nam quo loco impressi libri habent, Tu vicem tenes improbis minantem: in veteribus scriptum est, vitam, quod in vitem, mutandum censeo. Vt autem vitis centurionum, ita matronarum insigne vitta fuit, qua non nisi castæ vti poterant, quemadmodum Seruius notat in lib. vij. & viij. Æneid. Id Valerius quoque Maximus sic refert lib. v. cap. ij. Sanxit Senatus vt fœminis semita viri cederent, confessus plus salutis in stola quam in armis fuisse, vetustisque aurium insignibus nouum Vittæ (sic lego, non vitæ) discrimen adiecit. Permisit quoque his purpurea veste & aureis vti segmentis. Addatur sane hic illud, Posteriorum temporum Romanas Præfecturas habuisse insigne potestatis suæ, non vulgaris cultus carpentum quo inueherentur: qua de re extat elegans Simmachi P. V. epistola lib. I. Præcedebat præco aduenire præfecturam vbique denuncians. Cassiodor. lib. ij. Institut. Diuinar. script. Si præfectum vox præconis enunciet, Si carpentum ipsius strepentibus rotis transire noscamus, nonne omnes voluptates cor-

dis abiicimus, dum conſpectum ipſius reuerentiamque metuimus? Hieron. ad Ruſticum. Alij ſublatis in altum humeris & intra ſe neſcio quid cornicantes, procedunt in publicum, vt ſi præconem addideris, putes incedere Præfecturam. Idem Caſſiodor. lib. vj. Variar. In formula Præfecturæ Prætorianæ. Ipſe carpentum reuerendus aſcendit. Et paulo poſt. Ab illo namque patriarcha & nunc pater appellatur imperij. Ipſum hodieque reſonat vox præconis, inſtruens iudicem ne ſe patiatur eſſe diſſimilem. Hinc etiam memini alicubi ius præconis cum iure gladij coniungi. Præconis autem pro tribunali ſtatum & officium eleganter deſcribit Apuleius lib. 1. Florido. his verbis. Nec vos parua quædam & praua ſimilitudo falſos animi habeat, quoniam quædam, vt ſæpe dixi, palliata mendicabula obambulant, Præco cum Proconſule & ipſe tribunal aſcendit, & ipſe togatus illic videtur, & quidem per diu ſtat, aut ambulat, aut plerunque contentiſſime clamitat. Enimuero ipſe Proconſul moderata voce rarenter & ſedens loquitur, & plerunque de tabella legit. Quippe præconis vox garrula miniſterium eſt: Proconſulis autem tabella ſententia eſt quæ ſemel lecta, neque augeri litera vna, neque autem minui poteſt: Sed vtcunque recitata eſt, ita prouinciæ inſtrumento refertur. Cuius loci vſus latius etiam patet.

Burra, Beri, Bera, Colobum, Campagus regius, calcei, aurati & ſericei.

CAP. XVI.

IMperatorum conſtitutio omnibus, præterquam militum ſeruis Byrris vti permittit & cucullis. Cuius exceptionis hanc ego rationem vltro refero, quod milites quoque domini Byrris paſſim vterentur. Nam Burros, ſeu Byrros, fuiſſe arbitror veſtis genus aliquantum vilioris & pilis hirſutæ, qualem etiam Endromidem Martialis deſcribit. Paulus monachus, Cyprianum byrro indutum fuiſſe refert cum ad ſuppli-

cium

cium duceretur: Pontius Cypriani ipsius Diaconus, qui eius agonem ſane quam eleganter deſcripſit, in actis lacernum byrrum appellat. Sic memini veterem Perſij Flacci interpretem lacernam byrrum interpretari, & adijcere pallium eſſe fimbriatum, quo ſoli quondam milites vterentur. Auſonius Drepanio.

At nos illepidum, rudem libellum "
Burras quiſquilias, ineptiaſque. "

In verſibus quoque nondum (quod ſciam) editis qui in veteri libro Euceriæ tribuuntur, ita ſcriptum reperi.

Nobilis horribili iungatur purpura Burræ, "
Nectatur plumbo fulgida gemma graui. "

Burræ appellationem nos hodieque aliqua ex parte retinere videmur. Beri honeſtiorum & Palatinorum veſtes erant, ſericeæ, vt a viris doctiſſimis notatum eſt. Vnde ego Beros Attrebaticos & Canuſinos a Capitolino dictos arbitror in Carino, non Birros: vt & a Valerio Martiale lib. I. Epigram. dum ait.

Nec deſunt tibi Bera Glaniana. "

Colobum ſiue Colobium honeſtioris etiam veſtis genus fuiſſe eadem Impp. conſtitutio indicat, quæ eſt de habitu quo intra vrbem Romam eſſe licet. Seruius quoque Colobijs antiquos vſos, ſeruos autem neque colobia neque calceos habuiſſe ſcribit. Memini & in epiſtola quadam Pij Ro. Epiſcopi ad Iuſtum Viennenſem, quæ Auiti verſibus ſubiecta eſt, Epiſcopalis colobij mentionem fieri: Quod cum ſine manicis fuiſſe Iſidorus teſtetur, fortaſſe & illa tunica pectoralis, de qua Maras Chriſtiani nominis Diaconus ſub Gallo tortus eſt, colobij formam habuit. Apud eundem Capitolinum calciamentum Imperatoris campagus regius dicitur. Fuit hæc caliga ex rubricatis pellibus purpurea ſub poſterioribus Impp. vt Luitprand. ſcribit lib. iij. de reb. per Europ. geſt. cap. IX. Quod & ex Zonaræ & Nicetæ pluribus locis probari poteſt. In veteribus ſane notis ad Iuliani Patricij Nouellas campacos ſcriptum eſt non campagos. Vt autem Impp. ſoli purpureis, ita Conſules aureis, Patricij ſericeis caligis in publico vtebantur. Id ego duobus Caſſiodori locis breuiter conficiam, qui in ex-

cussis exemplaribus valde corrupti sunt: Sed emendatiores hic adscribam. Sic igitur lib. vj. In formula Consulatus scripsit. Pinge vastos humeros vario colore palmatæ, validam manum victoriali Scipione nobilita, lares proprios etiam calceis auratis egredere, sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende. Apud eundem lib. vij. In codicillis Patriciatus ad Tolum, Athalaricus de auo suo Theoderico ab Imp. Constantinopolitano Patricio facto ita loquitur. Huic illa diues Græcia quæ multum gloriosissimo domno auo nostro debuit, gratificata persoluit. Velauit humeros fortes chlamidum vestis, pinxit suras sericis calceus iste Romanus, & dignanter visus est accipere, quod se cognoscebat accipere per honorem. Ita plane habet vetus liber.

Catulli, Suetonij, Lampridij, Capitolini, Macrobij, Simmachi loci in quibus Mimi nomen corruptum est.

Cap. XVII.

MImi nomen pluribus auctorum locis in affine plerunque degenerauit. Apud Apuleium lib. i. Floridor. Bono enim studio in theatrum conuenistis, vt qui sciatis non locum auctoritatem derogare orationi, sed cum primis hoc spectaculum esse, quod in theatro deprehendas. Nam si minus est, riseris, funere, plus timueris, si comædia est, faueris. Si philosophus, didiceris: Lego. Si mimus est, riseris, Funerepus, timueris: vt & lib. iiii. Nec quod hic alias mimus hallucinatur, funerepus periclitatur, Comædus sermocinatur, Tragædus vociferatur, histrio gesticulatur, cæterique omnes ludiones ostentant populo quod cuiusque artis est. Apud Simmachum lib. ii. Epistolar. Sed vt didici, ipse ad vlteriora contendens inimica vsus est techna, vt paginam nostram comes eius Rusticus reportaret, ille alteram nunc regressus accipit. Repono mimica vsus est techna. Sic enim & iocos & stro-

phas mimorum Tertullianus dixit Apologetico. in Apud Capitolinum in Maximinis, Denique cum immortalem se prope crederet ob magnitudinem corporis sui virtutisque munus, quidam in theatro præsente illo, dicitur versus Græcos dixisse. Didici legendum, mimus quidam in theatro. In Satyrico Petronii arbitri pro Grex agit in Scæna nimium, omnimodo, Mimum, scribendum quis non videat? Apud Sueto. in Caligula. Obsides quosdam abductos e literario ludo, clamque præmissos, deserto repente conuiuio cum equitatu insequutus, veluti profugos ac reprehensos, in catenis reduxit: In hoc quoque minimo præter modum intemperans. Optimus liber habet in hoc quoque Mimo, quod valde placet & rectum est. Apud Macrobium lib. vii. Saturn. vti quidem vulgares codices habent. In eundem Ciceronem Laberius, cum ab eo ad concessum non reciperetur dicentem, Reciperem te nisi auguste sederem, ait ille nimis mordaciter, Atqui solebas duabus sellis sedere obiiciens tanto viro lubricum fidei. In veteri & optimo exemplari lib. iiii. ita scriptum est. ait Mimus ille mordaciter. Laberium autem Mimum fuisse constat. Apud Lampridium in Halegabalo. Inimicis adulteris ea quæ solent simulato fieri effici ad verum iussit. Legendum censeo. In mimicis adulteriis ea quæ solent &c. quod perspicue verum est. Non possum hic illud inter cætera sine summo scelere præterire quod me nuper Adrianus Turnebus vnus omnium vndecunque doctissimus & benignissimus docuit, videri sibi in illo Catuli versu,

Turpe incedere myrmice, ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.

pro, myrmice, reponendum mimice: cuius me oraculi nuncium & interpretem factum esse gaudeo. Mimos & Pantomimos, veteres, cinædos appellarunt a corporis motu vt Nonius Marcellus scribit. Cinædorum porro exossis & eneruata plane in incessu mollitia nota est, quam in Embasicoeta mire expressit Petronius. De ea idem Nonius hunc quoque Plauti versum refert ex Milite.

Tum ad saltandum, non cinædus magis vsque saltat quam ego.

Qui tamen in Camerarii editione paulo aliter conceptus eſt, hoc modo,

" *Tum ad ſaltandum, non cinædus magis aptus eſt quam ego.*

At memini in veteribus Nonii exemplaribus legere me ita ſcriptum,

" *Tum ad ſaltandum, non cinædus malacus æque eſt.*

Cuius ſcripturæ veritas ex ſe ita firma eſt vt eam celeri reformatione redintegrandam cenſeam.

De Sacramento, Sponſione & Vadimonio.

CAP. XVIII.

NON adeo alienum eſt a veterum ſacramento, quod nuper in Gallia conſignationis nomine aliunde inuectum inductumque vidimus. De ſacramento, Varro ſic ſcribit lib. iiii. de ling. Lat. " Ea pecunia quæ in iudicium venit in " litibus, Sacramentum, a ſacro. Qui petebat & qui inficiaba" tur de aliis rebus, vtrique L. æris ad Pontificem deponebant, " de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. Qui " iudicio vicerat, ſuum ſacramentum a ſacro auferebat, victi ad " ærarium redibant. Sext. Pompeius. Sacramentum æs ſigni" ficat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue eo quis interrogatur, " ſiue contendit. Id in aliis quinquaginta aſſium eſt, in aliis " quingentorum inter eos qui iudicio inter ſe contenderent. " Qua de re lege L. Papirii Tribun. pl. ſanctum eſt his verbis. " Quicunque Prætor poſthac factus erit, qui inter ciues ius di" cet, III. viros capitales populum rogato, iique III. viri capita" les quicunque poſthac facti erunt ſacramenta exigunto, iudi" cantoque, eodemque iure ſunto, vti ex legibus plebeique ſci" tis exigere, eſſe oportet. Sacramenti autem nomine, id æs dici " cœptum eſt, quod & propter ærarii inopiam, & ſacrorum pu" blicorum multitudinem conſumeretur id in rebus diuinis. Igitur, Qui petere vult, id eſt, qui litem facit, vt Fortunatianus IC. loquitur, ante omnia ſponſione prouocat aduerſarium, is vnde petitur ſi contendit ex prouocatione ſpondet:

rursusque restipulatur a petitore, qui etiam vicissim respondere cogitur. Huius sponsionis pignus legitimum est Sacramentum, vt recte Isidorus ex quopiam meliore auctore scribit libro v. Ethimolog. Quamuis autem huiusmodi stipulationes sponsionesque mutuæ sint: proprie tamen qui prouocat primum, sacramento rogare, petere vel quærere dicitur: qui prouocatur, sacramento contendere quod ex euentu iudicii iustum iniustumue dicitur. Arnobius, Quis quæsitor, " quis arbiter, ceruicibus tantis erit, qui inter personas huius- " modi aut vindicias iustas dare, aut sacramenta conetur pro- " nunciare non iusta? Sponsione facta, pignus vtrinque depo- " nitur, tum a prouocante petitur iudex, quo dato sumptoue (nam eius vt plurimum optio electioque fuit) iudicium agitatur. Asco. Pedianus: Cum in rem aliquam agerent litigato- " res, & pœna se sacramenti peterent, petebant iudicem. Lo- " quitur autem de crimine repetundarum. Itaque in capitalibus etiam causis sacramento locus esse videtur. Et vero deponitur ex lege Papiria iussu Triumuirorum capitalium, & ab eis exigitur. Quod ego tamen in omnibus causis perpetuum fuisse non facile crediderim. Apud Pontificem dependi deponique solitum sacramentum, ex emendatis Varronis verbis receptum est. Et vero in rebus diuinis sacrisque victi pignus expendi solitum Festi verba ostendunt. Quo & illud Plauti in Rudente, non immerito aliquis pertinere arbitretur,

Tum meo Pontifex periurio es?

Nam alioquin Censorijs animaduersionibus vindicari solitum periurium Cicero auctor est. Vt autem sacramenti summam L. & D. assibus pro rerum, de quibus contendebatur, modo statuamus, non dubito tamen quin sponsiones maiore minoreue summa, siue legum taxatione, siue contendentium arbitrio fierent. Sane, ex Ciceronis verbis datur intelligi, cum pecunia certa petebatur, solitam fieri ex lege, tertia parte sponsionem. Nam cum pro Comædo dixisset, Pecunia ti- " bi debebatur certa, quæ nunc petitur per iudicem, in qua le- " gitimæ partis sponsio facta est: Subiicit, Pecunia petita est "

" certa, cum tertia parte ſponſio facta eſt. Idem Verr. V. facta
" eſt ſponſio H-S. quinque milib. Pro modo etiam litis ſponſiones huiuſmodi fieri ſolitas Menedæmi verba apud Plautum indicant,

" *Conditiones tetuli confragoſas, aut plus*
" *Aut minus quam opus erat multo dixeram*
" *Controuerſiam, vt ſponſio fieret. Quid ille? Prædem dedit.*

Sic igitur Sacramentum pignus eſt publicum ſponſionis, & ad ærarium redit. Sponſione ipſa aliæ pœnæ legitimæ comprehendi poſſunt, vt tertiæ partis, &c. Hæ non ſunt pignora ſponſionis, Nec enim deponuntur. Et licet interdum deponi poſſint, & vero id expeditiſſimum eſſe dicatur, ne quis in captionem verborum incidat, priuata tamen ſunt pignora, quibus victoris indemnitati conſulitur, non publica, quæ ſacris impenduntur. Sacramentum vtrinque ſemper deponitur: Sponſionis pœnas vtrinque ſemper promitti nolim ſcribere, cum & de decima parte initio litis ſolũ auctorẽ repromittere ſolitum videam. Cæterum qui ſponſione prouocat, interrogat fere hac formula, Ni hoc ita ſiet. Exempla ſunt apud Ci-
" ceronem Verr. v. Ni Apronius dictaret. lib. iij. offic. Ni vir
" bonus ſiet: Pro Cæcin. optime ſponſionem facere poſſent,
" Ni aduerſus edictum Prætoris vis facta eſſet. Vbi ſponſionem
" facere de eo dici videtur, qui ſponſione prouocat. Valer. lib.
" ij. Valerius Luctatium ſponſione prouocauit, Ni ſuo ductu
" Punica claſſis eſſet oppreſſa. Eratque hæc rogationis ſtipulationiſque hac in re conceptio, cuius formula apud Macro-
" bium, non adeo religioſe obſeruatur, cum ſcribit. Sponſione
" prouocauit inſumere ſe poſſe in vnam cœnam H-S centies. Id
" mirum Antonio viſum. Nec moratus, ſponſione contendit:
" dignus ſculna Munacio Planco. Sic habet optimus, liber meus recte Sculnam ſequeſtrem & arbitrum dici Gellius notat. Sponſio autem fere ita fiebat. Si hoc ita non ſit, vel, Ni hoc ita ſit, quod idem valet. Apud Ciceronem in oratione pro Quintio, Si bona ſua ex edicto Prætoris dies xxx. poſſeſſa nõ eſſent. Apud Paulum lib. v. Sententiar. Ni iuſte appellatum ſit. Sic enim locus ille de formula intelligendus eſt. Plin. lib. vij. Si

vnquam inualidus vllo modo fuiſſet. Quod præcedit in Plinij libris, ne medicus crederetur, ſponſionis pœna eſt: quam ego facile adducor vt credam ſubditam ſuppoſititiamque eſſe, vt illam apud Valer. Max. (non ſe petiturum triumphum) quæ omnium veterum librorum teſtimonio & auctoritate falſi penitus conuincitur. Apud Cicer. lib. vij. Epiſtol. ita lego. Niſi bonorum Turpiliæ poſſeſſionem. Q. Cæpio Prætor ex edicto ſuo mihi dedit. aut certe ita, Si bonorum Turpiliæ poſſ. Q. C. P. ex Ed. ſuo non dedit, quod vt ſit a vulgari ſcriptura magis diuerſum, magis placet. Acronis etiam verba ad illud Horatij,

Mutatus Polæmon,

ex ſponſionis formula & veteris ſcript. a Cantero prolatæ veſtigiis ita emendanda arbitror vt pro (Vt) Ni, reponatur, hoc modo. Fuit Xenocrates philoſophus continentiſſimus, de quo Laïs meretrix ſponſionem fecerat, Ni eum ad ſuos ſollicitaret concubitus. Illud ad extremum addatur quod ad Sacramentum pertinet has notas apud Valer. Probum. Q. N. T. S. Q. P. tam recte ſic exponi, Quando negas te ſacramento quingenario prouoco, quam ſic, Te ſacramento quinquagenario, & vtrique ſacramenti legitimæ taxationi conuenire. Ex quibus etiam ſatis intelligitur, quæ fuerit in omnibus cauſis ſacramento prouocandi formula. Porro quam fuerit a ſponſione de qua hic agimus diuerſum vadimonium nemo non videt. Vadimonium quidem ſponſio eſt, ſed ea proprie qua iudicio ſiſti aut ni ſiſtatur pecuniæ ſumma promittitur: vnde & ad vadimonium ire, occurrere & vadimonium facere, obire, deſerere & differre dicimus. De quo quando hic mentio incidit, placet vnum locum adſcribere, qui mihi non omnino bene habere videtur. Sic autem in melioris notæ libris ſcriptum eſt apud Florum in Epito. lib. lxxxvj. Hiſtoriæ Liuianæ. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus ciuitatem & ſuffragij, ius nuper datum, fœdus percuſſit, itemque ex fiducia iam certæ victoriæ litigatores a quibus adhibebatur vadimonium, Romam deferre iuſſit. At ego a L. Floro ita ſcriptum credo. Tumque ex fiducia

iam certæ victoriæ litigatores, a quibus adibatur, vadimonium Romam differre iuſſit. Quod ſtatim ita par ſe patere viſum eſt vt aliunde quæſitis probationibus quæ facile ad manum fuerunt, opus eſſe non cenſuerim. Sed hæc fortaſſe quibuſdam ad ius noſtrum magis pertinere videbuntur. Verum quando eis iampridem in ſubſeciuis quaſi ex abundanti, locum a me adſignatum inuenio diuturna poſſeſſione, non temere exturbanda putaui. παρακαταβολὴ autem καὶ τὰ πρυτανεῖα Græcorum quamuis ad ſacramenti formam proxime accedant: ea tamen huius ego loci eſſe non cenſui.

Ex Q. Sereni libro delibata quædam, Nicolai, Stanchare, Reduuia.

Cap. XIX.

EA eſt omnium fere diſciplinarum inter ſe coniunctio rerum & communicatio, vt alteri alterius hortos ingredi, & ex eis flores libare ius, faſque ſit: dum ne quid contra Laurentium legem in armum legat, aut veterem conſortis poſſeſſionem temere non depaſcatur. Itaque nec nos quidem iniurij fortaſſe videbimur, ſi ex his quæ nuper Q. Sereni librum medicinalem, apum more peruolitantes, & eius velut floſculis inſidentes, leuiter decerpſimus, in hunc communem alueum reponamus: Ita tamen vt vel penes ſutorem de crepida ſit iudicium. Serenus igitur de Æſculapio ſic canit.

» *Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,*
» *Qui quondam placida tectus ſub pelle Draconis*
» *Tarpeias arces atque indita templa petiſti.*

Vulgo male inclita tecta. Vindiciamus Comes Archiatrorum ſub Valentiniano A. de eodem Æſculapio.

» *Quod didicere olim Podalyrius atque Machaon*
» *A genitore ſuo, qui quondam verſus in anguem*
» *Templa Palatinæ ſubiit ſublimia Romæ.*

Et tamen Æſculapij templum cum reciperetur is deus, extra vrbem & quidem in Tyberina, inſul factum conſtat. Solum

lum vero eius ſimulacrum a Nicerato exſculptum, in æde Concordiæ ad Tarpeiæ arcis & Capitolij cliuum fuiſſe poſitum aliqui prodiderunt. Porro indita templa Serenus dixit, vt & Tacitus lib. iiij. Indita rupibus caſtella. Ad ſtomachum inter cætera præcipit Serenus,

Grana peregrini piperis diffindito quinque
Nicolao molli quę mane inſerta capeſſes.

Sic habet vetus liber, vbi in impreſſis, Hiblæo melli, &, Niliaco melli ſcriptum eſt. Itemque poſt paulo cum de ſplene curando loquitur,

Marrubium in vino potum prodeſſe loquuntur:
Præterea piper, ac nepte, cum flore & anethum,
Nicolaus rapo ac boletus iungitur vna,
Horum decoctos latices potare ſalubre eſt.

vulgo, *Capparis atque apium bulgoſaque iungitur vna.*

Nicolai tamen vel ex Plinio noti ſunt. Sed hæc quam diuerſa ſint nemo non videt. Mihi ſane pene ἀποκαρτερήσιν optare libet, cum in re capitali noſtra, tam diſcrepantes a ſe inuicem vnius ſententiæ tabellas ſcribi recitarique audio. In aliorum auctorum ſcriptis qui quid perperam inuertit aut mutat, falſarius agnoſcitur, in huiuſmodi quæ ad ſalutem hominis pertinent, qui hoc temere audet, quid minus quam ſicarius & veneficus, atque etiam ſæpe parricida eſt? Et tamen iis ſtatim creditur, cum ſit periculum in nullo mendacio maius. Adeo blanda eſt ſpirandi pro ſe cuique dulcedo. Sed non eſt hic illud omittendum, vbi vulgo legitur apud Serenum, Reiectioni cibi aut ſanguinis abſtinendæ, in veteri & optimo exemplari ita ſcriptum, Ad med. reiectionem cibi & ſanguinem ſtancandum, quod fortaſſe tam rectum eſt quam illud Cambire apud Priſcianum quo & Apuleius vtitur. Paulo poſt de hydrope,

Corrupti iecoris vitio vel ſplenis acerno
Creſcit hydrops.

Vulgo acerbus, Aceruo, id eſt, obſtructione vel tumore. Non patiar etiam elegans dicendi genus apud Serenum mea negligentia deperire, vbi de conceptione & partu loquitur,

" *Irrita coniugii sterilis si munera languent,*
" *Et sobolis spes est multos dum vana per annos.*

Multos dum dixit vt nihildum. Et paulo post ad ea quæ oculos impediunt.

" *Corporibus vulsis saniem perducito ranæ,*
" *Sed quæ parva sui est, & rauco garrula questu,*
" *Nec non e stagnis cessantibus exos hirundo.*

Infantibus dentibus vel strige inquietatis. Veteris libri scriptura est, Infantibus stridentibus vel striga inquietatis. Emendatum est tamen a doctis viris, nec sine recti specie, infantibus dentientibus. At non illud tam fœliciter, quod vulneribus ex re dubia curandis ab iisdem repositum est, quo loco vulneribus & rei dubiæ curandis vulgo legebatur. Vetus sane liber sic habet, Vulneribus & rudubiæ curandis. Vnde coniicio proculdubio a Sereno scriptum, Vulneribus & reduuiæ. Reduuia seu ruduuia est, quam idem paulo post vlceris annosi sinum appellat. Plinius lib. xxix de lana succida, Reduuias sanat ex aqua frigida. Arnobius lib. j. Vt pustulam reduuiam papulam aut vocis imperio aut manus contractione comprimeret. Sext. Pomp. παρωνυχίαν interpretatur, dum scribit. Reduuiam quidam. alij reluuium appellant cum circa vngues cutis se soluit, quia luere est soluere. At mihi vt a luendo Reluuium, ita ab induando Reduuiæ aut etiam Riduuiæ dici posse videntur. Iduare enim diuidere est, vnde & viduam dictam Grammatici tradiderunt. Duere autem antiquo verbo dare potius quam soluere significat. Sane Iulius Solinus Reduuias dixisse videtur vt exuuias. Hæc nos magna ex parte veteris & optimi exemplaris ope adiuti apud Serenum delibauimus, quo genere ante nos quoque in hoc auctore ab Ant. Mollinio bona opera sedulo nauata est. A quo sane quæ fœliciter emendata sunt non attigimus: Sed nec ea quidem omnia, quæ virum doctum & diligentem nescio quomodo effugerunt.

Tarquitius & de eo Macrobij loci emendati.

Cap. XX.

TArquitius libros ſcripſit de Hætruſca diſciplina, quorum ſæpe in indice librorum Plinius meminit. De iis ego accipiendum arbitror quod Amm. Marcellinus lib. xxv. in hunc modum ſcribit. Aruſpices conſulti quid aſtri ſpecies portenderet noua, vitandum eſſe cautiſſime reſponderunt ne quid tunc tentaretur, ex Tarquitianis libris in Titulo de Rebus diuinis id relatum eſſe demonſtrantes, quod face in cœlo viſa, committi prælium vel ſimile quicquam non oportebit. Huius etiam Tarquitij nomen reponendum arbitror apud Macrobium vbi de ficuum generibus loquitur. Tarquinius (inquit) Priſcus in oſtentario arborario ſic ait, Arbores quæ inferum deorum auertentiumque in tutela ſunt, eas infœlices nominant. Sic habet vetus atque optimus liber meus, ne quid hac de re diſſimulem. Non dubito tamen ab auctore ſic ſcriptum aut ſenſum, Tarquitius in oſtentario arborario. Nam & apud eundem vbi vulgo ſcriptum legitur. Eſt ſuper hoc liber Tarquinij tranſcriptus ex oſtentario Tuſco vbi reperitur, Purpureo aureo ve colore ouis arieſque ſi aſpergatur, principi ordinis & generis, ſumma cum fœlicitate largitatem auget, genus progeniemque propagat in claritate, latioremque efficit. In eodem exemplari ſcriptum eſt rectiſſime, Eſt ſuper hoc Tarquiti. tranſcriptus ex oſtentario Tuſco, &c. Tarquitij etiam, ſiue huius ſiue alterius meminit alicubi Lactantius: at Tarquinij Priſci librorum nullus quod ſciam ex auctoribus. Friuola hæc fortaſſis cuipiam & nimis leuia eſſe videantur, ſed (vt quidam perurbane dixit) curioſitas nihil recuſat. atque interdum parua etiam plurimi facit, & ad ea greſſum ſuſtinet quæ cæteri pro viliſſimis paſſim calcant.

Petri Pithœi ſubſeciuorum aduerſariorum, ad Ant. Loiſelum, liber primus explicit.



PETRVS PITHOEVS
CLAVDIO SENNETONO
I. C. S.

EXcerpsi nuper ex aduersarijs meis capita quædam, leui sane opera, & pene aliud agens, vereor etiam ne nihil, aut potius male. Quod vt dissimulem, res ipsa per se clamat, & suo se indicio sorex prodit. Hæc ego qualiacunque tandem videantur, cum in adsignationem proprie non caderent, Ant. Loiselo, tibique, Claudi Sennetone, viris mihi amicissimis, tanquam veteribus possessoribus subsiciua concessi. Non vt æreis formis aut beneficiorum libro inscribantur: Quid enim tale inculta isthæc & soluta mereantur? Sed vt apud omnes testimonium dicant iustæ veræque eius amicitiæ, quæ inter nos a pueris sanctiore quadam necessitudine conciliata, post etiam studiorum & naturæ similitudine confirmata, sempiterna mihi religione percoletur. Quare, ni fallor, & nugis istis meis non imprudenter cauero, tam doctos disertosque, & quod pluris aliquanto facere par est, beniuolos eis patronos aduocans, & obtestationis vestræ, religione, aliqua ex parte sine resecratione me absoluero. Bene vale. Tricassibus, Non. Octob. M. D. LXIIII.



PETRI PITHOEI

ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM LIBER SECVNDVS.

Ad Claud. Sennetonum. I. C.

Tricaſſes, Tricaßini Campania.

Cap. I.



Ricaſſium primum reperio mentionem fieri in Itinerario Antonini, cum a Mediolano per Alpes Cottias ad Geſſoriacum iter deſcribit: cuius hæc portio eſt,

Antiſsiodorum Mil. plus minus XXXIII. *Legæ* XXII.
Eburobrica M. P. M. XVIII. *Leg.* XXII.
T*ricaſſes* M. P. M. XXXIII. *Leg.* XXII.
Arciaca M. P. M. XVIII. *Leg.* XII.

Ptolemæus lib.ij. Geograph. cum Lugdunenſis Galliæ ſitum exprimere conatur. Παρὰ δὲ τὸν Σηκοάναν, Καρνοῦται, καὶ πόλις Αὔτρικον. Κλιμάβον. Ὑφ' οὓς παρίσιοι καὶ πόλις παρισίων (ſic lego non παρίσιον) Δουκοτήκια. ὑφ' οὓς τρικάσσοι, καὶ πόλις Αὐγουστόμανα. Non eſt vero Auguſtomana, ſiue Auguſtodunum, ſiue Auguſtobonam, ſeu potius Auguſtomagum exaudias, ciuitas Tricaſſinorum, ſeu vt in Ptolem. ſcriptum eſt, Tricaſſiorum, vt Lutetia Pariſiorum: ne quis forte eo loco fallatur, quod qui-

buſdam ſerio accidiſſe doleo. Tricaſſium enim appellatio ciuitatis ipſius propria eſt, vt Tricaſſinorum populi, a quibus & Auguſtomagum, & Auguſtobonam, & Auguſtodunum longe alias diuerſaſque eſſe, illud idem Antonini Itinerarium probat. Sed addantur & alij auctorum loci qui Tricaſſium & Tricaſſinorum meminere, quando ſane hac in re profuſiorem eſſe præſtat quam ingratum, & ex iis, vti diximus, ita omnino eſſe intelligetur. Auctor Panegyrici Maximiano A vel potius Conſtantio Cæſari dicti, quem quidam, non ſatis perſpecta temporum ratione, Mamertino tribuunt, Sicut (in-
" quit) pridem tuo, Diocletiane Auguſte, iuſſu ſuppleuit de-
" ſerta Thraciæ tranſlatis incolis Aſia, ſicut tuo poſtea, Maxi-
" miane Auguſte, nutu Neruiorum & Treuerorum arua iacen-
" tia, velut poſtliminio reſtitutus & receptus in leges Francus
" excoluit: ita nunc per victorias tuas, Conſtanti Cæſar inuicte,
" quicquid infrequens Ambiano, & Bellouaco, & Tricaſſino
" ſolo Lingonicoque reſtabat, Baro cultore reuireſcit. In Pa-
" negyrico altero, quo Flauienſes ſiue Hædui Conſtantino de remiſſis ob agrorum infertilitatem ſeptem milibus capitum
" gratulantur, Habemus (inquiunt) & hominum numerum qui
" delati ſunt: & agrorum modum, ſed vtrumque nequam, ho-
" minum ſegnitia, terræque perfidia. Vnde enim nobis Remius,
" aut Neruius, aut ipſe ille de proximo Tricaſſinus ager, aut ara-
" tor, quorum reditus cum labore contendunt? Hos ego locos non vt in vulgatis exemplaribus ſcripti conceptique ſunt, ſed vt emendandos legendoſque cēſeo, ita tetuli: Qua in re viros doctos & candidos facile mihi adſenſuros ſpero. Sed nec emendationis quidē noſtræ rationē, ſi quis requirat, hic edere nunc ſtatuimus. Itaque vltra pergimus. Ammianus Marcellinus lib. xvj. refert Iulianum Cæſarem deſignatum, ipſo & Conſtantio A. viij. COSS. viij. Kal. Iulias, Auguſtodunum perueniſſe. Ibique habita deliberatione quodnam iter vt tutum eligeretur, quibuſdam per Arboroſam, aliis per Sidoleucum (ſic lego ex Antonini itinerario) iri debere affirmantibus, ipſum cum Cataphractis ſolis & Balliſtariis, præcurſo eodem itinere quod paulo ante Siluanus magiſter peditum

cum

cum viij. auxiliarium milibus ægre tranſierat, Antiſſiodorum peruenisse. Vbi breui (inquit) ſicut ſolebat, ocio cum milite recreatus, ad Tricaſſinos tendebat: & Barbaros (ſic autem appellat Francos & Germanos qui iam tum Alemani dicebantur) in ſe cateruatim ruentes, partim cum timeret vt ampliores, confertis lateribus obſeruabat, alios occupatis habilibus locis decurſu facili proterens. nonnullos pauore traditos cœpit, reſiduos in curam celeritatis omne quod poterant conferentes, quia ſequi non valebat grauitate præpeditus armorum, innocuos abire perpeſſus eſt. Proinde certiori iam ſpe ad reſiſtendum ingruentibus confirmatus per multa diſcrimina venerat Tricaſſas, adeo inſperatus, vt eo portas pene pulſante, diffuſæ multitudinis Barbaræ metu, aditus vrbis non ſine anxia panderetur ambage: & pauliſper moratus dum fatigato conſulit militi, ciuitatem Remos, nihil prolatandum exiſtimans, petit: vbi in vnum congregatum exercitum, Veſuntij iuſſerat operiri præſentiam ſuam. Sidonius Apollinaris Aruernorum Epiſcopus, qui temporibus Theoderici vixit, lib. vj. Epiſt. iiij. Quodam (inquit) Prudente (hoc enim viro nomen quem nunc Tricaſſibus degere fama diuulgat) ignotorum hominum nobis collaudante contractum, cuius ſubſcriptio intra formulam nundinarum, tanquam idonei adſtipulatoris oſtenditur. Idem lib. vij. Epiſt. xiij. Himerius antiſtes, filius tuus, notus mihi hactenus, parum vultu, ſatis opinione, (quæ quidem in bonam partem porrigebatur) Lugdunum nuper a Tricaſſibus venit: Quo loci mihi raptim ac breuiter conſpectus, Sanctum epiſcopum Lupum facile principem Pontificum Gallicanorum, ſuæ tam profeſſionis magiſtrum, quam dignitatis auctorem, morum nobis imitatione reſtituit. Deus bone quæ viro cenſura cum venuſtate, & cætera quæ ſequuntur ad Lupi noſtri laudes pertinentia. Beda ſcribit, Valentiniano III. imperante, Seuerum diui illius Lupi Tricaſſinorum antiſtitis diſcipulum, apud Treueros epiſcopum ordinatum, primæ Germaniæ verbum Domini prædicaſſe. Gregorius Turonenſium Archiepiſcopus Tricaſſes, Tricaſſinorum vrbem appellat in libro de Martyribus, vbi

Patrocli meminit, quem in ea vrbe pro Christi Euangelio passum veteres agonum Historiæ testantur. Ado in Chronic. scribit, Britannos a Gallicanis Episcopis auxilia quærentes, Germanum Antisiodorensis ecclesiæ episcopum & Lupum Tricassinum, Apostolica gratia antistites, fidei defensores aduersus Pelagianam hæresim accepisse. In veteri etiam notitia prouinciarum, quæ falso a plerisque Antonino tribuitur, quo longe posterior est, cum sumpta sit ex libris Canonum Isidori Hispalensis episcopi, sub Lugdunensi quarta, ciuitates vij. statuuntur: metropolis ciuitas Senonum, ciuitas Carnotum, ciuitas Antisiodorum, ciuitas Tricassium, ciuitas Aurelianorum, ciuitas Parisiorum, & ciuitas Meldorum. Quo loco mihi sane mirum est Tricasses pro Tricassinis dictos, si modo integer est locus quod non facile adducor, vt statim credam. Lugduni lapis est, ex cuius fragmentis, quæ pridem longe a se inuicem disiuncta sunt, hanc ego memoriam aliquando erui.

C. CATVLLIO
DECIMIO.
TVTI. CATVLLII. FIL.
TRICASSIN. OMNIB.
HONORIBVS. APVD. SV-
OS FVNCT. SACERD.
AD. TEMPL. ROM. ET.
AVG. III PROV. GALL.
TRES. PR.

Habeo & ex patris mei Petri Pithœi, summi viri, monumentis, inscriptionem, quam ego senem optimum puero mihi tanquam thesaurum aliquem donasse, & seruandam mandasse cum iuuantia memini. Ea sic habet,

D. M.

ET. MEMORIÆ. AVRELI. DEMETRI. ADIVTORI. PROC. CIVITATIS SENONVM. TRICASSINORVM.

MELDORVM. PARISIORVM. ET. CIVITATIS ÆDVORVM. INGENVINIA. AVRELIA. CONIVGI. CARISSIMO. ET. AVRELIA. DEMETRIANE. ET AVRELIVS DEMEDRIVS FIL. PATRI. CARISSIMO. FACIVNDVM. CVRAVERVNT.

Hic mirum alicui fortaſſis videbitur ciuitatem Æduorum ab eodem Proc. regi, cum & Proconſulatus fere prouincijs diſtingui ſolerent, Æduorum autem ciuitas in Iſidori breuiculo inter eas quæ primæ Lugdunenſis ſunt referatur, & in notitia Imperij Rom. Lugdunenſis prima cum ſuis ciuitatibus inter Conſulares prouincias ſtatuatur. At vero, quis ignorat apud Romanos, maxime vero poſteriorum Impp. temporibus, variam & quotidie pene mutabilem prouinciarum diuiſionem fuiſſe? Externa repetere neceſſe non eſt, ſunt enim infinita. Sub Cæſare Dictatore & paulo poſt, nulla fuit Lugdunenſis prouincia, ſed Narbonenſis, vt Viennenſem, ita & Lugdunenſem, qualiſcunque illa fuit, continebat, quemadmodum Marcellinus ſcribit lib. xv. vnde illud Auſonij de Narbone,

Nec tu Martie Narbo ſilebere, nomine cuius "
Fuſa per immenſum quondam prouincia regnum "
Obtinuit multos dominandi iure colonos, "
Inſinuant qua ſe Sequanis Allobroges oris. "

Auguſtus vnā Lugdunēſem fecit, vt Strabo auctor eſt lib. iiij. Duæ tamen ſtatuuntur a Marcellino & Ruffo, quorum temporibus, vt Senonas, ita & Tricaſſinos primæ Lugdunenſis fuiſſe facile crediderim. Liber ſane Notitiæ Ro. Imperij, qui ad poſteriorum Impp. tempora pertinet, quatuor Lugdunenſes facit, vt & Iſidori breuiculum, ſed quartam Senoniam vocat, nomine metropoleos. Sub hac quoque tum fuiſſe Tricaſſas veriſſimile eſt, cum & Lutetia Pariſiorum alicubi eidem prouinciæ tribuatur. Sed ad quod venimus, hoc præcipue hic agamus. Hactenus Tricaſſium & Tricaſſinorum nomem lectum auditumque eſt. Verum poſteriorum temporum ieiuni ſcriptores cum Tricis Apiniſque ſuis, Trecas quoque inuexerunt. Sane & in vulgatis Aimonis monachi

codicibus, vbi Galliarum ciuitates enumerat lib. j. Trecæ scriptum legitur, vt & apud Gregorium Turonen. lib. vij. & in appendice ad Adonis Chronicon: vbi narratur regnante Ludouico Karoli filio, Ioannem Papam in Gallias venisse, & apud Trecas diu moratum, ibi Synodum habuisse episcoporum. &c. Sigebertus quoque Gemblacensis monachus scribit, anno DCCCXCII. Northmannos a Senonis, quam expugnare non potuerant, Parisios repetiisse: indeque repulsos, per Matronem Trecas vrbem incendisse, & vsque Virdunum & Tullum vrbes cuncta depopulatos. Sed postuma isthæc persequi, neque otij, neque instituti est nostri, quibus hic satis est, quasi ruderibus egestis, vetustiores patriæ vtrique nostrum carissimæ ruinas detegere, & lituras quibus primæuum ipsius nomen nescio quo malo inductum hactenus suppressumque est, velut spongia effingere. Vnum tamen illud addam, Campaniæ appellationem, eius quidem cuius hodie vrbium nostra mater est, nondum me apud vetustiorem paulo scriptorem legere potuisse. Auctor sane appendicis ad Marcellini Comitis deflorata, Remensem, Campaniam vocat, vt & Gregor. Turonensis in libris historiarum. Non desunt qui Catalaunicam appellent: credo Camporum memoria inducti in quibus Attila victus est, qui & Catalaunici & Mauricij dicuntur. In itinerario Antonini, ne quis forte eo decipiatur, locus vnus in quo Campaniæ iuxta mediomatricum mentio reperitur, sic emendandus est ex Notitiæ Romanæ libro.

Vetu salina, in medio, Matrica. M. P. XXVI.
Campona, in medio, Acinco leg. ij. *Adiutr.* M. P. XXIII.

Sunt autem hæc loca Valeriæ Ripensis.

Ciceronis ex lib. ij. De legibus loci de lege Toria, Ausonij de lege Titia, Titi Liuij de lege Valeria, expensi & explicati.

CAP. II.

QVæsitum est apud Ciceronem quæ sint Tutiæ leges in illo libri ij. de legib. loco. M. Igitur Tutias & Apuleias

leges nullas putas? Q. Ego vero ne Liuias quidem. M. Et recte, quæ præſertim vno verſiculo Senatus, puncto temporis ſublatæ ſunt. Et alij quidem Sulpitias, alij Sempronias reponendum putarunt. Ego ex veteris ſcripturæ veſtigijs Titias legi, vt & in eodem libro vbi de poteſtate Augurum loquitur. Quid leges non iure rogatas tollere vt Titiam decreto collegij. Tulit enim leges Agrarias Titius Trib. pl. ſeditioſus, cuius & Valer. Max. & idem Cicer. meminere. Nunc magis placet iiſdem omnino veſtigijs, Turias & Turiam, ſeu Torias & Toriam vtrobique legere. Sp. Torius ſiue Turius Trib. pl. legem Agrariam tulit quæ ſtatim ſublata eſt, vt Appianus lib. j. Belli Ciuil. ſcribit: idque ex decreto collegij, quod contra auſpicia lata eſſet. Id Cicero quoque in Bruto ſatis oſtendit, dum ait, Sp. Torium vitioſa & inutili lege agrum publicum vectigali leuaſſe. Vitioſa enim lex eſt vitio lata, contra Augurum diſciplinam, vt & vitioſi magiſtratus contra auſpicia creati. Titia lex de donis & muneribus quæ fuerit, ab aliis traditum eſt. Lubet hic tantum Auſoniani de Iure conſulto epigrammatis elegantiſſimi naſum detegere, qui ab aliis non ſatis viſus eſt. Ait autem, Iuriſconſulto cuidam qui vxorem dicebat adulteram, Papiam legem quæ contra cælibes lata eſt placuiſſe, Iuliam de adulteriis diſplicuiſſe. Huius diuerſitatis rationem ex aliarum quoque legum nominibus facetiſſime reddit. Ait enim, Iuriſconſultum ipſum ſemiuirum & parum pudicum Satiniam legem ſeu potius Scantiniam (ſic enim & a Suetonio dicitur & a Tertulliano in libro de Monogamia) metuiſſe, quæ contra impudicos lata eſt: ideoque vxorem tandem duxiſſe ſecundum legem Papiam, vt hoc vitium tegeret, quæ lex Papia idcirco ei placuit: At Titiam non metuiſſe, cum nemo ei donum munuſue ob cauſam orandam offerret, & ideo neceſſe ei eſſet aliunde rem facere, nempe ex adulterio vxoris, & lenocinio ſuo, contra Legem Iuliam, quæ ideo ei diſplicuit. Sic igitur ait,

Iurisconsulto cui nubit adultera coniux
Papia lex placuit, Iulia displicuit.
Quaeritis vnde haec sit distantia? Semiuir ipse
Scantiniam metuens non metuit Titiam.

C. Titius legem Fanniam sumptuariam cuius verba ab Athenæo referuntur lib. vj. oratione suasit: Citatur eius oratio a Macrobio cùm de lupo disserit. Sed Titij nomen apud eundem corruptum est, de equo Troiano. Nam vbi vulgo Cincius libri excussi habent, vetus Citius, Io. Salisberiensis Policratici scriptor C. Titius, rectissime. Hæc nominum affinitas simul vt congererem obtinuit. Nunc de lege Valeria, quod, huius capitis inscriptio pollicetur impleamus. Valeria lex cum eum qui prouocasset virgis cædi, securique necari vetuisset, si quis aduersus ea fecisset, nihil vltra, quam improbe factum adiecit. Improbe factum adiectum est pœnæ loco, vt contra in quibusdam legibus & edictis quasi pro præmio, Bonum factum, adscribebatur Tertull. & Sueto. testibus.
„ Addit Liuius lib. x. Id (qui tum pudor hominum erat) visum
„ credo vinculum satis validum legis. Nunc vix seruo ita mine-
„ tur quisquam. Seruo, profecto nihil mirum, cum grauius multo & seuerius seruis minari conueniat, quam liberis & ingenuis hominibus. Quid igitur si apud Liuium vnius literulæ faci-
„ cili mutatione sic legamus? Nunc vix serio ita minetur quisquam. Quod ego temere reijciendum non putem.

Chrestos, Chrestiani, Achreston, Chresimon.

Chap. III.

QVod in Actis Apostolorum scriptum est cap. xix. Claudium Imperatorem iussisse vt omnes Iudæi Roma excederent. Sueto. quoque Tranquillus in eius vita factum sic refert. Iudæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit. Non est mihi dubium Christianos quoque, si qui

tum primum Romæ erant, vt fuiſſe credibile eſt, ſimul cum Iudæis vrbe pulſos. Nam hos omnes Romani veteres eodem ordine diu habuerunt, vt ex Tertulliani & aliorum Apologeticis conſtat. Seuer. Sulpit. lib. ij. ſac. hiſt. Adrianus exiſtimans ſe Chriſtianam fidem loci iniuria perempturum, in templo ac loco Dominicæ paſſionis ſimulachra conſtituit. Et quia Chriſtiani ex Iudæis potiſſimum putabantur (Namque tum Hieroſolimæ non niſi ex circunciſione habebat Eccleſia ſacerdotem) militum cohortem cuſtodias in perpetuum agitare iuſſit, quę Iudæos omnes Hieroſolimæ aditu arceret. Quod quidem Chriſtianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes, Chriſtum Deum, ſub legis obſeruatione credebant. Nimirum id domino ordinante diſpoſitum, vt legis ſeruitus a libertate fidei atque Eccleſiæ tolleretur. Rutil. Claudius Gallus lib. j. Itenerarij cum ritus quoſdam Iudaicos de circunciſione & Sabbato deſcripſiſſet deteſtatuſque eſſet, ſubijcit,

Atque vtinam nunquam Iudæa exciſa fuiſſet
Pompei bellis, Imperioque Titi.
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Quod ego ad Chriſtianos pertinere arbitror, quorum tum ſancta religio latius radices egerat, & quibus vt Iudæ Rutilius vltro infeſtus eſt. Porro quod ait Suetonius impulſore Chreſto, de Chriſto ipſo, licet falſo & impie ab eo dictum intellectumque non dubito, vt qui iam ſciam veteres gentiles, veri nominis ignoratione, Chreſtum & Chreſtianos, non Chriſtum aut Chriſtianos, dixiſſe. Id me vnus hic Tertulliani locus in Apologetico docuit. Si nominis (inquit) odium eſt, quis nominis reatus? quæ accuſatio vocabulorum? Niſi ſi aut barbarum ſonat aliqua vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum. Sed & cum perperam Chreſtianus (ſic ex ſequentibus ſcribendum arbitror vt & apud Tacit. lib. xv.) pronunciatur a vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuauitate vel benignitate compoſitum eſt. Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. Hactenus Tertulliani ver-

ba, ex quibus sane quod proposui confectum credo. χρηστὸς enim suauem, facilem & benignum significat. De quo etiam nomine elegans est Ausonij epigramma semi Graium & semi Ausonium, quod nihil est necesse hic exscribere. Inde & Pertinacem Chrestologum vulgo dictum Capitolinus scribit, quod verbis magis quam reipsa benignus esset, hoc est, vt Aurelius Victor eleganter expressit, blandus magis quã benignus. Non erit etiam valde alienũ hic adiicere nomen affine, quo veteres inter σημεῖα aliquando vsos notaui, vt cum quid in alienis scriptis vitandum putarent, ἄχρηστον adscriberent,
„ cum quid vtile χρήσιμον. Cassiodor. li. j. institut. Diuin. script.
„ Ticonius (inquit) Donatista in eodem volumine quædam
„ non respuenda subiunxit, quædam vero venenosa dogmatis
„ sui fecilenta permiscuit. Cui tantum in bonis dictis Chresi-
„ mon, in malis Achreston, quantum transiens valui reperire,
„ vt arbitror, competenter adfixi. Ex quo alterum eiusdem auctoris locum emendandum censeo, vbi de Origenis Adaman-
„ tij libris loquitur. In operibus (inquit) eiusdem Origenis,
„ quantum transiens inuenire præualui, loca quæ contra regu-
„ las patrum dicta sunt, ac hereseon repudiatione signans. Sic habet vetus & optimus liber, in quo tamen reponendum arbitror Achreston vel ἀχρήστου. Solebant etiam veteres theta adscribere pro veruto his quæ non probarent. Sidonius,

„ *Isti qui valet exarationi*
„ *Destrictum bonus, applicare Theta.*

quæ fuit etiam Triumuirorum capitalis nota. Verum, vt ad rem tandem redeamus, hoc totum de Chresto impulsore mendacium, siue a Suetonio confictum, seu potius ex vulgi fama & opinione relatum, minus mirabitur, qui non solum veterum ethnicorum (vt a nostris quidem appellantur) de Iudæis & Christianis nugas legerit, inter quas & Hadriani ad Seruianum epistolam refero, sed & ipsorum Iudæorum de Christo, quem & in Hebraica historia Chrestum appellant, & ad Pompeij aut Vespasiani tempora inepte referunt. Cæterum, quod Sulpitius scribit, Iudæos Hierosolimæ aditu ab Hadriano prohibitos, valde pertinet ad eum Apologetici

locum

locum in quo Tertulianus qui post Hadrianum sub Seuero vixit, de Iudæis loquens, Dispersi (inquit) palabundi, & soli & cœli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine deo rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. Hoc etiam fortasse consilio Hadrianus Æliam, id est, Hierosolimam instaurans in fronte eius portæ, quæ ad Bethleem erat suem in marmore scalptam proposuit, vt Cassiodor. in Chronico scribit: qui tamen aliam quoque eius rei rationem adfert.

Kalendarij, Iduarij, Relegere, Alpheni, Persij & Catonis loci emendati.

Cap. IIII.

MEmini ab antiquo glossario in M. Ciceronis Catilinaria priore, dum ait, Prætermitto ruinas fortunarum tuarum quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties adnotatum. fœneratorum, hanc olim fuisse consuetudinem, vt vltra statutum Kalendarum diem, in Idus concederent dilationem: itaque fieri solitum, vt quæ in Kalendas fœnerauerant, idibus reciperent & relegerent. Cuius moris exemplum etiam adfert ex Horatij Epodo sane quam appositum.

Hæc vbi loquutus fœnerator Alphius
Iam iam futurus rusticus:
Omnem relegit idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Possunt & alia eius rei exempla profferri plura, sed hoc satis est. Inde vero Kalendariorum & Iduariorum corpora dicta arbitror in veteri inscriptione quæ ab Appiano inter cæteras relata est. Habebant enim ciuitates, vt & priuati, Kalendaria sua. ex quibus qui fœnori ponebant & collocabant, Kalendarij, & curatores Kalendarij, qui relegebant Iduarij, vt opinor, dicebantur. Interdum autem etiam in lege solebat adiici vt idibus demum solueretur. Exemplum est apud Catonem in lege oleæ pendentis. Ponderibus modiisque domi-

ni datu iri (sic legendum vt significet datum iri) primæ cotulas duas.. Dies argento ex Kalend. Nouemb. Mens.x. Oleæ legendæ faciundæque quæ locata est. Et si emptor locarit, Idibus soluito. Cuius rei æquitas manifesta est. Proferam & aliud exēplum non satis vulgo notum. Vectigalia P.R. mense Martio Redemptoribus & Publicanis locari solita Macrob. lib. i. Saturnal. tradit, & verum est. Solebant & eodem mense, priuati agros suos colonis locare. Sed non fuit idem omnino solutioni præstitutus dies. Nam horum fere pensiones Kal. Martiis inferri a colonis debebāt: At vectigalium locationes in Idus Martias ita conferebantur, vt exinde redemptor frui inciperet & proximis quibusque Idib. Mart. conductionis pretium solueret. Itaque Cæsar cum insulæ Cretæ cotorias locaret legem ita dixerat. NE QVIS PRÆTER REDEMPTOREM POST IDVS MARTIAS COTEM EX INSVLA CRETA FODITO NEVE EXIMITO NEVE AVEHITO. Sic enim apud Alphenum Varum (qui Cæsaris Dictatoris & Augusti temporibus vixisse videtur) auehendi verbum reponēdum restituendumque arbitror, ex quo tota propositæ quæstionis dubitatio pendet. Quod bona nostrorum venia παρέργως dixisse liceat. Sic & in æneis legis Liuię Agrariæ fragmentis scriptum legimus PEQVNIAM POPVLO EX EID. MART. QVÆ. POSTEA. QVAM VECTIGALIA CONSISTENT. QVÆ. POST. H. L. R. PRIMVM. CONSISTENT. IRIMÆ. ERVNT.

Porro, non desunt qui in eo Horatii versu (redegit) scribi malint, quod tantum abest vt mihi vnquam probari potuerit, vt nullum aliud relegendi verbo ad rem accommodatius putem. Idem Cato. Die lanam & agnos vendat. Menses x. a coactore releget. Apud Persium Sat. v. vbi vulgo legitur,

» *Quæ dederam supra repeto, funemque reduco.*

veteres libri habent,

» *Quæ dederam supra relego, funemque reduco.*

Quod perspicue rectum est. Est & relegendi verbum quodammodo religiosum apud Arnob. lib. iiii. aduers. gent. Non tempero mihi quin illud hic adiiciam, videri apud Catonem cum legem vino in doliis tradit, pro dominus resoluito, le-

gendum domino resoluito. Vinum (inquit) accipito ante Kal. Ian. primas. Si non ante acceperit, dominus vinum admetietur. Quod admensum erit, pro eo dominus resoluito Immo vero domino. Venditor enim dominus Catoni perpetuo dicitur, cui ab emptore res soluitur, id est, precium. Interdum tamen & dominus resoluit, pro ratione eius quod admensum non est, videlicet, si pretium promutuum acceperit. Ideo enim mensura fit a venditore, vt intelligatur quantum emptori perierit. Sed hoc ad Catonis sententiam nihil, nisi forte quis malit eum locum sic legere. Quod admensum non erit, pro eo dominus resoluito. Nec id quidem recti specie omnino carere videbitur. Illud aliquanto certius, in eadem formula Catonis verba sic potius distinguenda. Quod neque aceat, neque muceat id dabitur. In triduo proximo viri boni arbitratu, degustato.

Sidonij Apollinaris versus emendati. Cloio, Atax Nicer, Rhetus, Scaldis, Theudoris, Aëtius, Carpilio.
CAP. V.

IVuat maxime in veterum monumentis aliquid quod ad historiam gentis nostræ pertineat adnotasse: vel eo maxime quod in ea quę mille annos excurrit, velut in aliena patria peregrinari, & quasi hospites diuersoria quęrere cogimur. Apud Sidonium Appoll. in Panegyrico quem ille Maioriano A dixit, describitur pugna, qua Maiorianus, qui Auito in Imperio successit, Francos Gallias inuadentes ad vicum Helenã in Attrebatibus, nec opinato irruens, in fugam vertisse dicitur. Constat vero Chlogionem, quem alij Chlodionem appellant, a Dispargo, quod in finibus Thoringorum castrum erat, profectum, Rhenum transiisse, ac protritis Romanis Carbonariam tenuisse, inde missis exploratoribus Tornacum primo post etiam Camaracum venisse. In qua sede sibi constituta paululum moratus (nam ab Aëtio, qui tum Gallias Patricius regebat, expulsus refertur) omnia ad Summam fluuium occupauit, tum quidem Gallias regente Aëtij successore Ægidio. Atqui nobilissimi & fortissi-

mi Regis nomen apud ipſum Sidonium adeo turpi macula obductum inquinatumque eſt, vt vix, ac ne vix quidem agnoſci poſſit. Eluta vero ea deterſaque erit ſi eum locum ex auctoritate veterum librorum ſic legamus.

Poſt tempore paruo
Pugnaſti pariter Francis, qua Cloio patentes
Attrebatum terras peruaſerat: hic coeuntes
Claudebant anguſta vias arcuque ſubactum
Vicum Helenam, flumenque ſimul ſub tramite longo
Artus ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agger.

Surſum etiam reſpice, & nobiliſſimos Galliæ amnes in nomen curſumque ſuum ſic reſtitue.

Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Sequana, Lædus,
Clitis, Elaris, Atax, Vacalis, Ligeremque bipenni
Excisum per fruſta bibit.

Reddantur vero & ſua Rhetorum antiquiſſimæ genti, & Nicro amni nomina, apud eundem in Panegyrico altero, quem Auito dixit, atque ita legatur.

Rhetum Burgundio cegit
Chunnus, Bellonotus, Neurus, Baſtarna, Thoringus,
Bructerus, vluoſa quem vel Nicer abluit vnda
Prorumpit Francus: cecidit cito ſecta bipenni
Hercinia in lintres & Rhenum texuit alno.

Significat autem, quantum intelligo, Alpeſtrem Rhetum qui Burgundioni proximus aliquando fuit. Neſcio quo iure, quaue iniuria, & Saldis nomen amiſerit apud Cæſarem in quibuſdam editionibus, eo loco, quem ex veterum librorum ſcriptura adiiciam. C. Trebonium cum pari legionum numero ad eam regionem, quæ Atuatucis adiacet, depopulandam mittit. Ipſe cum reliquis tribus, ad flumen Scaldem quod influit in Moſam, extremaſque Arduennæ partes ire conſtituit. Placet & hic vna eadẽq; opera, quando adhuc liber præ manibus eſt, alterum clariſſimi regis nomen apud eundem Sidonium reſtituere. Ita vero ſcriptum eſt in Car. vij.

Probat hoc iam Theuderis, altum
** Exemplum officii: Res mira, & digna relatu.*
Quod fueris blandus regi placuiſſe feroci.

vulgo male. *Probat hoc Theodorus vt altum.*

Signific at autem Theuderim siue Theudericum, Gotthorum regem, non eum quem auctor idem graphice admodum descripsit lib. j. Epist. ij sed priorem alterum qui Catalaunica pugna Aëtio suppetias tulit & occubuit, quemque idem auctor postea pellitum principem vocat. Sic paulo post,

In Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum. "

In eodem carmine. "

Væ mihi qualis eram, cum per mea iussa iuberet
Sylla, Asiæ gentes, Curius, Paulus, Pompeius "
Tigrani, Anthiocho, Pirrho, Persæ, Mithridati, "
Pacem, regna fugam, vectigal, vincla, venenum. "

In veteri libro pro, Asiæ gentes, scriptum est, Asiagenes. Significare proculdubio voluit Cor. Scipionem Africani fratrem, qui deuicto Antiocho Asiatici cognomen accepit. Idque certus relationis ordo postulat. At quomodo versus ita constet, non satis video. Aëtius Galliarum, dum advixit, columen, Gaudentij Mœsij vel Scithæ filius, a puero Prætorianus, tribus annis Alarici obses, de hinc Chunnorum, post hac Carpilionis gener, ex comite domesticorum. Ioannis Tyranni curam palatii gessit; vt Renatus Frigeridus scribit. Cassiodorus lib. i. Var. for. Carpilionem, Aëtii filium facere videtur, dum sic ex Theuderici persona de suo ipsius patre loquitur. Patricio Aëtio pro iuuanda Rep. magna fuit charitate sociatus. Quem tum rerum dominus propter sapientiam "
sui, & gloriosos in Rep. labores, in omni consilii parte seque- "
batur. Ad Attilam igitur potentem armorum, cum supradi- "
cti filio Carpilione legationis est officio non inrite destina- "
tus. Quæ si componere volumus, aut pro filio, socero legen- "
dum, aut certe potius fatendum, Aëtii quoque filio, Carpilionis aui materni nomen inditum.

Leuatio Imperatoris & nouæ nuptæ.
Cap. VI.

NON est alienum a reipsa loquendi genus, quo posterioris sæculi scriptores passim vsos legimus, cum leua-

tum aliquem in regem vel imperatorem dicunt, imperatorem vel regem factum creatumque significantes: quo etiam modo Claudianum loquutum arbitror illo versu,

Sed mox cum solita miles te voce leuasset.

Fuit vero id moris non Barbararum tantum olim gentium, sed ipsorum aliquando Romanorum, vt quem imperatorem facerent, eum in altum tollerent. Amm. Marcell. lib. xx. de Iuliano, a Gallicanis militibus principe renunciato. Impositusque (ait) scuto pedestri & sublatius eminens, populo silente, Augustus renunciatus, iubebatur diadema proferre. Vbi pro populo, vel vt liber manuscriptus habet. vllo, lubētissime reposuerim, nullo. vt significet solita omnium voce leuatum Zonar. in Iustiniano καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀναγορεύουσι βασιλέα. Cornel. Tacitus de Caninefatibus lib. xx. Impositusque scuto more gentis, & sustinentium humeris vibratus, dux elegitur. De Gothis Cassiodor. lib. x. varfor. Indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scuto supposito (sic legendum) regalem nobis contulisse præstante Deo dignitatem, vt honorem arma darent, cui opinionem bella pepererant. Ado. Vienn. de Chlotarij filiis loquens, scribit, Sigebertum contra Chilpericum fratrem profecturum, a Francis, more gentis, clipeo impositum, regem esse constitutum. De hac quoque leuatione si quis exaudiat quod Capitol. in Gordianis sic scribit, fortasse non longe aberrasse videatur. Propere, inquit, ventum est ad oppidum Tysdrum, inuentusque senex venerabilis post iurisdictionem iacens in lectulo, qui circunfusus purpura humi se abiecit, ac retractans eleuatus, & imperatorem se appellari passus est. At ego tam anxie ingeniosus esse nolim, qui ne tum quidem hoc in more Romanis fuisse crediderim. Quamuis idem Capitol. in Max. & Balb. Inter hæc (ait) Gordianus Cæsar sublatus a militibus Imperator est appellatus. Quod Herodianus ex quo ille multa transtulit, sub finem lib. viij. sic expressit. ὡραμθύοι δὲ τὸν Γορδιανὸν καίσαρα ὄντα αὐτοκράτορά τε ἀναγορεύσαντες ἐπὶ δὴ πρὸς τὸ παρὸν ἄλλον οὐχ εὗρον. Nouam quoque nuptam in altum tolli solitam Optatus Mi-

leuitanus episcopus indicat lib. vi. de Schismat. Donatist. testatus solennia illa in secundis nuptiis obseruari non solita. Quod si prisci quoque moris apud Romanos fuit, sane non mirum, nec ea quidem a Catone obseruata, cum Marciam post Hortensij obitum reciperet. Sed cum id Ann. Lucanus temporum potius infœlicitati, & Catonis ipsius seueritati tribuat, profecto indicio est, prisci id Romani non fuisse, sed Africani potius moris & consuetudinis: Vt & in illis Sidonianis nuptiarum ritibus lib. i. epist. v. Gotthicum quidem Romano admixtum, non immerito aliquis suspicetur. In quibus vt id quoque obiter moneam pro gymnasia, Thalassia, legendum arbitror, Per omnia theatra, macella, prętoria, fora, templa, gymnasia, Thalassio Fescenninus explicaretur. Quod veterum librorum auctoritate confirmatur, in quibus Augusti filia Patricio Recimeri nupta Ascela dicitur. Cæterum si quis in altum sublationem apud Optatum de eo ritu accipiat, quo noua nupta cum ad mariti domum peruentum erat in altum tollebatur, vt ne limen contingeret, atque ita quodam mimo inuita virginitatem amittere videretur, fortassis id secundis nuptiis non conuenisse arbitrabitur. Ad hæc interpretatio adeo mihi aliena videtur, vt nunc quidem valde displiceat.

Minorum gentium patricij Sueton. Tranquilli loci emendati. CAP. VII.

Liuius libro i. Priscus non minus regni sui firmandi quam augendæ Reip. memor, centum, in patres legit, qui deinde, minorum gentium sunt appellati. Factio haud dubia regis, cuius beneficio in curiam venerant. Ait, Deinde. id est, vt ego quidem interpretor, a L. Bruto Tacit. lib. xi. Iisdem diebus in numerũ patriciorum adsciuit Cæsar vetustissimum quemque a Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus Maiorum, & L. Brutus Minorum gentium appellauerant, exhaustis etiam quas Dictator Cęsar lege Cassia, & princeps August. lege Senia sub-

legere. Maiorum gentium ſunt genere & ſanguine Patricii, id eſt, patrum a Romulo lectorum progenies: Minorum vero, cooptatione in patres poſtea patricii facti. Inde & tranſlatione quadam ex diis eleganter quidem Maiorum gentium a M. Tullio dicuntur. Minorum vero gentium appellatio, corrupta eſt, vt opinor, apud Sueton. In Auguſto: cuius locum vti in veteri & optimo exemplari conceptus eſt, ita referam. Ea
" gens (inquit de Octauia loquens) a Tarquinio Priſco rege,
" interminos gentes allecta in Senatum, mox a Seruio Tullio
" in patricias traducta, procedente tempore ad plebem ſe con-
" tulit. Vulgo tamen ſcriptum eſt inter Romanas gentes: quod erroris anſam quibuſdam præbuit. At minores gentes reponentem quia non ferat? Ex his autem intelligi poteſt, eos qui a Priſco in Senatum allecti patreſque facti ſunt, non omnes primum ex patriciis gentibus fuiſſe, ſed ex iis quorumdam gentes a Seruio Tullio aliiſque deinceps regibus in patricias traductas, vt Octauiam: alias a Bruto iuſſu populi, vt Liuius lib. iiii. ſignificat, qui & eis fortaſſe cum Senatum ſuppleret, Minorum gentium nomen dedit. Quod ſequitur etiam in
" eodem exemplari, At rurſus magno inter D. Iulium in pa-
" triciam rediit, non auſim temere reſpuere, qui ſciam veteres,
" magno, ſæpe abſolute dixiſſe. Sed quando Senatorum incidit mentio, reponatur etiam paulo poſt patrum nomen, apud eundem Suetonium dum ſcribit de Auguſto. Sed vt co-
" gnouit Antonium poſt fugam a M. Lepido receptum, cete-
" roſque duces & exercitus conſentire pro patribus, cauſam o-
" ptimatium ſine cunctatione deſeruit. Recte, ſunt enim pa-
" tres, Optimates. Illud hic adiicere libet apud eundem auctorem in D. Iulio, dum ſcribit, Omnem eum Galliam in prouinciæ formam redegiſſe, eique in ſingulos annos ſtipendii nomen impoſuiſſe: Inter hæc verba, Eique in ſingulos, in optimo exemplari purum eſſe quoddam interuallum. Et vero
" aliquid deeſſe videtur. Quid autem ſi legamus? Eique in ſin-
" gulos annos H-S XL. ſtipendii nomine impoſuit. Id ſane Eu-
" tropius quoque iiſdem pene verbis reſtituit lib. vi. Breuiarii. Erroris porro & mendi origo cauſaque manifeſta eſt. Tranquilli

quilli autem verba ſunt hæc. Omnem Galliam quæ ſaltu Pyreneo, Alpibuſque & monte Cebenna, fluminibuſque Rheno & Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum milia paſſuum, præter ſocios ac benemeritas ciuitates in prouinciæ formam redegit. Eique H-S quadringenteis in ſingulos annos ſtipendij nomine impoſuit.

Dicis cauſſa, Ciceronis ad Atticum loci emendati. Itemque Hieronymi & Tertulliani vetus lectio defenſa.

Cap. VIII.

Dicis cauſa, exiſtimaui aliquando dictum eſſe tanquam dicationis cauſa, cum quod in ſacris multa a veteribus vtcunque fieri ſolerent quo religione defungerentur, quemadmodum eis Tertull. exprobrat in Apolog. tum quod ſimulata pro veris accipi ſolerent, vt in illud Virgil. Seruius notat,

Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa.

Vnde (inquit) cum de animalibus quæ difficile inueniuntur ſacrificandum eſt, de pane vel cera fiunt. Hinc illud,

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni.

Sic & in templo Iſidis ſparſa aqua de Nilo eſſe dicebatur. Inde etiam ceruaria ouis Sex. Pompeio, quæ pro cerua immolatur. Inde Tauros verbenaſque in commentario ſacrorum ficta farinacea ſignificaſſe idem ſcribit. Exiſtimaui etiam dicis cauſa, dictum tanquam δίκης vel dicæ cauſa. Nam & in veteri Lexico ſic redditur, νόμου χάριν, ὡς παρὰ Γαΐῳ τῷ νομικῷ: vt videri poſſit fuiſſe hoc proprium Iuriſconſultorum verbum, apud quos certum eſt non minus fictionum fuiſſe & imaginum quam apud Pontifices. Sed quando M. Varronis auctoritas hac in re ſumma eſt, qui lib. v. de Ling. Lat. vt addictum, ita & antiqua illa, Dicis cauſa, & Dicis immo a verbo dico, dicis deducit, fateor tandem Dicis cauſa dictum, vt προφάσεως ἕνεκα, vel λόγου χάριν. Accidit vero huic formulæ, quod cæteris

fere rebus humanis, vt multis locis senio deturparetur. Ex iis hic vnum proferre institui. Apud Ciceronem lib. j. Epistol. ,, ad Atticum, vbi scriptum est in vulgatis codicibus, Metellus ,, est Consul egregius, & nos amat, sed imminuit auctoritatem ,, suam, quod habere dicit causam promulgatam. Illud idem ,, de Clodio. Vetus & optimus liber habet, sed imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis causam promulgatum illud idem de Clodio. Vnde statim coniicio reponendum. Quod habet dicis causa promulgatum illud idem de Clodio. Dicis causa habet, id est, fert leuiter, defunctorie & tralatitie, nec auctoritate sua hac in re vtitur, quamuis sit magni ponderis & momenti. Apud eundem Epistola prima, in eodem exem- ,, plari sic scriptum reperi, Aquilium non arbitramur, qui & ne- ,, gant & iurauit morbum & illud suum regnum iudiciale op- ,, posuit. Itaque sic lego, Qui & negauit & iurauit morbum. Iurat morbum, qui sanitatem eiurat, Eiurat quod qui iurat desideratur a se præstari non posse, ait Sex. Pompeius. Ex quo eiurãdi verbum apud Varronem & Ciceronem a doctissimis hominibus iure repositum est. Puto & apud Hieronimum reponendum in lib. de Monogamia ad Gerontiam, vnde eum viri summi nescio quo iure exturbant, contra veterum librorum, ,, quam ipsimet proferunt, fidem Hierophanta (inquit) apud ,, Athenas eiurat, virum, & æterna debilitate fit castus. Hoc ,, quid clarius, quid rectius? Sed illi non satis oculate euirat, legunt. Sic & Tertull. a quo Hiero. multa sæpe mutuatur, & commercium, & patrem matremque eiurare dixit. Apud eundem Tertull. in exhortatione ad castitatem, veterem scripturam retineo, atque ita lego. Cum autem Deus ,, summus tantum, Satanas, ad perficiendum prouocatio est ,, nostra, immo subfusio pigrissimorum ad continentiam ,, Deo exhibendam, qua diabolo qui antistant, nunc virgi- ,, nitate, nunc viduitate periurant, &c. Periurare dicit, quia diabolo iurant non Deo. Apud eundem auctorem in Apologet. vbi de Socrate loquitur deierandi verbum simpli- ,, citer accipio, vt apud Terent. Donatus. Dæmonas (inquit ,, paulo post Tertull.) id est, Genios adiurare consueuimus, vt

illos de hominibus exigamus, Non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus. Adiurare eſt exorcizare, vt & exorciſtas Latine adiurantes verti Iſidor. ſcripſit. Poſteriores coniurare dixerunt non tam apte. Sext. Pomp. Obiurare eſt iureiurando obſtringere. Præiurare eſt præire verbis conceptis iurantibus. Itaque præiurationes facere dicuntur ij, qui ante alios conceptis verbis iurant, poſt quos in eadem verba iurantes tantummodo dicunt, idem in me. Huc nos, ſed longius fortaſſe quam par fuerat, verborum prouexit coniugatio.

Deligati qui ſint & de iis, Sueton. & Spartiani loci notati.

Cap. IX.

QVemadmodum ordinem quendam Libertorum fuiſſe notatum eſt, vt quidam primi, quidam ſecundi tertiique dicerentur, Ita & ſeruorum tres quodammodo gradus ſtatui poſſunt. Primi actus ſunt frugi ſerui. vt Actores, Diſpenſatores, Ordinarij: Secundi ſeu medij, vulgares, vt mediaſtini: Tertij quales quales viliſſimi, ceu quos in neruo & compedibus veteres habuerunt. Hi non a noſtris tantum auctoribus, ſed & ab alijs paſſim compediti & vincti dicuntur. Apul. Apolog. j. Quindecim liberi homines populus eſt, totidem ſerui familia, totidem vincti ergaſtulum. Dicuntur & alligati à Columell. libro j. cap. vlt. dum ſcribit, Vineta plurimum per alligatos excoli. Puto & eodem ſenſu deligatã dici a Sueton. in Veſpaſiano, vbi vulgo delegatam legitur. Sed adſcribam locum vti quidem in optimo & vetuſtiſſimo libro extat. Inter hæc (inquit) Flauiam Domitillam duxit vxorem, Statilij Capellæ equitis Rom. Sabratenſis ex Africa, deligatam olim Latinæque conditionis: ſed mox ingenuam & ciuem Romanam Recuperatorio iudicio pronunciatam, patre aſſerente Flauio Liberale Ferenti genito, nec quicquam amplius quam Quæſtorio ſcriba. Domitilla igitur manumiſſione primum Latinæ conditione facta eſt, licet ali-

quando deligata nostri I. C. fortasse dicerent, dediticiorum numero fuisse. Sed neque mihi post legem Æliam pœnæ causa vinctam constat, & videntur vetustiores duo fere genera libertatis in manumissis statuisse, Iustam siue maiorem, & Latinam: & ex Latinis alios Iunianos, alios Dediticiorum numero dixisse: quanquam hæc in libris nostris subtilius distinguuntur. Ex his etiam viderit qui volet, an non & apud Aëlium Spart. in Hadriano deligatorum nomen de compeditis & vinctis accipi possit, dum scribit, Corrupisse eum Traiani libertos, curasse deligatos, eosdem sepelisse per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit. Vulgo tamen scriptum est delicatos, quod de iis accipi potest, qui Principi in deliciis erant: & hoc quidem fortasse rectius. Verum hic ego me non ex Tripode oracula fundere, sed coniecturas & opiniones meas, id est, hominis dupondij nugas proponere memini: in quibus coargui, vincique ab omnibus facile patiar, dum meliori aliqua ratione innitantur. Porro ex compeditis, alios fuisse puto pœnæ causa vinctos quorum scilicet corpori vincula iuste addita essent propter noxam aut flagitium, alios non pœnæ causa, sed custodiæ aut ex officij more: quemadmodum de L. Octacilio Rhetore, Sueton. scribit, seruisse eum aliquando, & hostiarium veteri more, in catena fuisse. Quod pluribus aliorum quoque auctorum locis confirmari potest. Illos lex Ælia a libertate iusta remouet, ante quam nihilominus Octacilius ciuis Romanus manumissione effectus est: Ad hos vero ea lex nihil pertinuisse videtur. Quanquam Sueton. in Augusto generaliter sic scribit. Hoc quoque adiecit, ne vinctus vnquã tortusue quis vllo libertatis genere ciuitatem adipisceretur, quod proculdubio ad legem Aëliam referendum, quam auctore Augusto latam verisimile est. Sed ex eiusdem legis verbis ab Vlpiano nostro relatis sic accipiendum, Ne vinctus vnquam, pœnæ causa, scilicet ob delictum, tortusue propter noxam & nocens inuentus. Nisi forte ex his aliquis ius hoc nouum malit eruere, Vinctos aliquando ob quamlibet causam, quoquo tandem modo manumissi fuerunt, lege Ælia, vt ciuitate Romana in-

dignos, a iuſta libertate omnino remoueri Sed ex eadem lege, Eos tantum qui pœnæ cauſa vincti ſunt, quolibet modo manumiſſos, non niſi dediticiorum numero fieri, cæteros non pœnæ cauſa vinctos & manumiſſos Latina libertate donari poſſe. Sane Zonaras To. II. hiſtoriæ ſcribit, Cum Veſpaſianus Imper. Ioſephum quem diu in vinculis habuerat ſoluere vellet, Tito hortante vt ei vna cum vinculis ignominiam demeret, approbante Veſpaſiano catenam ſecuri diſſectam. Hoc autem mimo compedum nota & ignominia eluebatur, cum vincula non ſoluebantur modo, ſed etiam diſſecabantur. Atque id quidem erga eos vſurpari ſolitum erat qui per iniuriam vincti fuerant. Quod ille ipſius pene Ioſephi verbis retulit ex lib. v. Belli Iudaici. Hoc alijs fortaſſe ἔργον mihi πάρεργον eſt.

De Apuleio, & ex eius libello de Dæmonio Socratis nonnulla emendata.

Cap. X.

QVædam ſunt a veteribus ſummo ingenio viris tanta diligentia tantaque accuratione conſcripta, vt non immerito alicui antiquiora multo quam ſint, videri queant. Ex hoc ego genere eſſe ſuſpicor Petronij noſtri & Apuleij nugas quidem, ſed doctas plane & omni lepore omnique eruditione refertas. Quanquam qui hunc ipſum, Apuleium dico, cuius Lactantius Firmianus meminit, quemque Macrobius inter veteres conuiualium quæſtionum ſcriptores referre videtur, Theodoſio poſteriorem facere volet, meo iudicio, non ſatis recte perſpecta temporum ratione ſenſurus eſt. Nam quod legitimum tempus luctus alicubi annuum facere videtur, quod a Theodoſio primum inductum dicitur, aduerſus tot contrarias coniecturas non ſatis vna eſt, & ea quidem infirma. At nec illa certior de capitali adulterij pœna, quam ego leuiter tranſilire non dubitem, atque ita ſentire: Apuleium Afrum, Platonicum Philoſophum & Magum circa

tempora diui Pij, & deinceps vixiſſe videri. Nam & Hadria-
ni imperatoris meminit, Apologia pro ſeipſo j. & Scipionem
Orſitum, Lollianum Auitum, itemque Maximum, quorum
omnium vt æqueuorum frequens apud eum mentio eſt, ſub
Diuo Pio vixiſſe, & plures ex iis ſub eodem conſulatum geſ-
ſiſſe certum eſt. Sane Imperator Seuerus in Epiſtola quadam
ad Senatum quæ a Capitolino refertur, Apuleij ſic meminit.
" Maior fuit dolor quod illum (de Clodio Albino loquitur qui
" Adrumentinus fuit, vt Apuleius Madaurenſis, vterque Afer)
" pro literato laudandum plerique duxiſtis, cum ille næniis
" quibuſdam anilibus occupatus, inter Mileſias Punicas, Apu-
" leij ſui & ludicra literaria conſeneſceret. Hic præter Aſinum
libros Floridorum ſcripſit: Quorum ego partem quandam
eſſe arbitror libelli, qui de Deo Socratis paſſim inſcribitur, ini-
tium, quod & ad inſtar Pancarpiæ cuiuſdam eſt vſque ad illa
verba, Iamdudum ſcio, vbi deeſſe diſputationis de Dæmonio
principium ab Apuleio Græce ſcriptum ſequentia indicant.
In his ego quæ ſuperſunt pauca hic e multis adnotaturus ſum
quæ magna ex parte Iac. Cuiacij Iuriſconſultorum facile
principis & præceptoris mei, libro, vt cætera omnia doctrinæ
& eruditioni ipſius accepta me referre par eſt. Nā ſi quid eſt in
me literarum, quod ſentio tamen quam ſit nihil, aut perexi-
guum, vel ego a viro ingenioſiſſimo & ſcientiſſimo didici, vel
eius veſtigia quo ad potui diligenter ſequutus, relegi & an-
notaui, quæ & ipſa acceſſionis iure reliquis cedant neceſſe eſt.
Ait Apuleius, Sed ne omnifariam noueritis & in iſto vt ait Lu-
" cilius ſchedico & incondito experimini, puto legendum.
" Sed vt me Lucilij locum ex veteris ſcripturæ veſtigiis non in-
" iuria ſuſpicetur aliquis a Sext. Pompeio relatum in voce ſche-
dia, quæ ipſe incondita poëmata interpretatur. Proinde in
" manu veſtra ſitum eſt vel a noſtra ſumere) vet. ſinuare. Ne-
" que inclinato profunde ſitu,) vet. Neque colliniato pro fron-
" te. Quæ omni a vitio) Auitio, vno verbo ſcribendum eſt ſic,
" Quæ omni Auitio longe præcellit voce viduata. Nec argu-
" mentis ſit effectior) Vet. effœtior. Quanto longius ea ceſſat
" a ſole) lego faceſſat a ſole. Vtraque animarum) vet. harum. At

enim internuculos recens cognitos) in vno Petroniani Satyrici exemplari ita ſcriptum reperi, Video quoſdam internuculos nudaſque meretrices furtim cōſpatiantes). De vtroque amplius deliberandum cenſeo. ſequitur apud Apuleium. Cum vſus poſtulat mala auerte,) vet. auerruncare. Eſt hoc verbum ex Lucilianis & Pacuuianis, qualia fere Apuleius & Arnobius in deliciis habent. Varro. lib. vj. Ab auertendo auerruncare, vt Deus qui eis rebus præeſt Auerruncus. Apuleius de Neſtore paulo poſt. Cui omnes ſciebant corpus annis abire) vetus liber hebere. Sic Virgil.

Sed enim gelidus tardante ſenecta "
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires. "

Sed hæc pauca iam multa ſunt, & nimis fortaſſe multa. Si cui tamen pauca videantur, infra deſpiciat, inueniet. Et nihil æque miror. Quem totum locum vſque ad diſputationis extremum ex Io. Saliberienſis Policratici lib. vj. reſtituat & emendet. Ex cuius tandem collatione facile intelliget quot & quanta ſint in Apuleij ſcriptis non menda, ſed potius portenta mendorum. Ac de hoc quidem lectorem monuiſſe ſatis eſt.

Eiuſdem ex Apologijs loci quidam.

CAP. XI.

VEniant nunc in partes & quædam ex ijs quæ in eiuſdem auctoris Apologeticis tranſcurſim adnotauimus. "
Quæ etſi poſſint.) Hunc totum locum ſic lego, Quæ etſi poſ- "
ſint ab his futiliter blatterata ob mercedem & auctoramenta "
impudentiæ deprehenſa haberi, iam conceſſo quodam more "
rabulis id genus, quo ferinæ ſolent linguæ ſuæ virus alieno "
dolori locare. Attamen &c. De patronis & aduocatis loqui- "
tur de quibus ferinæ linguæ virus dixit vt Appius caninam fa- "
cundiam. Qui cum aduerſum me eas literas promeret, profecto inuidit cupiditate lædendi:) pro inuidit, lego nihil vidit. Error natus eſt ex communibus vtrique notis. Teuis qui-

dam) malo quidem, & Anacreontem significari dico.

» *Et Critias mea delitescet salua charinæ*
» *Pars in amore meo, &c.*

Puto legendum,

» *Et Critias mea delicies, & salue Charine,*
» *Par in amore meo, vita tibi remanet.*

Pertinet vero maxime ad eum locum quod Ausonius in epistola quadam scribit, Esse Apuleium in vita Philosophum, in
» Epigrammatis, amatorem. Quoniam tamen mihi pro accu-
» satione largitur, atque superest.) Emendo largiter aquæ superest. Olim ad clepsidram solitos dicere oratores notius est quam vt probatione indigeat. Inde illud ex eadem Apologia,
» Mea aqua licet ad hoc vtare. Sequitur paulo post. Nihil in Philosophos non modo vere dici, Sed ne falso quidem posse confingi quod non ex innocentiæ fiducia, quamuis liceat negare tamen habeant potius defendere) hic aliquando haueant pro habeant lubens reposui, vt & apud Senecam lib. xiij. Epist. hauet pro habet, cum de Philosophia loquens, Nulla (inquit) ars alia de bonis & malis quærit, singulas habet circumire virtutes. Apud Hiero. sane in epistol. ad De-
» metriad. de virginit. seruanda, non dubito habitas possessiones scriptum pro, auitas. Sed cum non dissimili quoque loquendi forma Tertull. in lib. aduers. Valent. dixerit, Nec habens superuolare crucem, & in Apologet. Si inimicos iubemur diligere quem habemus odisse, Vlpianus habere laborare, Marcellus habere operari: eaque phrasis Græcorum exemplis defendi possit, hic nihil temere mutandum censeo. Arnob. lib. v. Auet animus scire quibus eloquijs tam periculosa negotia defensuri, vel artibus habeatis quibus tam confessis salutem dare personis. Sequitur apud Apuleium satis longo interuallo, Audi sis tam non impudens. lego Audi sis Tannoni Pudens. Et paulo post pro hamis iniucunda (hamis inescanda. Thallus pauimentis illuditur tu Tribunalib) quis non videt legendum illiditur? Sed iam desultoria quadam leuitate in alteram potius Apologiam transsultemus. Quid est dos ad ternuncium sumpta? Lego ad teruncium sumpta, id est,

sub

ſub vſura quadrantali. At qua tandem manu? Philomelæ, an Medeæ an Clitemneſtræ, quas tamen cum ſaltas (tanta mollitia animi, tanta formido ferri eſt) ſine c.ſ. Sic eum locum ex parte reſtituo. Supra de eodem. Mox (inquit) in iuuentute ſaltandis fabulis exoſſis plane & eneruis, ſed, vt audio, indoĉta & rudi mollitia. Ita potius faciam quid illi exiſtiment naĉti non putabo (lego, nauci. & paulo inferius pro ſœui hominis mulier (ſcæui ominis mulier. qui error eſt frequentiſſimus. Plane quidem ſi puerum vel is) repono, ſi verum, velis vt ſupra. Immo ſi verum velis. At hæc tantum delibare inſtitueram.

Cancellarij, Secretarij. Vnde dicatur, & de ijs, loci emendati.

CAP. XII.

CAncellariorum nomen non adeo ſane vetus, vt pote ſub poſterioribus demum Impp. auditum, ſi quis a cancellando, id eſt, aĉtis cancellatim lineis perducendo deduxerit, ſpecioſe quidem fortaſſe dicere videbitur, ſed a vero tamen ipſo longiſſime aberit. Nam vt a cancellis potius dicantur, vel hæc vna maxime ratio ſuadere poteſt, quod eorum fere temporum ſcriptores à cancellis & cancellos agere dicunt Cancellarium ſignificantes. Caſſiodor. lib. ij. Inſtit. Diuinar. & humanar. ſcript. de Marcellino Illyriciano cuius hodieque Deflorata extant. Is (inquit) adhuc Patricij Iuſtiniani fertur egiſſe cancellos: Sed meliore conditione deuotus, a tempore Theodoſij principis vſque ad fores imperij triumphalis Auguſti Iuſtiniani opus ſuum, Domino iuuante, perduxit. Idem lib. xij. Var. for. Sic enim proprie noſtros cancellos agitis, ſi læſorum impia clauſtra ſoluatis. Erricus monachus lib. vj. de vita Germani.

Voluſianus erat præcelſo nomine quidam
Vrbis patricio toti dileĉtus & vrbi,
Atque a cancellis priſco de more miniſter.

Sed rem totam belle & accurate conficiet Caſſiodori.P.P.locus ex lib.xj. Var. in Cancellariatus codicillis. Hoc igitur (inquit) laudabile præiudicium, ſententiam gratioſam, militiam domeſticam a xij. indictione Cancellorum tibi decus attribuit, vt conſiſtorij noſtri ſecreta fideli integritate cuſtodias. Per te præſentandus accedat: per te noſtris auribus deſiderium ſupplicis innoteſcat: iuſſa noſtra ſine ſtudio venalitatis expedias: omniaque ſic geras, vt noſtram poſſis commendare iuſtitiam. Actus enim tui, iudicis opinio eſt. Et ſicut penetrale domus, de foribus poteſt congruenter intelligi, ſic mens præſulis, de te probatur agnoſci. Nec iniuria. Quia talem vnuſquiſque ad reſponſa ſua videtur eligere, qualem ſe cunctis decreuerit æſtimari. Et paulo poſt. Reſpice quo nomine nuncuperis, latere non poteſt quod inter cancellos egeris, Tenes quippe lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas: Et quamuis ſtudioſe claudas, neceſſe eſt vt te cunctis aperias. Nam ſi foris ſteteris, meis emendaris obtutibus. Si intus ingrediaris, obſeruantium non potes declinare conſpectus. Adſcripſi locum latius, cum quod cancellariorum de quibus agimus conditionem plene contineat, tum quod in vulgatis libris ad finem corruptus ſit. Didici vero, tum temporis non omnino diſſimili ſignificatione hæc vſurpata, cancelli & ſecretum, vt iam non dubitem Secretarios dicere, quos cancellarios vocari audio. Secretum noſtris Impp. itemque Caſſiodoro & Marcellino, dicitur in quo iudices cauſas examinant & earum merita expendunt: quod & Secretarium appellatur: Quomodo in veteri quoque epigrapha Secretarium Senatus a Flauiano inſtitutum proculdubio accipiendum eſt, quod tamen vir doctus & diligens ad ærarium Saturni non apte retulit. Seruius in li.j. Æneid. Ducuntur (inquit) iudices vſque ad fores ſecretarij, ibidemque officium remanet, illi vero ingreſſi ſolium aſcendunt, & ſedent. Hæc ſecreta cancellorum ſeptis clauſa erant. Amm. Marcell. de aduocatis lib.xxx. Cum intra cancellorum venerint ſepta, & agi cæperint alicuius fortunæ vel ſalus. Sido. quoque de Theoderici conſiſtorio loquens lib.j. Epiſt. Cancellorum ſic

meminit. Circũſiſtit ſellam Comes armiger, pellitorum turba „
ſatellitum ne abſit, admittitur, ne obſtrepat, eliminatur: Sicq; „
pro foribus immurmurat, excluſa velis incluſa cancellis. Iam „
vero ab hijs ſecretorũ cancellis Cancellarios dictos quis non
videt? Inde quoq; hodie cancellarios aduocatos dicere nihil
prohibet. Sed hoc ad rem nihil. Non fuit vero adeo magnæ
dignitatis cancellariorum officium ſub priſcis Impp. vt ex his
quæ diximus ſatis paret. Vopiſc. in Carino. Præfectum vrbi „
vnum ex Cancellariis ſuis fecit: Quo fœdius nec cogitari po- „
tuit quicquam, nec dici. Caſſiodorus tamen cancellorum de- „
cus, pompam & glorioſam grauitatem appellat: Et lib. xj. de „
Ioanne Cancellario ſic ſcribit. Quis Ioannem non æſtimet „
merito eſſe promouendum? qui noſtro iudicio cancellorum „
olim ſumpſerit officium, & tunc iam prærogatiuam conſcien- „
tia meruit, quando ſecreti munus iudicialis accepit. vbi vulgo „
male decreti legitur: vt & paulo poſt. Hinc igitur prærroga- „
tiuarum ſententia noſtra confirmat. cum ſit legendum. Hunc „
igitur Prærogatiuarium &c. quod vel formulæ titulus ſatis „
indicat. Præfectus prætorio cui inter cætera annonæ totius
ſumma procuratio impendebat, habuit in officio Cancella-
rios, quos per prouincias dimittebat, Saionibus deputatis.
Hinc Campaniæ, Lucaniæ, Brutiorum, Samnij & aliarum
prouinciarum Cancellarij apud eundem Caſſiodor. apud
quem tamen Præfecti prætorio dignitas in Præpoſituram
mihi degeneraſſe videtur, maxime tamen lib. j. Var. vbi de
cancellarijs agit: errore vt fit ex notis orto, de quo hic obiter
monuiſſe ſatis erit. Hac tam neceſſaria & vtili adminiſtratio-
ne clariſſimos tandem factos Cancellarios minus mirum eſt.
Præfectum quoque vrbi Cancellarios cum ſcribis in officio
habuiſſe, indicare videtur antiquum edictum ex auctoritate
Turcij Aproniani P. V. propoſitum, in quo ita eſt, Commo- „
dis omnibus ac præda damnata quam Tribunus, Officium, „
Cancellarius & Scriba de pecuarijs capere conſueuerant. Ve- „
rum hic omnia anxie perſequi quæ de Cancellariis adferri
poſſunt, neque animi, neque inſtituti eſt noſtri. Sed & quid
ab Apocriſariis, qui ad reſponſum quoque ſunt, Itemque ab

inductionum & admiſſionum magiſtris cancellariorum munus differat, alterius erit loci oſtendere. Illud hic adiicere libet, quem hodie Cancellarium appellamus a rege in rebus ciuilibus ſecundas tenentem, illum ipſum eſſe, qui a Latinis olim Sacri Palatii Quæſtor, a Græcis πάρεδρος primum, poſt etiam μέγας λογοθέτης dictus eſt. Pro quo Latinos quoque ipſos, ſua quidem ætate, Cancellarii nomen vſurpaſſe Nicetas ſcribit. Qua de re poſt Doctorem meum auctorum locos adnotaſſe, putidæ & ingratæ fuerit diligentiæ.

Metonis nomen apud Marcellinum & Auſonium reſtitutum.

Cap. XIII.

SI certum poſſet nanciſci aduerſarium infœlix Meton, profecto male tractationis & iniuriarum recte ageret : adeo vbique contra bonos mores miſere habitus tractatuſque eſt. Sed agat iam ſane momentariæ poſſeſſionis interdicto, & me executore, inſuperhabita temporis præſcriptione, vnde vi deiectus eſt, eo reſtituatur. Primumque apud Amm. Marcellinum lib. xxvj. vbi ſcriptum eſt. Spatium anni vertentis, id eſſe periti mundani motus & ſyderum definiunt veteres, inter quos Menon & Euctemon & Hipparchus & Archimedes excellunt, cum Sol perenni rerum ſublimium lege, polo percurſo ſignifero, quem Zodiacum ſermo Græcus appellat, CCC. & LXV. diebus emenſis & noctibus ad eundem redierit cardinem. Reponatur, Meton & Eudemon, vt & apud Vitruuium Pollionem lib. ix. c. VII. Quorum inuenta ſecuti, ſyderum & occaſus & ortus, tempeſtatumque ſignificatus, Eudoxus, Eudæmon, Calliſtus, Meto. Eudæmonis nomen vbique retinui, memor apud Plinium quoque ſic ſcriptum lib. xviij. Sed redintegretur etiam in Auſonio, Atticus Meton. Nam vbi in impreſſo legitur,

Quis fuit ille dies, non annus longior illo eſt,
Atticaque indocti collegit cura medonis

Desertus vacuis solisque exerceor aris. "

Non dubito ab auctore potius sic scriptum

Quis fuit ille dies? Non annus longior ille est "
Attica quem docti collegit cura Metonis. "
Desertus vacuis solisque exerceor oris. "

Scripsi in Græculo auctore Marcellino, Meton: in Latino Vitruuio, Meto, quomodo & apud Varro. lib. viij. de ling. Lat. & apud Columell. lib. ix. scriptum est, Vtrunque ex prioris scripturæ vestigiis, & auctorum, vt opinor, mente. Quod eo monere volui ne quis temere id a me factum putet. Græcis Solon, Latinis Solo est. Atque id & Fabius & Priscianus monuere, & in bonis vetustisque Latinorum auctorum exemplaribus constanter & religiose seruatum est. Qua tamen in re, vnico fortasse Platonis nomine ab hac clade innoxio, passim vulgo peccatum videmus.

Quæ sit Gromatica disciplina, & de Terminorum defigendorum ritu.

Cap. XIIII.

HYginus librum scripsit Gromaticum, in quo castra metandi & loca oportuna in bello capiẽdi rationem tradidit. Eum me aliquando Lugduni apud Ludouicum Miræum cum aliis quibusdam Frontini de Coloniis, limitibus, & controuersiis agrorum libris nondum editis, vidisse memini, ex eoque inter cætera adnotasse, combinati verbum, quo & Sido. postea vsus est. Sed quod instat potius agamus. Vt ad castrorum metationem Gromatica disciplina pertinet, ita non dubito quin & ad agrorum mensuram pertineat. Sext. Pomp.
Groma appellatur genus machinulæ cuiusdam quo regiones "
agri cuiusque cognosci possunt, quod genus Græci dicunt "
γνώμονα. Apud Non. Gruma scriptum est, quo loco, Gruma "
(inquit) mensura est quædam qua flexæ viæ ad lineam diri- "
guntur, vt est agrimensorum. Apud Cassiodor. lib. iij. Var. "
vbi de agrorum mensura loquitur, sic lego. Hoc enim per "

„ Geometricas figuras & Gromaticam disciplinam ita diligenter agnoscitur. vulgo Grammaticam. Gromatis quoque & Gnomonis nomina in libris de limitibus leguntur: in quos quando hodie incidi, lubet ex Siculo Flacco terminorum defigendorum ritum hic exscribere. Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram conlocabant proxime ea loca quibus fossis factis defixuri eos erant, & vnguento velaminibusque & coronis eos coronabant. In fossis autem quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus, in fossa cooperti sanguinem instillabant, eoque fruges & tura iactabant: fauos quoque & vinum aliaque quibus consuetudo erat terminis sacrum fieri, in fossa adiiciebant. Consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant. Ex quibus lucem maximam accipiunt Apuleij loci qui sequuntur. Lib. j. Florid. Neque iustius religiosam moram viatori obiecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus. Et Apolog j. Iste nec Diis rurationis, qui eum pascunt ac vestiunt, segetis vllas, aut vitis, aut gregis primitias impertit: Nullum in villa eius delubrum situm, nullus lucus cõsecratus. Et quid ego de luco aut delubro loquor? Negant vidisse qui fuere, vnum saltem in finibus eius aut lapidem vnctum, aut ramum coronatum. Sed hæc omnia, inualescens sacratissima religio Christiana sustulit, vt Aggenus in lib. de limitibus & controuersiis agrorum scribit. Itaque Prudent. lib. ij. aduersus Simmachum sic canit.

Exercere manum non pœnitet, & lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis, aut Gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur terminus extis.
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat, cadit vltrici succisa bipenni.

Ex his etiam quilibet intelliget vnctum lapidem apud Lucretium de termino quoque accipi posse, dum ait.

Vnctum "
Vertier ad lapidem. "

Nisi de simulachro interpretari malit. Nam & apud eundem Prudent. lib. j. sic scriptum est.

Gustauerat inter "
Vagitus de farre molæ, saxæ inlita ceris "
Viderat, vnguentoque lares humescere nigros: "
Formatum Fortunæ habitum cum diuite cornu, "
Sacratumque domi lapidem consistere, paruus "
Spectarat, matremque illic pallere rogantem. "

Et Minutius Octauio, in lapides effigiatos & vnctos & coronatos impingere dixit, de simulachro Serapidis loquens. Sane coronatus lapis in Virgiliana Scopa, est sepulchralis, quod coronæ sepulchrorum pridem honos essent, vt Plin. auctor est, & Tertull. significat, dum ait, a seculo coronari & ipsas Libitinas.

Errores quidam ex peruersa notarum interpretatione conflati.

CAP. XV.

MVlta sunt in solemnibus veterum formulis peruersa notarum quibus scribi solent, vel scriptura, vel interpretatione corrupta. Nam vt cætera omittam, quæ pene infinita sunt, quam multis locis Frontini de aquæductibus, Suetonij & aliorum qui vetera S.C. retulerunt, male habet harum notarum interpretatio Q. D. E.R.F.P.D.E.R.I.C. quos vel hoc solo indicio cuilibet posthac facile erit restituere. Nunc duos ex aliarum notarum insolenti etiam interpretatione conflatos errores proposuisse, sat erit: Quorum alterum licet in libris nostris, id est, Iurisconsultorum extet, quia tamen proprie ad ius non pertinet, in subseciuum referre melius erit. Sic igitur. S C. de petitione hæreditatis verba apud Vlpianum nostrum concepta sunt lib. xv. Ad Edictum Pridie Idus Mar- "

» tias. Q. Iulius Balbus & P. Iuuentius Celsus Titius Aufidius,
» Oenus Seuerianus Consules verba fecerunt de ijs, quæ Imp.
» Cæs. Traiani Parthici filius, Diui Neruæ Nepos, Hadrianus
» Aug. Imp. Maximusque princeps proposuit v. Non. Martias,
» quæ proximæ fuerunt, libello complexus esset quid fieri placeat, de qua re ita censuerunt. Hæc est Pisani libri scriptura, cui coniecturæ nostræ gratiam debemus. Existimo autem sic
» primum scriptum & in acta relatum. PRID. ID. MARTIAS.
» QVOD Q. IVLIVS BALBVS, ET P. IVBENTIVS. CEL-
» SVS. T. AVFIDIVS. OENVS. SEVERIANVS. COSS.
» VERBA. FECERVNT. DE. IIS. QVÆ. IMP. CÆS.
» TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ. N. HA-
» DRIANVS. AVG. P. M. P. P. V. NON. MART. QVÆ.
» PROXIMÆ. FVERVNT. LIBELLO. COMPLEXVS.
» ESSET. QVID FIERI. P. D. E. R. I. C. Hæ notæ P. M. Pontificem Maximum significant vt illæ P. P. Patrem Patriæ quas tamen aut Triboniani ipsius, aut posteriorum temporum librarii inepte & peruerse ita interpretati sunt, vt superessent hæc omnia, Libello complexus esset. Sed hanc coniecturam & emendationem nostram facile admissurus probaturusque est, quisquis in huiusmodi formulis & antiquis inscriptionibus paulo diligentius erit versatus. Apud Ciceronem lib. iii. Epist. ad Attic. Rogationis cuiusdam verba sic lego. QVOD. EI. QVI. PROMVLGAVIT. ABROGAVIT. DEROGAVIT. OBROGAVIT. EA. RES. POENÆ. MVLTÆVE. NON. SIT. E. H. L. N. R. Posteriorum notarum quæ in optimo exemplari corruptæ fuerat, interpretatio a Probo tradita hæc est, Eius hac lege nihilum rogatur. Sed & apud eundem Cicero. lib. iii. de Rep. sic legendum re-
» ponendumque censeo, Huic legi nec obrogari fas, nec de-
» rogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Qui locus ab Augustino refertur in libris de Ciuitate Dei: apud quem tamen perperam, vt opinor, scriptum est, propagari: cum & in Philippicis hæc tria idem Tullius sic coniunxerit, & veteres legi propagare non dixerint, priori aliquid adie-

ctum

ctum significantes, sed subrogare, vt Vlpianus noster scribit in fragmentis.

Quid sit in Antliam apud Sueton. Tranquill. lib. iij.

Cap. XVII.

HAuriendæ aquæ instrumenta hæc referuntur, Rotæ, Tympana, Cocleæ, Tollenones siue Tollones, pro quibus perperam vt opinor apud Isidor. lib. vlt. Ethimolog. Telones scriptum est. Columellæ sane versus in Hortulo, cui Tollonum siue Celonum nomen aliquando adfinxit Nicol. Leonicus, in veteri exemplari ita conceptus legitur,

Ne labus haustyris tendentibus illia vellat: "

Vnde bella coniecturæ occasio est reponendi,

Ne labor hausturis tendentibus illia vellat. "

Hausturis, id est, iis qui hausturi sunt. nisi forte quis malit hausturis pro haustris dictum. Quod ego probare non ausim. Haustra sunt ἄντλια, vt in illo Lucretij versu Nonius notat.

Vt fluuios versare rotas atque haustra videmus. "

Vbi tamen haustra rotarum cados interpretatur, id est, (vt Vitruuius loquitur) modiolos. ἄντλια porro machinæ quoque haustoriæ genus esse videtur apud Valer. Martialem lib. ix. dum scribit,

Sed de valle breui quas det sitientibus hortis "
Curta laboratas Antlia tollit aquas. "

Fuerunt etiam apud Græcos Rota & Tympanum eculei & quæstionis potius, quam vltimi supplicij genera. Et de Tympano quidem exempla sunt apud Theoderit. lib. viij. & ix. Græcar. affect. quæ addi poterunt iis, quæ de rota a doctissimis viris proposita sunt. Existimo autem veteres, quemadmodum ad triremis publicæ remum, ita & ad rotas aquarias & antlias publicas, reos aliquando damnare solitos. De priori pœnæ genere, exempla sunt apud Valerium Maximum lib. ix. & Zonar. To. j. vbi de Pseudo-Alexandro loquitur, de quo & Ioseph. lib. xvij. diuersis verbis idem scribit. De

» posteriore,hoc nũc profero ex Sueton. in Tiberio. Testamen-
» tum quoque eius (id est Liuiæ) pro irrito habuit omnesque
» amicitias & familiaritates, etiam quibus ea funeris sui curam
» moriens demandarat, intra breue tempus afflixit, vno ex his
» equestris ordinis viro & in Antliam condemnato. In impressis, & iis quidem melioris fiduciæ libris scriptum est. In Antiliam, adiecta mendi nota. Sed eam esse genuinam Tranquilli scripturam, quam prius retuli ego vero non dubito: Quamuis non ignorem apud veteres, familias quoque fuisse aquæductibus deputatas, earumque diuersas ministeriorum species, quarum & Frontinus in libro de Aquæductibus & Cassiodor. lib. iij. Variar. meminere. Aliud quoque ex Rota aquaria quodammodo supplicij genus Lamprid. in Alexan-
» dro sic describit, Parasitos ad rotam aquariam alligabat, &
» cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum
» reuoluebat. Eosque Ixionios amicos vocauit.

Quintiliani locus expensus, in quo horchistræ nomen corruptum videtur.

Cap. XVII.

» QVid quod eadem quæstio potest eundem vel accusato-
» rem facere vel reum? Qui artem ludicram exercuerit,
» in xiiij. primis ordinibus ne sedeat. Qui se Prætori in hortis
» ostenderat, neque erat productus, sedit in xiiij. ordinibus.
» Nempe intentio est, Artem ludicram exercuisti. Depulsio,
» Non exercui artem ludicram. Quæstio, Quid sit artem ludi-
» cram exercere. Si accusabitur theatrali lege, depulsio erit rei.
» Si excitatus fuerit de spectaculis, & aget iniuriarum, depulsio erit accusatoris. Locus hic est apud Fabium Quintilianum lib. iij. Instit. cap. vj. In omnibus omnino, quæ mihi adhuc videre contigit, exemplaribus quamlibet vetustis, ita conceptus vt proposui. Quod eo dico, ne quis temere coniecturis nostris fidem adhibeat. In eo memini, nec vnquam

obliuiſcar, Petrum Fabrum v.c. & doctiſſimum dixiſſe aliquando, videri ſibi pro Prætori reponendum P.R. id eſt, populo Romano. Quod ego licet Prætorem ludos interdum curaſſe ſciam, facile tamen adducor vt recipiam: cum & Doctor noſter ſimilem, pene omnino Vlpiani locum ad Paulum annotauerit. Verum in proximis Quintil. verbis mendum nonminus latere ſuſpicor, & pro in hortis, legendum, in horchiſtra. Sic apud Auſon. in ludo vij. Sap. vbi antea in impreſſis legebatur,

Hodieque in hortis palliati prodeunt.

Emendatum eſt ex veteri libro, rectiſſime,

Hodie in horchiſtram palliati prodeunt
Quid erubeſcis tu togate Romule,
Scænam quod introibunt tam clari viri?
Nobis pudendum, non & Atticis quoque
Quibus theatrum Curiæ præbet vicem.

In horcheſtra, ludicra exercebantur. Vnde & Caſſiodor. lib. iiij. Variar. Theatrales ludos deſcribens, His (inquit) addita ſunt horchiſtratum (ſic lego) loquaciſſime manus linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita quam Muſa Polyhymnia reperiſſe narratur, oſtendens homines poſſe & ſine oris affatu ſuum velle declarare. Erant in horcheſtra Senatorum ſedibus loca deſignata. Erant & in xiiij. gradibus horcheſtræ primis vel proximis equitum ſedes. Nam & his lege ſua in theatro loca reſtituit Otho Roſcius. (Sic lego apud Velleium Patercul. lib. ij. vbi Rhenani codex habet Horoſcius.) inde horchiſtram & populum Iuuenal. dixit pro primoribus & plebe. Lege vero Theatrali a xiiij. primis prohibebatur, qui artem ludicram exercuiſſet, vt Fab. ait. Et hæc fortaſſe pœna etiam fuit eius legis, qua Vitellius cauit ne Senatores equiteſue, gladiatoriam aut ludicram artem exercerent. Id Zonar. ex Dione ſic exprimit. ἀπηγόρευσε δὲ καὶ τοῖς βουλευταῖς καὶ τοῖς ἱππεῦσι μονομαχεῖν ἢ ἐν ὀρχήστρᾳ θέαν τινὰ παράγειν. Qui locus coniecturam noſtram confirmat. Refertur & a Quintiliano Declamat. cccij. lex hæc, Gladiator in xiiij. gradibus ne ſedeat. Cæterum de quæſtione a Fabio propoſita ſic iudico: Eum qui ludorum tempore in Scæna vel Horcheſtra a populo Roma-

no visus sit, quamuis se auctorauerit, si tamen artis causa non prodierit, a xiiij. primis gradibus non arceri: quia nec infamia notatur. Multo vero minus gradibus prohibebitur qui spõte sua in Horchestra se populo Romano ostendit, non auctoratus, non ab alio productus, aut spectaculi tantum, aut etiam artis ipsius exercendæ gratia. Et hæ quidem nouis moribus leges sub Impp. receptæ sunt, quibus non adeo turpis res hæc habita est, vt etiam consilium puniri debuerit. Sed antiquis Censoriæ seueritatis exemplis non conueniunt. Quod ergo a me ἔργον παρεργῶς ex instituto dictum accipi velim. Producti autem verbum, quo Fabius vtitur, proprie de venalibus dicitur: Itemque de iis qui operas locarunt artis ludicræ causa, & de testibus. Dicitur & de prostitutis, cuius exemplum vnum proferam, in quo vulgo perductæ legitur. Sueton. in Vespas.
" Expugnatus a quadam quasi amore sui deperiret, cum pro-
" ductæ concubitu H-S CCCC. donasset. Sic in optimo libro scriptum est. Apud Tertullianum in Apologet. præductores pro productores perperam scriptum dicerem, ni meminissem Asconium in Verr. iij. scribere, lenones esse scortorum Perductores, etiam inuitarum personarum, & in quibus stupra exercita legibus vindicantur.

M. Ciceronis ex Epist. ad Attic. itemque L. Apuleij & Sulpitij Seueri loci emendati.
CAP. XVIII.

APud Ciceronem lib. ij. Epist. ad Atticum in optimo
" exemplari sic scriptum reperi. Cyrus aiebat viridiorum
" διάφασεις latis luminibus non tam esse suaues. Vulgo tamen legitur radiorum. Ego veterem lectionem temere reiicere non ausim, præsertim quæ sensum rectum commodumq; habeat. Solebant enim veteres ita lumina fenestrarum posita habere, vt per earum spacia in viridia prospectus esset, quemadmodum de Oecis Vitruuius scribit lib. vj. Hunc prospectum non tam suauem putauit Cyrus Architectus (in cuius nomine lusit Cic. cum Cyropædiam dixit) si latiora essent lumina. Ad-

iicit rationem, quæ fortaſſe veteris lectionis exturbandæ cauſſam præbuit, Nunc fit lepide illa ἔκχυσις radiorum. Quæ vt intelligatur videndus eſt Gell. lib.v.cap.xvj. Et Apuleius Apolog. j. Cuius verba quia valde peruerſa corruptaque ſunt, meo iudicio emendata ſubiiciam. Cum vt ait Epicurus, profectæ a nobis imagines, velut quædam exuuiæ iugi fluore a corporibus manantes, cum læue aliquid & ſolidum offendunt, illico reflectantur, & retro expreſſæ controuerſim reſpondeant: An, vti alij philoſophi diſputant, radij noſtri ſeu mediis oculis proliquati, & lumini extrario mixti atque muniti, vt Plato arbitratur, ſeu tantum oculis profecti, ſine vllo foris adminiculo, vt Architas putat, ſeu intentu aëris fracti (radiis ſcilicet oculorum) vt Stoici rentur, cum alicui corpori incidere ſpiſſo, & ſplendido, & læui, paribus angulis quibus inciderant, reſultent ad facies ſuas reduces, atque ita quod extra tangunt & viſant, id intra ſpeculum imaginentur. Vulgo male pro illico, illi ſe, & pro aëris fracti, veri facti legitur: Non omnino diſſimili errore, quo & apud Seuerum Sulpit. hiſtor. ſacr. lib.ij. (Id enim obiter quoque ſcribere iuuat) aëre Veris, pro, Treueris, Vero, pro, Nero. Itemque apud Suet. in Tiberio, Pater Tiberij Nero Quæſtor. C. Cæſaris, &c. Placet & hic ex pluribus locis, quos in illis ad Attic. Epiſtolis, vel ex recta vetuſtiſſimi libri, quem tantopere laudamus, ſcriptura, vel reliquis ipſius veſtigiis ducti ex ingenio emendauimus, alterum hic adiicere. Nec me quiſquam putet cum toties veterum & manuſcriptorum librorum mentionem facio, Scyllas aut Chimeras dicere: Serio verum amo, & quod mihi aliquando videre contigit, teſtis oculatus bona fide refero. Canes, rabulas, denique vitiligatores nihil moror. Atque hoc, pace omnium ſemel dixiſſe liceat. Apud Cicer. igitur li. ij. ad Attic. in eo codice ſic ſcriptum eſt. Quinetiam dubitem an hic Antij conſidam, & hoc tempus omne conſumam, vbi quidem ego mallem Duumuirum quam Romæ fuiſſe. Quid eſt vero hac ſcriptura terſius, quid elegantius? Duumuiri ſunt tanquam Conſules in municipio: Conſules tanquam Duumuiri Romæ: vt & Decuriones Senatorum lo-

co ſunt, quorum etiam curia minor Senatus legibus aliquando appellata eſt, vt Caſſiodorus ſcribit in libris Variar. Significat igitur Tullius malle ſe Duumuirum & quaſi Conſulem Antij quam Romæ fuiſſe. Cæterum vt Latina quædam oppida habuerunt Ædiles ſuos, & Dictatores, & Quæſtores, ita & ciuitates quaſdam Galliæ Conſules etiam habuiſſe Auſonius indicare videtur, de Burdigala ſic ſcribens,

» *Diligo Burdigalam, Romam colo, ciuis in illa*
» *Conſul in ambabus, cunæ hic, ibi ſella curulis.*

Nec in his modo vrbis dominæ, quæ τῆς οἰκουμένης ἐπιτομὴ, non immerito dicta eſt, maieſtatem cæteræ quoque ciuitates, municipia, coloniæ ſtudioſe imitatæ ſunt, ſed & in pleriſque aliis: adeo vt arcibus quoque ſuis Capitolij nomen impoſuerint. Ac Narbonenſis quidem & Tholoſani Capitolij Sidonius & Gregorius meminerunt: Carthaginenſis, Cyprianus in tractatu de Lapſis: Suetonius in Tiberio, Capuani.

C. Plinij de medicis ex lib. xxix. locus difficilis expoſitus.

Cap. XIX.

PErurbane olim Poëtarum quidam dixit, Medico & Iudici hominem occidere impune licere. Gratis id modo & ſine præmio fieret, profecto minus graue aliquanto, & fortaſſe tolerabilius videretur. Maior vero eſt in hoc ſcelere & parricidio medicorum quam iudicum licentia. Quod Plinius oſtendere volens, quamque interdum temere medicis nos
» noſtraque committamus & credamus, Decuriæ (inquit) pro
» more cenſuris principum examinantur. Inquiſitio per parie-
» tes agitur: & qui de nummo iudicet a Gadibus columniſque
» Herculis accerſitur. De exilo vero non niſi die XL. quinque
» electis viris datur tabella. At de Iudice ipſo quales in conſi-
» lium eunt ſtatim occiſuri? Hic vnum illud quæro, Quid ſit quod Plinius ſcribit inquiſitionem per parietes agi. An hoc de quæſtione furti accipiemus? de qua & Petronius Arbiter

Qui eſt vn fort ſage temperament, pour ſeruir comme de lien & entretien cõmun des deux puiſſances, ſi que l'vne & l'autre n'ont iuſte occaſion de ſe plaindre, & beaucoup moins que des inhibitions & autres moyens qui ſe pratiquẽt ailleurs, meſmes par ceux qui ſe vantent d'extreme obeiſſance plus de parole que de faict.

Au ſurplus, tous ceux qui iugent droictement des choſes, peuuent aſſez recognoiſtre de quelle importance a eſté, & eſt encores autant & plus que iamais, la bonne & entiere intelligence d'entre noſtre S. pere le Pape & le Roy de France, lequel pour tres-iuſtes cauſes & treſgrandes merites, a emporté ſur tous autres le tiltre de treſ-Chreſtien, & premier fils & protectur de l'Egliſe. Et pour ce doiuent-ils en general & en particulier eſtre d'autant plus ſoigneux d'entretenir les liens de ceſte concorde par les meſmes moyens qui l'ont faict durer iuſque à cy, ſupportans pluſtoſt les imperfections qui y pourroient eſtre, que s'efforçans de roidir outre meſure les cordes d'vn nœud ſi franc & volontaire: de peur que par trop ſerrer & reſtraindre, elles ne ſe relaſchẽt, ou (qui pis ſeroit, ce q̃ Dieu ne vueille permettre) rompent tout à faict, au dãger & dommage certain de toute la Chreſtienté, & particulieremẽt du ſainct Siege, duquel vn de ſes plus ſages Prelats a treſ-prudemment recognu & teſmoigne par eſcrit que la cõſeruation des droits & prerogatiues de la couronne de France eſtoit l'affermiſſement.

Prouerb. XXII.

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

Eccli. X.

Qui dißipat sæpem, mordebit eum coluber.

Πρὸς Γαλάτας ε.

Υμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθεία ἐκλήθητε, ἀδελφοί· μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. Ο γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πληρουται, ἐν τῷ, Ἀγαπίσεις τὸν πλησίον ὡς ἑαυτόν.

ECCLESIÆ GALLICANÆ IN SCHISMATE STATVS.

Ex Actis publicis.

ESTAT DE L'EGLISE GALLICANE DVRANT LE SCHISME.

Extraict des Registres & actes publiques.



TABLE DV CONTENV OV PRESENT RECVEIL.

Charles VI. *&* VII.

Loys XI.

Charles VIII.

Loys XII.

Henry II.



LECTORI.

SI quisquam est qui hæc a nobis schismatis vel excitandi, vel formandi, fouendique studio edita putet, næ ille longe fallitur, aut certe calumniatur & malignus est. Testamur Deũ mentium regem solum, secretorum æque ac manifestorum iudicem vindicemque nihil tam nobis odio esse quam dissensionem, quam scissuram, communis hostis votum atque opus: nihil tam cordi quam pacem, quam vnitatem fidei & charitatis mutuæ germen, iustitiæ sororem, omnium bonorum matrem. Absit a catholica discedendi animus, extirpetur potius discordiæ fomes vndecumq; est, &, si Comicis verbis in re Tragica vti licet, Pereant qui inter nos discidium volunt. In eadem gente, in eadem familia, quæ vnius nomen præfert, non sit Iuda & Israel, Hierusalem & Samaria, Sion & Bethel aut Garizim: simus potius vnũ omnes, vnum spiremus sub vno capite, sub vno Duce, qui pater est misericordiarũ, auctor caritatis, princeps pacis. Ad quid igitur ista? inquies. Dicemus libere, vt ingenuos decet, seu ius hoc gentis, seu quis vitium interpretetur. Cũ hereditariorũ & coniuratorũ Regni hostiũ artibus ac dolis, nostratiũ etiã quorundã imprudẽtia an perfidia, licet vtrimq; fidei & religionis sacrum nomẽ veluti syparium prætẽdatur, periculosissimo schismati viam aperiri cerneremus ac serio doleremus,

visum est bonis viris & retinendæ vnitatis studiosissimis, Bonum factum, hoc quasi obiice in præcepitiũ ruentes interim sufflaminare, quo simul discãt, & rem esse vtrisq; periculi plenam: at væ illis ab æterno Pontifice pridem dictum, quibus iuste imputari scandalum possit: ac, si quidem deinceps in nos iusta Dei ira eo vsque exasperetur, vt in terris non satis inter mortales cõueniat, quod is auertat qui dat pondus ventis, & motũ fluctuũ maris mitigat, illos quidem quantum in nobis est, vel supplices deprecemur, homines etiam se esse meminerint, nec vltra sibi vsurpẽt quod concessum non est, diiudicare cogitationes aliorũ, sed Deo sinceras præbeant suas etiam pro illis de quibus forte aliquid dubitant: expendantque secum illud Sapientis, quod in non dissimili causa maiorum gentium Patres vsurparunt: Scindens ligna periclitabitur in eis, si exciderit ferrum: Istos verò fraternè moneamus, sic tempestati obsequi, vt, quod saluis patriæ legibus possunt & debent, portum semper spectent, nec se à communis matris gremio diuelli ac distrahi longiùs patiantur, scientque nec iustitiam hominum coronare, nec culpam dãnare Ecclesiam. Et faxit Dominus ne in Oniæ votum illud coactum paullo impatientiores tandem erumpant: Deus Rex omnium, petimus vt neque istos exaudias contra illos petentes, neque illos contra istos orantes: Quin potius cum sanctissimo antistite vno omnes ore precemur: Domine Iesu Christe, qui pax es nostra, qui fecisti vtraque vnum, fac nos vnum, vt vere tandem cantemus, Ecce quàm bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Redde concordiam, pelle discordiam, introduc teipsum in titulos tuos. tu mane: nec alter possideat, & de tuis velis fallat. Amen.





AROLVS Dei gratia Francorum Rex, Vniuersis præsentes literas inspecturis, Salutem. Notum facimus quod cum nuper in præsentia principum nostræ prosapiæ, videlicet Regis Siciliæ consanguinei, Bituriæ patrui, Burgundiæ consanguinei, & Borbonij auunculi, Comitis Niuernensis consanguinei, & aliorum procerum regni nostri prædicti, tunc pro nobis & nomine nostro existentium in Concilio Prælatorum, Capitulorum, Abbatum, Conuentuum & Collegiorum, Vniuersitatum, & aliorum virorum Ecclesiasticorum nostrorum Regni & Delphinatus Viennensis, ipsas Ecclesias repræsentantium, super materia vnionis sanctæ matris Ecclesiæ & super bono statu & regimine Ecclesiarum dictorum Regni & Delphinatus, in aula alta supra Secanam domus seu palatij regalis Parisius congregatos, aliqua fuissent proposita & exposita luculenter & diserte per Aduocatum nostrum Regium, ad instantiam etiam Procuratoris nostri generalis, tendentia & conferentia ad conseruationem iuriũ & libertatum dictarum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum dictorum Regni & Delphinatus, præsertim quoad modum assumendi ibidem personas ad prælaturas & dignitates, aliaque beneficia Ecclesiastica, & vt reducerentur dictæ Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ ad suam pristinam & canonicam libertatem, prouideretur que contra graues vsurpationes & interprisias, quas contra hoc fecerunt Romani Pontifices ab aliquibus annis citra, concludens & requirens quod super propositis per eum deliberaretur in dicto Concilio, ac-

etiam prouideretur pro futuro, ſicut foret ſecundum Deum & iuſtitiam iuſte & rationabiliter prouidendum:& huiuſmodi materia fuiſſet in noſtra præſentia inter dictos Prælatos & viros Eccleſiaſticos diutius & plurium dierum interuallis diſcuſſa, agitata, & diligenter pertractata: Tandem quæ circa hoc fuerant per eos aduiſata & deliberata nobis ad plenum intimare & referre curantes, expoſuerunt, grauiter conquerendo, quod quamuis Papæ poteſtas ſit ad paſturam ſpiritualem gregis Dominici, & conſeruationem ſtatus ac hierarchiæ myſtici corporis Eccleſiæ principaliter ordinata, nec ſibi conueniat aut liceat ad proprium trahere commodum quæ propter perpetuam vtilitatem ſunt ad bonum commune præfixa, nec transgredi deberet terminos quos poſuerũt patres noſtri, qui ſingulis quibuſque Eccleſiis decreuerunt ſua iura ſeruanda, vt ſic in corpore ipſius Eccleſiæ vera concordia ſeruaretur: cũ non poſſet hęc Eccleſiaſtica politia ratione ſubſiſtere, niſi eam huiuſmodi magnus differentiæ ordo ſeruaret; omniaque ea, quæ ſanctorum Patrum Concilia decreuerunt, integerrima perpetuaque ſint approbatione veneranda, nec ſint (præſertim quando nec vlla neceſſitas, nec Eccleſiaſtica prorſus extorquet vtilitas) aliqua ratione violanda. Statutis autem Conciliorum generalium, ac decretis ſanctorum Patrum, pro bono regimine ac conſeruatione perpetua ſtatus Eccleſiæ, inter alia noſcitur ſalubriter inſtitutum, quod Prælati ad Eccleſias quaſcumque cathedrales & collegiatas per electionem illorum de collegio, & eorum conſenſu aſſumantur:& quoad ſanctas Eccleſias cathedrales per ſuum Metropolitanum, alij vero per loci Dioceſanum confirmentur, & per eundem alia beneficia ſuæ Dioceſis perſonis idoneis conferantur: vel ſi fuerint patroni, ad eorum præſentationem inſtituantur in eis: quamuis etiam illa ſint magnopere præcauenda, ex quibus inducitur via delinquendi, & maxime vbi deſiderandæ ſeu captandæ alienæ mortis votum & occaſio miniſtratur, viaque aperitur ad beneficia vacatura, ſitque naturali ratione dictante per concilia generalia ſimiliter inſtitutum, quod beneficia Eccleſiaſtica vacatura promitti non debeant, nec dari ius ex-

pectationis ad ea: fuerintque omnia prædicta in Ecclesia sancta Dei, sicut permittitur, hactenus, vsque ad tempus quorumdam nouissimorum Romanorum Pontificum inuiolabiliter obseruata: Nihilominus tamen ab aliquibus annis citra, Romani Pontifices, contemptis præfatis sanctorum Patrum & Conciliorum generalium decretis, & eis penitus non seruatis, omnes Ecclesiasticas dignitates Cathedrales & collegiatas & alias quascumque post Episcopalem maiores indifferenter suæ dispositioni reseruauerunt, gratias ad vacatura beneficia, per quod contra sancta generalia Concilia occasio votumque alienæ mortis ingeritur, & via ad vacatura contra rationem aperitur, indistincte & sine limitatione quacumque omni petenti concesserunt, modos innumerabiles introduxerunt, quibus potestas Prælatorum, Capitulorum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque penitus absorbetur, apponendo prohibitiones, & decreta, quibus etiam ignorantes volunt esse ligatos, diuersas fulminando sententias in contrarium facientes, adeoque vix reperiatur aliquis, aut nullus, cui etiam vnicum beneficium conferendi aut presentandi ad aliud, sit relicta facultas: clausulas etiam varias, & interdum inexplicabiles suis in bullis solent apponere, regulas diuersas, aut præter, aut contra ius nunc constituunt, nunc reuocant: vt etiam perspicaciter discernenti apparere non valeat, quis inter plurimos impetrantes videatur ius habere: intrusiones in beneficiis inde sequuntur, grauissima litigia oriuntur, quæ cum magnis expensis, & in preiudicium regnicolarum ducuntur extra regnum: & cũ promouentur aliqui ad dignitates electiuas, cessant banna & euocationes, quæ de iure ad probandas electiones & personas fieri statuuntur. Propter quod, cum non possit Romanus Pontifex omnium hominum & status Ecclesiarum habere notitiam, sæpe contingit indignos & indigne ad huiusmodi dignitates assumi, & tales interdum qui tantummodo probati sunt argento: quique numquam in loco beneficij morabuntur: Occasione autem præmissorum iura beneficiorum depereunt, ædificia corruunt, & cultus diuinus minuitur: Hæc

dederunt occasionem reseruandi vacationum annatas, & infinitas pecunias extorquendi, per quæ Regnum pecuniis & opibus continue vacuatur: Ex iis datur occasio aut per fas aut nefas ad Papatum aspirandi, & adeptum contra bonum regiminis & vnionis Ecclesiæ retinendi, ad ditandum potius, sublimandumque se & suos: Hinc etiam fraudatur multipliciter intentio fundatorum, & statuta Conciliorum generaliũ, decretaque sanctorum Patrum ac iura relinquuntur inania, quæ, ex quo aliter non seruantur, frustra videntur occupare membranas. Infelices autem Episcopi si sic eis indistincte sua interdicunt officia, in Ecclesia quid faciunt? Et sic agendo nil aliud agitur, nisi vt Ecclesiasticus ordo, qui maxime per Papam illæsus seruari debuit, confundatur, ac etiam dissipetur. Propter quæ & alia quæ dictos Prælatos & alios in dicto Consilio congregatos, rationabiliter mouere poterant & debebant, deliberauerunt & concluserunt in modo quo sequitur. Videlicet, quod de cetero, sicut volunt statuta Conciliorum generalium & decreta sanctorum Patrum, per electiones Capitulorum, Conuentuum, & Collegiorum, conuentionesque superiorum, Ecclesiis cathedralibus, Collegiatis, cæterisque beneficiis electiuis, tam regularibus quam secularibus, necnon per præsentationes, collationes, & institutiones per illos ad quos de iure communi, priuilegio, vel consuetudine spectat, faciendas prouideatur, cessantibus & reiectis omnino ac non obstantibus quibuscumque & quorumcumque reseruationibus generalibus vel specialibus, ac prohibitionibus, expectationibus aut gratiis, etiam cum decreti appositione ex parte Papæ, vel eius auctoritate factis, aut faciendis, seu concessis, aut concedendis, quo vsque per Concilium generale canonice celebrandum aliud fuerit ordinatum: ad cuius Concilij ordinationem dicta Ecclesia Gallicana & Delphinatus se summittit. Supplicabant igitur humiliter & deuote, quatinus nos ipsorum deliberationi & conclusioni conformanter adhærentes, ipsas gratas habere, & dictas Ecclesias, & viros Ecclesiasticos nostrorum regni & Delphinatus quoad prædicta ad suam libertatem antiquam & iuris communis di-

ſpoſitionem, quantum in nobis eſt, reducere, & in eadem libertate eos conſeruare & manu tenere, omnia ad contrarium impedimenta ſubmouendo, dignaremur. Nos igitur attendentes, quod ſicut ſacerdotes debitores ſunt, vt veritatem quam audiuerunt a Deo, libere prædicent: ſic princeps debitor eſt, vt veritatem quam audiuit a ſacerdotibus probatam quidem ſcripturis, defendat fiducialiter, & efficaciter exequatur, habita prius deliberatione matura & tractatu diligenti cum pluribus de genere noſtro Principibus aliiſq; viris notabilibus & famoſis dictorum Prælatorum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum, ac Procuratoris noſtri ſupplicationẽ, & requeſtam, iuſtam, & rationabilem, ſanctorumque Patrum, & Conciliorum generalium decretis, conformem reputantes, eam in forma, ſicut præmittitur, de noſtra certa ſententia duximus admittendam, prædictas deliberationes & concluſiones ratas habentes, dictas Eccleſias, & viros Eccleſiaſticos quoad prædicta ad ſuam libertatem antiquam & iuris diſpoſitionem reducendos eſſe cenſemus, & quantum in nobis eſt, reducimus, eoſque in eadem libertate per nos de cetero manu teneri & conſeruari volumus, per præſentes: mandantes, & diſtrictius iniungentes, dilectis & fidelibus Conſiliariis noſtris Gentibus noſtrũ præſens tenentibus, & qui in futurum tenebunt Parlamentum, Bailliuis, Præpoſitis, Seneſcallis, Iudicibus, Vicariis, ceteriſque iuſticiariis & officiariis noſtris, in noſtris Regno & Delphinatu memoratis conſtitutis & conſtituendis, vel eorum loca tenentibus, & eorum cuilibet prout ad ipſum pertinuit, quatinus omnia præmiſſa & ſingula prout ſuperius ſunt expreſſa, in omnibus & ſingulis ciuitatibus, villis & locis inſignibus Regni, & Delphinatus prædictorum debite, & vt in talibus eſt fieri conſuetum, publicari faciant, & ab omnibus quorum intererit, inuiolabiliter, & integraliter obſeruari: & dictas perſonas Eccleſiaſticas, dictis electionibus, poſtulationibus, præſentationibus, & collationibus, ſecundum modum & formam præmiſſorum ab omni turbatione & violentia defendant: omnes quaſcumq; perſonas contrauenientes, cuiuſ-

cumq; ſtatus ſeu conditionis exiſtant, puniendo taliter, quod ceteris cedat in exemplum. Nam pręmiſſa ſic fieri volumus & iubemus per præſentes. In cuius rei teſtimonium pręſentibus literis noſtrum iuſſimus apponi ſigillum. Datum Pariſius die decima octaua Februarij anno Domini 1406. & regni noſtri viceſimo ſeptimo. Sic ſignatum per Regem, cum conſilio & aſſenſu dominorum Ludouici Siciliæ Regis, Ducum Aquitaniæ, Bituriæ, & Aurelianenſis, atque Borbonij veſtriq; necnon Patriarchæ Alexandriæ, ac Prælatorum & procerum, necnon plurimorum aliorum Eccleſiaſticorum virorum & ſecularium de Conſilio magno Regis, de Monſtero. Lecta & publicata in Curia decima quinta die menſis Maij, anno Domini 1408.



KAROLVS Dei gratia Francorum Rex vniuerſis præſentes literas inſpecturis, Salutem. Si dotare, vel ditare nouas Eccleſias, & veteres opibus ampliare, opus eſt perſpicue charitatis: & multo præſtantius eſt releuare depreſſas, & grauatis congrua ſuffragia exhibere. Lamentabilem ſiquidem querimoniam, noſtri Procuratoris, ac plurium Primatum proſapiæ noſtræ, nec non Prælatorum, Capitulorum, Collegiorum, Conuentuum, ac Cleri Regni noſtri, & Delphinatus, ac etiam dilectæ filiæ noſtræ Vniuerſitatis Pariſienſis, recepimus continentiæ ſubſequentis: videlicet, quod quamuis ſecundum Apoſtolicam doctrinam, Papæ poteſtas a Chriſto ſit ad Eccleſiæ ædificationem, non ad deſtructionem ordinata, & ad iuſtitiam certumque iudicium extendatur, cui nec competit pro libito facultas, exactiones, angarias, & tyrannides ſuper Eccleſias, aut ſubditos extendi, cum Dominus docuerit paſcere gregem & docere, non terrenis lucris inhiare, aut auaritiis delectari, ſintque fructus Eccleſiarum & beneficiorum quorumcumque etiam vacantium, tam ſecundum diſpoſitionem Conciliorum generalium & iurium, quam ſecun-

dum piam intentionem fundatorum ordinati ad ſuſtentationem miniſtrantium in diuinis, ipſiuſque diuini cultus augmentum, alimentationem pauperum, redemptionem captiuorum, Eccleſiarum ſacrorumque ædificiorum reparationem, terrarum & poſſeſſionum Eccleſiæ culturam, iurium ipſarum conſeruationem, ceterorumque onerum incumbentium ſupportationem: adeo & quod bona per Prælatos poſt eorum obitum dimiſſa, futuris debent ſucceſſoribus reſeruari, in Eccleſiæ vtilitatem conuertenda: niſi forte in illis locis Regni vbi de vſu & conſuetudine notorie obſeruatis, licitum ſit Prælatis ipſis & aliis viris Eccleſiaſticis ſecularibus, de eiſdem bonis facere teſtamentum, quibus etiam ab inteſtato, in dictis bonis, ſecundum conſuetudinem & obſeruantiam ſupradictas, ſui ſuccedunt heredes: hocque licet fuerit decretis ſanctorum Patrum inſtitutum, vt Prælati Eccleſias ſibi ſubditas annis ſingulis viſitare deberent, quatinus ſic docerent indoctos, corrigerent exceſſus, mores reformarent, Eccleſias reſtaurarent, & cetera Prælatis incumbentia ad Dei honorem exercerent, ac per hoc procurationes in victualibus aut pecunia reciperent, ad optionem viſitati: nihilominus tamen aliqui collectores & alij officiarij Romanorum Pontificum, præſertim Papæ moderni, ab aliquibus annis citra, Eccleſiam & viros Eccleſiaſticos præfatorum Regni & Delphinatus noſtrorum, contra prædicta, plurimis iugibuſque & importabilibus ſeruitutibus oppreſſerunt & afflixerunt, potiſſime bona Prælatorum & virorum Eccleſiaſticorum decedentium, tam regularium, quam ſecularium, quæ ſpolia defunctorum interdum nuncupantur, reſeruando & vſurpando, fructus Eccleſiæ, tempore vacationis prælaturarum aut beneficiorum Eccleſiaſticorum obuenientes, leuando & capiendo, arreragia præteritorum & incognitorum temporum, tanquam debita, per fulminationem cenſurarum Eccleſiaſticarum exigendo, a beneficiatis quibuſcumque primam annatam expetendo & extorquendo, cuius annatæ medietatem, quoad maiores dignitates, Collegio Cardinalium

consueuerant assignare, & annatam huiusmodi vna cum quadam pecuniæ summa, quam vocant minuta seruitia, & quam pro familiaribus esse dicunt, cum exactione iuramenti, & sub pœnis periurij, & aliis diuersis pœnis & censuris hactenus exegerunt: Procurationes vero, quæ Prælatis, & aliis ratione factæ visitationis tantummodo debentur, capiendo & leuando in pecunia numerata, licet visitationis officio non impenso: ab illis autem qui ad procurationem nullatenus tenebantur, tantundem, quod tunc vocant æquiualens; exigendo, decimas & alia subsidia, tractatu non habito cum Prælatis, pro libito voluntatis imponendo: In iis etiam exigendis, sicut nec modus, sic nec misericordia nec æqualitas seruatur, aut mensura: & cum Prælatis prohibeatur administrare sine bullis, quicquid placet, soluere inde compelluntur, quoniam alias bullæ nequaquam expedirentur, prout dicunt, ex quo beneficium Ecclesiasticum obtineri videtur cum pretio vel mercede, quod pro bono communi potius deberetur scientiæ aut virtuti: sicque qui sufficientissimi sunt, si pauperes fuerint, nullatenus promouentur: Propter quæ & alia innumera grauamina Ecclesiæ ipsæ, & monasteria, & earum ædificia multis in locis dictorum Regni nostri & Delphinatus irreparabiliter corruunt, hereditagia conspiciuntur inculta, immobilia interdum de facto alienantur aut impignorãtur, mobilia etiam preciosa reliquiarum vasa. Ecclesiastica ornamẽta, calices, libri, & similia interdum etiam vili pretio distrahũtur, nemora non cædua frequentius inciduntur & venundantur, & Ecclesiæ innumerabilium mole debitorum importabiliter onerantur: propter quod numerus Deo seruiẽtium ministrorum, quia sustentari in consueto numero non valeret, minuitur, & qui remanent Deo & Ecclesiæ seruientes, propter frequentes excõmunicationes & censuras occasione dictarum exactionum, quibus etiam satisfacere non valerent, de facto prolatas, a diuino seruitio plurimum retrahuntur, & interdum aliqui mendicare compelluntur, & maxima penuria rediguntur, non habentes de quo valeant Deo seruiendo, aut in studiis existẽdo siue cõmorando sustentari: & regnũ nostrum quod

quod inter alia regna viris ſcientificis communiter floruit, per quos Regni noſtri prædicti iuſtitia conſueuit gubernari, his temporibus, proh dolor! nimium vacuatur inde cultus diuinus & opera charitatis quæ fieri deberent, multipliciter defraudantur & ceſſant, intentio fundatorum non ſeruatur: ijs etiam modis, Regnum redditur pecunijs & opibus plurimum depauperatum, & infinita vixque enarrabilia ſcandala cottidie oriuntur. Quæ omnia, licet ſint ad oculum ſatis manifeſta, & fini ad quem eſt Papæ poteſtas ordinata de directo cenſeantur obuiare, fueritque Papa modernus, & alij prædeceſſores ſui, ſuper reuocatione aut moderatione dictorum grauaminum, ac de congregando Concilium generale ad prouidendum ſuper præmiſſis pluries requiſiti, ac tamen ſic omnia abſque remedio, diuturna continuatione perdurarũt, donec dudum ſuper quibuſdam per noſtram Regiam ordinationem, & nouiſſime ſuper alijs ex dictis grauaminibus, per quoddam arreſtum Curiæ noſtræ Parlamenti, ſub ea forma pronuntiatum, quod ceſſarent vſquequo per eandem Curiam fuiſſet aliter ordinatum, prouiſum extitiſſet, & vt ad perpetuum vberius & plenius prouideretur in prædictis. Nuper per Procuratorem noſtrum Regium in Concilio Prælatorum, & Cleri dictarum Eccleſiarum Regni & Delphinatus Pariſijs celebrato, vbi erãt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Prælati, ac Procuratores capitulorũ, & Collegiorũ, & Vniuerſitatum, & alij viri Eccleſiaſtici, & notabiles in grandi numero, ſolenniter congregata, vbi etiam conſanguineus noſter Ludouicus Rex Siciliæ, & primogenitus noſter Dux Aquitaniæ, Delphinuſque Viennenſis, & Duces Bituriæ patruus, Burgundiæ conſanguineus, & Borbonij auunculus noſtri pro nobis illo tunc præſidebant, propoſitum fuit & requiſitum, quod exactiones & grauamina ſuperius declarata, ceſſarent penitus & omnino. Super quo plurimis & repetitis interuenientibus diſcuſſionibus maturis, per prælatos & alios viros Eccleſiaſticos ſupradictos deliberatum extitit, & concluſum, quod attentis illis quæ ſupra præmiſſa ſunt & alijs attendendis, talia grauamina & vſurpationes ſecundum Deum

& conſcientiam non poterant commode, aut debebant amplius tolerari, humiliter ſupplicantes quatenus ad Dei laudem, Reique publicæ vtilitatem, & ad Eccleſiaſticarum libertatum dictarum Eccleſiarum Regni & Delphinatus conſeruationem, ſuper prædictis efficaciter, & ad perpetuum de remedio opportuno prouidere dignaremur, & prædicta omnia & ſingula grauamina ceſſare faciendo, & nihilominus prædictas ordinationes alias per nos factas, & dictum arreſtum Parlamenti confirmando, & ad perpetuum extendendo, noſtram ſuper hoc ordinationem Regiam vtique publicari, teneri, & obſeruari faceremus. Nos igitur attendentes, quod ad ſtabilitatem Eccleſię eſt poteſtas Regia diuinitus ordinata, & quod per Regnum terrenum, cœleſte Regnum tunc proficit, quando deſtruentes Eccleſiam rigore Principum conteruntur: imo ſacri Canones, quando talia per maiores Eccleſiæ perpetrantur, ad Reges docent habere recurſum, & quoniam in illis de quibus notorie turbatur ſtatus Eccleſiæ, etiam Papæ non obediri conſulunt ſancti Doctores, recognoſcentes vt tenemur, quod propter Eccleſiam, quam, in quantum ad nos ſpectat, etiam ex ſpeciali debito iuramenti, Chriſto tuendam ſuſcepimus, Deo ſumus rationem reddituri progenitorum noſtrorum exemplis edocti, qui ſacroſanctas Dei Eccleſias & viros Eccleſiaſticos zelo fidei ac piæ deuotionis accenſi, immenſis muneribus atque priuilegijs munientes, Eccleſias ędificantes, & contritas reſtaurantes, eas a concuſſionibus & quibuſlibet nouitatibus indebitis præſeruare curarunt, quarum etiam nos prompti defenſores & pugiles exiſtere gloriamur: prædictis omnibus cum debita præmeditatione penſatis, habita etiam prius deliberatione cum Principibus noſtræ regalis proſapiæ, ac aliis proceribus, multiſque viris prudentibus, & notabilibus Eccleſiaſticis, ac ſecularibus Regni noſtri nobis in Conſilio noſtro aſſiſtentibus, tam grauem & manifeſtam deformationem atque deſtructionem Eccleſiarum prædictarum Regni & Delphinatus, virorumque Eccleſiaſticorum deſolationem, ſub conniuentia diſſimulare vlterius non valentes nec volentes: Ordinaui-

mus, & tenore præsentium ordinamus, quod omnes & singulæ exactiones, & quæcumque grauamina superius declarata, & enarrata, cessare debeant, & cessabunt à modo in nostris Regno & Delphinatu prædictis: & illa quæ per dictum arrestum Curiæ nostræ Parlamenti circa hoc fuerant, donec fuisset aliud ordinatum, dicta & pronuntiata, de cetero, in dictis Regno & Delphinatu prepetuo tenebuntur, & inuiolabiliter seruabuntur. Hæc autem omnia scripto præsenti annotari publicarique, & inter nostras regias ordinationes registrari mandauimus, vt præsentium literarum interuentu, plenam inde notitiam habeat posteritas successura. Quocirca dilectis & fidelibus Consiliarijs nostris, præsens tenentibus, aut qui futurum nostrum tenebunt Parlamentum, omnibusque iusticiarijs Regni ac Delphinatus nostrorum, ceterisque officiarijs & subditis nostris mandamus, eorum cuilibet prout ad eum pertinebit, districtius iniungentes, quatenus præsentem nostram ordinationem, ac voluntatem teneant custodiantque, & conseruent in sua roboris firmitate, & ab omnibus subditis & incolis Regni ac Delphinatus nostrorum prædictorum inuiolabiliter faciant in omnibus & per omnia obseruari: vbi & quando opus erit, aut requisiti fuerint, publicari faciẽtes. In cuius rei testimonium, præsentibus literis nostrum iussimus apponi sigillum. Datum Parisius XVIII. die Februarij, anno Domini 1406. & regni nostri XXVII. Sic signatum, Per regem, cum consilio & assensu Dominorum meorum Ludouici Siciliæ Regis, Ducumque Aquitaniæ, Bituriæ & Aurelianensis, atque Borbonij vestrique, necnon Patriarchæ Alexandriæ, ac Prælatorum & procerum, necnon plurimorum aliorum Ecclesiasticorum virorum & secularium de Consilio magno Regis.

Lecta & publicata in Curia XV. die mensis Maij anno Domini 1408.

EXTRAICT DES REGISTRES du Conseil de la Cour de Parlement, Du Lundy vingt-vniesme May 1408.

CE iour ont esté assemblez en la sale du palais & la chambre du parlement, & les grands galleries par bas, ou grand preau par terre, les Roy de Secile, Duc de Berry, Duc de Bourgongne, & plusieurs autres seigneurs Ducs, Comtes, Barons, Cheualiers, Escuyers, Bourgeois, Archeuesques, Euesques, Abbez, prelats, Religieux & Clergé, & par especial l'Vniuersité de paris: Et proposa maistre I. Courte-cuisse maistre en Theologie, publiquement, en prenant pour theme contre le pape Benedic, qui auoit enuoyé vne bien mauuaise bulle, par laquelle excommunioit le roy, & les seigneurs de son sang, & tous adherans, pour occasion de ce que le Roy, son Clergé, & son Conseil auoient peiné & peinoient & poursuiuoient l'vnion de l'Eglise tant par substraction d'obeyssance, que de pecunes, & de non obeyr à l'vn, ne à l'autre des contendans, *Conuertetur dolor eius in c. e.* Et apres ce que ledict maistre eut proposé douze raisons de la negligence dudict Benedic à l'vnion poursuir & auoir, & du mal & vice desdites bulles excommunicatoires, en mettant consequemment six conclusions, A esté requis par l'Vniuersité, que lesdictes Bulles fussent deschirées. Et à ladicte requeste a esté prins & emprisonné messire Guillaume de Gaudiac, Docteur, Conseiller du Roy ceans, & le Doyen de sainct Germain de Lauxerrois.

Conclusiones & requestæ Vniuersitatis studij Parisiensis præsentatæ per magistros in sacra Theologia.

1. PEtrum de Luna fore non tantum schismaticum pertinacemque habendum, verum etiam hæreticum, perturbatorem pacis & sanctæ vnionis Ecclesiæ.

2. Petrus de Luna non est nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cuiuscunque dignitatis, nec sibi obediendum est tanquam Pastori, sub pœnis fautorum schismatis.

3. Facta, dicta, collationes, prouisiones siue processus à tempore datæ literæ ad modum bullæ confectæ, insuper pœnæ quæcunque spirituales, vel temporales, explicite vel implicite in dicta litera contentæ, nullæ sunt.

4. Dicto Petro, aut suis literis, aut mandatis nullus potest obedire: imo tenetur sibi non obedire, sub pœna fautorum schismatis.

5. Dicta litera est de se iniqua, seditiosa & dolosa, fraudulenta, turbatiua pacis, & offensiua regiæ Maiestatis.

6. Contra fautores & receptores dicti Petri, & suorum, suarumque literarum procedendum est, sicut & contra dictum Petrum.

Sequuntur Requestæ.

1. QVod laceretur & frangatur dicta litera ad modum bullæ confecta, tanquam iniuriosa, seditiosa, fraudulenta, ac regiæ Maiestatis offensiua, cum protestatione ad maiora procedendi fidem tangentia ad explicandum prædictam, coram quibus oportebit, loco & tempore.

2. Fiat reformatio circa istam literam, capiantur & deti-

neantur omnes suggestores, fautores, receptores pro puniendo, corrigendo secundum Canones: de quorum numero plures sunt in isto regno, quos Vniuersitas nominabit tempore & loco.

3. Quod a Rege præcipiatur Vniuersitati filiæ suæ vt veritatem prædicet in isto facto per totum Regnum.

4. Reuocetur Episcopus sancti Flori a legatione, & detineatur: insuper detineatur Magister P. de Cancella, Sanxius Lupi, & Decanus sancti Germani Antisiodorensis, & puniantur iuxta demerita. Sigillatum sigillo Vniuersitatis prædictæ.

Du Lundy vingtiesme Aoust oudit an.

AViourdhuy entre dix & onze heures, les Prelats & Clergé de France assemblez au Palais sur le faict de l'Eglise, ont esté amenez maistres Claude Sance-loup, né du pais d Arragon, & vn cheuaucheur du Pape Benedic, qui fut né de Castille, en deux tumbereaux, chacun d'eux vestus d'vne tunique de toile peinte, où estoit en bref effigiee la maniere de la presentation des mauuaises bulles, dont est mention le 21. de May cy dessus, & les armes dudit Benedic renuersees, & autres choses: & mitrez de papier en leurs testes, où auoit escritures du faict, depuis le Louure, où estoient prisonniers auec plusieurs autres Prelats de ce Royaume, & autres gens d'Eglise, qui auoient fauorisé ausdites bulles comme l'on dit, iusques en la court du Palais en moult grande compagnie de gens à trompes: & là ont esté eschaffaudez publiquement, & puis ramenez audit Louure par la maniere dessusdite.

KAROLVS Dei gratia Francorum Rex, vniuersis Christi fidelibus salutem in Domino, & ad eam, quam summopere desideramus, Ecclesiasticam vnionem vnanimiter aspirare, pax Ecclesiastica, quæ sub vnico & certo Christi Vicario coniungere debet vniuersa membra populi Christiani, secundum ipsius Christi & Apostoli sui documentum, dum olim post mortem felicis recordationis Gregorij papæ XI. deficere cœpisset, dumque schisma perniciosissimum, monstrum horrendum, ingens, in eadem Ecclesia suboriri cerneretur, ex causis toto orbe notissimis, Christianissimus tunc præclarissimæ memoriæ progenitor noster Karolus Quintus, suasus multis vehementibus rationibus deliberauit adhærere, obedientiamque præstare illi, quem collegium Cardinalium iureiurando asseruit in vita & in morte, atque publicauit se canonice in summum Pontificem & verum Christi Vicarium sponte & concorditer elegisse. Arbitrabatur namque verisimiliter idem progenitor noster, vt erat totus feruens in zelo domus Dei, & ex sua fide pia alios diiudicans, quod cæteri principes ac prælati, cum vniuerso clero & populo protinus obedirent consimiliter, dum electionem huiusmodi per collegium præfatum Cardinalium sufficienter eis innotesceret rite fuisse celebratam. Sed aliter euenisse dudum iam deploramus: neque enim potuerunt vsque hodie dicti Cardinales hoc ipsum persuadere magnæ parti Christianitatis, quod volebant, quodque memorato progenitori nostro suaserant. Nos idcirco cernentes, experientia temporeque docentibus quod hęc obedientia præstita inualida erat ad tollendum funditus schisma pestiferum, quod in exilium grauissimum pacem desideratissimam & optimam detruserat, deliberauimus eandem pacem ad proprium cubile suum, quod est Ecclesia, velut ad suam regionem per alias vias totis conatuum viribus reducere. Hinc concilia crebra, hinc legationes laboriosissimæ ac sumptuosissimæ per omnes pæne Christiani-

tatis regiones frequentatæ. Tandem aſpirante Deo, via ceſſionis vtriuſque contendentium pro reuerſione pacis turpiter exulantis inuenta eſt compendioſior, & abſque vlla dubitatione expeditior iudicata. Hanc proinde viam cũ omni ſolemnitate præſentari fecimus ſucceſſori illius, cui progenitor noſter, ſicut prædiximus, obedientiam præſtiterat: quam obedientiam ideo maxime poſtmodum ab eodem ſucceſſore pro tempore ſubſtraximus, quod non ſatis aperte per viæ ceſſionis compendium videbatur velle pacem reducere, poſtpoſitis diſceptationum inextricabilium anfractibus, & inegreſſibilibus aliarum viarum labyrinthis. At vbi viſus eſt nobis ad ſalubriora ſe conuertiſſe conſilia, rurſus abſque omni mutabilitatis culpabili nota, obediuimus eidem: ita tamen animo noſtro gerentes, ſi & quamdiu hæc obedientia noſtra non obſtaret Eccleſiaſticæ vnioni, quemadmodum in conſilio vltimo regni noſtri meminimus ſatis datum intelligi. Neque enim voluimus vnquam ſcienter, neque fas eſſe credidimus, obedientiã pręſtare cuicumq; mortaliũ in pacis vniuerſalis præiudiciũ, in ſchiſmatis fomitẽ, in diſcordiæ nutrimentũ. Et, ô ſalutifer Chriſte, princeps pacis, quãdiu quæſiuimus pacẽ, & nõ venit? expectauimus tẽpus medelæ, tẽpus ſcilicet iuratæ conuẽtionis vtriuſque contendentiũ pro ceſſione celebranda, & ecce turbatio. Animaduertite hoc principes Chriſtiani, quibus eſt dolori talis tantaque matris Eccleſiæ diſſipatio: Attendite inſuper vobis, & vniuerſo populo Chriſtiano vos ſacri pontifices, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: attendite quæſumus, & nolite diſſimulanter agere, vbi depopulatur legem Chriſti miſeris modis tempeſtas hæc ſæuiſſima horrendaque vorago. Exſurgat in vnum populus vniuerſus tollere de medio ſui deformiſſimum hoc portentum, vnde ſit in opprobrium hoſtibus incredulis, proprijſque animabus in damnationis æternæ diſcrimen apertum: decidat vel inuitus vnus aut alter, immo vterque contendentium ab occupata ſede Petri, potius quam vnitas, eorum contentione, depereat. Nam dum neutri populus obedierit, neuter amplius

plius de primatu vel frustra contendet, neque audietur vltra vox illa crudelissimæ fœminæ: Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur: sed illa piæ matris, Date illi infantem viuum. Nos vero, qui nihil ita post animæ salutem desideramus, quam videre serenissimam pacis faciem nostris effulgere temporibus, iudicamus ex præmissorum & similium consideratione nullum ad præsens patere validius in tam desperato malo remedium, quam quod neutri contendentium, ac sibi forte successuris, præstetur deinceps obedientia a populo Christiano. Deficiente siquidem fomite, tantus ignis iste infernalis in se tandem deficiens donante Deo collabetur. Quapropter præcedentibus, & habitis super hoc vicibus repetitis magnis & maturis deliberationum consilijs cum sapientibus, peritis & deuotis hominibus, Deum, & eorum salutem gerentibus præ oculis: Nos & Ecclesia Regni nostri & Delphinatus Viennensis pro nobis & subditis nostris eorundem Regni & Delphinatus decreuimus talem amplecti neutralitatem in festo Ascensionis proxime venturo, nisi interea nobis publica pax aduenerit, & prædicta fiat vnio: processuri nihilominus assidua sollicitudine cum alijs principibus & Catholicis omnibus, donec euulso schismate, pax plantetur. Quod si mirabuntur forsan aliqui ex aliter affectatis, vnde nobis ista licent, attendant potius, quod hãc nobis legẽ facit ipsa, quæ legẽ nescit dura necessitas: immo & filialis pietas, quæ per medios etiam ignes & gladios talẽ matrẽ laborantẽ eripere conaretur. Ecce morbus inueteratus & putridus, qui ex fomentis leuioribus in deteriora quotidie velut cancer serpit. Si ergo ferramentum cauterizans adhibeatur, nullus recte culpauerit: demum cum pro hac neutralitate in vnum tractanda, principes ac magnates vtriusque obedientiæ commoda celeritate congregari non possent, nullus suo, quæsumus, contemptui deputet, si conuentionem neque expectauimus, neque attentauimus: neque insuper existimet ius partis nostræ, quam probabilissima ratione prælibatus progenitor noster & nos hactenus fuimus insequuti, ex hac neutralitate condemnatum vel depressum, cum nunc non de iure huius vel illius, sed de cedendo

iuri vero, vel prætenſo, pro vnione conſequenda res agatur. Quamobrem vos omnes & ſingulos hortamur in Chriſto, & per eam, quam de immaculatæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ laceratione fœda compaſſionem geritis obteſtamur, arripite nobiſcum validum hoc & efficax, ſicut expectamus in Dei virtute, peſtis huius remedium: vt denegatio obedientiæ vtrique contendentium, afferat nobis tandem perpetuam vnanimemque obedientiam ſub vno & certo Chriſti Vicario, quatinus ſeruiamus Deo in pulchritudine pacis, & requie opulenta. In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentes literas noſtri ſigilli fecimus munimine roborari. Datum Pariſius die XII. Ianuarij anno Domini M.CCCCVII. & regni noſtri XXVIII. Per Regem in ſuo conſilio, dominis Rege Siciliæ, Ducibus Bituriæ, Borbonij & Bauariæ: Comitibus, Moritonenſi & Vindocmenſis necnon Conneſtabulario, vobis ac ſuperiore Magiſtro hoſpitij alijſque præſentibus.

Hæ literæ poſt multas dilationes tandem ad inſtantiam Vniuerſitatis Pariſienſis præcipue magiſtrorum in Theologia publicatæ menſe Ian. anno 1408. M. Petro ad Boues, magiſtro in Theologia ord. fratrum Minorum, in cultura S. Martini de Campis, die Dominica ſermonem facunde & luculenter, more ſuo, faciente ad populum: & poſtea ad principes Chriſtianos miſſæ ſunt.

ADVISAMENTA SVPER MODO REGIMINIS ECCLESIÆ GALLICANÆ durante neutralitate, deliberata & conclusa Parisius per Concilium Ecclesiæ prælibatæ congregatæ mandato Regis post Missam solemnem de Spiritu sancto, in sacra Capella regalis Palatij celebratam à domino Archiepiscopo Tholosano, præsidente D. Senonensi Archiepiscopo, electo ad hoc, donec D. Alexandrinus Patriarcha de legatione redijsset: à die XI. mensis Augusti vsque ad diem quintam mensis Nouembris anno Domini M. CCCCVIII.

De sententijs à iure latis.

PRIMO, quantum ad peccata & sententias a iure latas, quorum aut quarum absolutio est Apostolicæ sedi reseruata, absoluere potest Pœnitentiarius sedis Apostolicæ in foro conscientiæ tam exemptos quam non exemptos.

Item si absoluendus in casibus supradictis nunc vel in posterum habeat impedimentum perpetuum, aut temporale, vel forte superueniret causa, propter quam non deberet ad dictum Pœnitentiarium haberi accessus, talis si fuerit non exemptus, per Episcopum proprium poterit absolui, cum iniunctione, quod quam cito commode poterit, conspectui illius, ad quem est absolutio reseruata, se præsentet. Si autem fuerit exemptus ex priuilegio, vel alias habeat superiorem in ipsum potestatem Episcopalem exercentem, per illum: si autem non habuerit, per Episcopum ordinarium si maluerit, aut per viciniorem Episcopum loci, auctoritate tamen huius concilij absolui poterit in forma prædicta.

Item si fuerit sententia excommunicationis a Papa lata, auditore vel delegato, aut subdelegato sedis Apostolicæ, propter cuius absolutionem esset ad excommunicatorem habendus recursus, siue exemptus, siue non exemptus, hoc tempore durante per loci ordinarium potestatem tamen Episcopalem habentem, absolui poterit in foro conscientiæ, vt in articulo præcedenti: cum subsit impedimentum, quominus ab excommunicatore absolui valeat de præsenti, iuxta c. eos. de sententia excommunicationis lib. 6. si sine hominis, &c. In foro vero contentiosa, fiet absolutio per ordinarium, quoad non exemptos: & quoad exemptos, per iudices, de quibus infra dicetur, vocata parte vbi de iure fieri debet & alias seruata forma iuris.

De dispensationibus.

Primo, super irregularitate, propter violationem Ecclesiasticæ censuræ, dum tamen non fuerit ex contemptu, si sit talis casus, super quo Pœnitentiarius sedis Apostolicæ consueuerat iure suo dispensare, ad eum habeatur recursus. Si vero non possit haberi, vel si causa superuenerit, propter quam non esset dictus Pœnitentiarius adeundus, dispensent Episcopi, & cum Episcopis & cum exemptis dispensent superiores potestatem Episcopalem habentes in absoluendo, nisi fuerit scienter facta violatio censuræ interdicti generalis: quo casu dispensandus adhuc poterit expectare.

Item super irregularitate, quæ propter crimen, quod etiam post pœnitentiam impedit executionem officij, vt in homicida, simoniaco, in ordine, & similibus, vel propter mutilationem membri, vel iudicium sanguinis incurritur, si sit casus in quo Pœnitentiarius prædictus posset iure suo dispensare, ad eum super hoc recurratur: alias expectet dispensandus.

Item quoad impedimenta matrimonij vsque ad quartum gradum consanguinitatis & affinitatis, si Pœnitentiarius sedis Apostolicæ consueuerit in hoc, & valeat iure suo dispensare, ad eum super hoc recurratur. Si autem magna reipublicæ vtilitas exigeret, forte cum aliquo rege & principe super hoc dispensandum, tunc causæ cognitione præmissa, concilium

prouinciale, citra tamen caſus lege diuina prohibitos, valeat diſpenſare, vt de quarto gradu cum illis quibus viderit diſpenſandum.

Item circa impedimenta matrimonij prouenientia propter cognationem ſpiritualem, videtur ſatis tolerabile hoc tempore durante, quod Concilium prouinciale ex cauſa rationabili, cum magnis nobilibus inter ſuſceptum & filios ſuſcipientis vel filias valeat diſpenſare.

Item de impedimento proueniente propter publicæ honeſtatis iuſtitiam, ſatis tolerandum eſt, quod Concilium prouinciale in tertio & quarto gradu valeat diſpenſare.

Item quoad illa quæ concernunt Epiſcopos, & maiores, ſicut electiones Epiſcoporum, per ſuos Archiepiſcopos, aut ſede metropolitana vacante per capitulum Eccleſiæ metropolitanæ poſſunt de iure confirmari: ſic electiones Archiepiſcoporum per ſuum Primatem ſi habeant, alias ſi non habent, aut dubitetur quis ſit ille, per Suffraganeos prouinciæ congregatos poterit confirmari, & etiam approbari iuris ſollemnitate ſeruata: ad quos etiam dicti Archiepiſcopi conſecratio indubitanter noſcitur pertinere. Sed pallij receptionem expectabit ſic promotus, niſi ſit aliquis a quo pallium poſſit recipere.

Item ſi aliquæ diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum, defectu natalium vel ætatis, vel ſuper impedimento matrimonij contrahendi, vel alias per P. de Luna, ante tempus publicationis neutralitatis reperirentur cum aliquibus eſſe factæ, etiam ſi tunc vel modo nondum ſuum ſortitæ ſunt effectum, auctoritate huius Concilij ratæ maneant, & per ordinarios locorum vel executores ad dictas diſpenſationes exequendas datos, valeant ſecundum ſuum tenorem, auctoritate tamen huius Concilij, executioni debitæ demandari, dum tamen non ſint perſonæ quæ de fautoria ſchiſmatis comperiantur eſſe culpabiles.

De miniſtratione Iuſtitiæ.

Primo Archiepiſcopi teneantur quolibet anno certo tempore aduiſando per ſe, vel ſi fuerint legitime impediti, per

alium celebrare Concilium prouinciale in tali loco suæ prouinciæ, quo reperiri valeat sufficiens copia peritorum: in quo etiam ipsi & eorum Suffraganei, ac eorum quilibet cessante legitimo impedimento, in suis propriis personis teneantur interesse & perstare, ac negotiis expediendis efficaciter intendere: & similiter alij siqui sint qui ad hoc consueuerint vocari & debent de consuetudine, vel alias eisdem conciliis interesse.

Item si propter legitimum impedimentum, de quo se excusare tenebuntur in propria sua persona, non possent eisdem Conciliis interesse, eo casu idoneos & literatos viriliter cum potestate sufficienti ad eadem concilia pro se propriis expensis mittere teneantur, qui ea possint & valeant facere & expedire, quæ ipsi possent & deberent si præsentialiter interessent.

Item si domini Archiepiscopi vel Episcopi hoc non adimpleuerint, puniantur pœna iuris.

Item si aliquis Archiepiscopus renuerit, vel distulerit concilium prouinciale conuocare, Episcopus inter Suffraganeos decanus, vel habens alias præeminentiam inter eos, vel si in prouincia non sit talis, aut dubitetur quis sit ille, antiquior creatione possit & teneatur concilium conuocare, & in eo præsidere sub pœnis iuris.

Item in isto præsenti concilio, de prouinciali celebrando in qualibet prouincia, & in dicto primo concilio ordinabitur de sequenti, & sic deinceps.

Item quodlibet concilium prouinciale durabit per mensem ad minus, ante cuius lapsum non poterunt concilium celebrantes, sine magna & vrgente causa, recedere, nisi prius negotia ibi tractanda fuerint expedita.

Item quod in dicto prouinciali concilio comparentes, etiam si fuerint numero minores illorum qui debent concilium celebrare, nihilominus dictum concilium celebrare & statuere statuenda in eo possint & valeant, aliorum absentia non obstante.

Item de cætero tenebuntur concilia prouincialia mona-

chorum ordinis S. Benedicti,& canonicorum regularium secundum iuris formam,ac statuta concilij generalis,& sanctorum patrum, ad quod per suos ordinarios viriliter astringentur tam exempti, quam non exempti, prout in iure noscitur esse cautum.

Item ex præsenti concilio ex nunc deputentur præsidentes pro singulis prouinciis,qui prima concilia monachorum nigorum, & canonicorum regularium valeant conuocare, & in eis præsidere, & cætera peragere ad hoc necessaria, & etiam opportuna.

Item quia difficile est propter temporum malitiam, viarum discrimina, ac locorum distantiam, limitationem prouinciarum secundum ordinationem bonæ memoriæ Benedicti Papæ XII. qui communiter duas prouincias, puta Rothomagensem & Turonensem in vnum coniunxit,de præsenti obseruare, dispensetur & permittatur, quod quælibet prouincia vulgari appellatione & reputatione sit reputata, valeat hoc tempore durante per se huiusmodi capitula, & alias secundum formam iuris celebrare

De appellationibus.

Primo, fiant appellationes per media, & gradatim coram ordinariis, prout infra declaratur, nisi sit consuetudo in contrarium: alias factæ non valeant,vt pote de Archidiacono ad Episcopum, de Episcopo ad Archiepiscopum de Archiepiscopo ad Primatem, si quem habeant, etiam ad seipsum vt ad Primatem,si Archiepiscopus fuerit & Primas: & de Archiepiscopo Primatem non habente, vel vbi dubium est an habeat Primatem, vel quis sit ille,ad concilium prouinciale suæ prouinciæ: & si causa exordium haberet coram Archiepiscopo superiorem non habente, vel propter appellationem primo loco ad eum interpositam, procederetur in causa coram eo, & forte ab eo ad concilium prouinciale contingeret appellari, cum eo casu possit iterum ad eum appellari, concilium dabit commissarium vel commissarios ad cognoscendum de causa, & diffiniendum: a quorum commissariorum sententia si fuerit appellandum, ad concilium iterum poterit

appellari: quod rursum vbi opus erit, poterit dare commissarium aut commissarios pro finali terminatione negotij, vel per se terminare, & sententiam executioni debite facere demandari: dum tamen fuerint tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, vel altera sententiarum in rem transierit iudicatam.

Item si contingat appellare a iudice superiorem non habente, vel de quo sit dubium an habeat: si per iudicem a quo fuerit excommunicatus, propter periculum animarum, quod immineret expectando concilium prouinciale, decanus Episcoporum, & antiquior creatione præsens in prouincia, poterit talem excommunicatum absoluere ad cautelam in forma iuris, vocata parte.

Item si appellandum fuerit ab aliquo Officiali, vel alio iurisdictionem exercente exemptorum de quo consueuerit sic ad sedem Apostolicam & non ad alium appellari, tunc in hoc casu ad concilium prouinciale loci, loco Papæ appellari debebit: quod concilium poterit dare commissarium aut commissarios, prout supra articulo præcedenti.

Item causas monachorum Cluniacensis, & aliorum ordinum caput proprium habentium, qui iudices inter se habent, per quos consuetum est eis, & de eis conquerenti cuicumque fieri iustitiæ complementum, & anno quolibet generale capitulum totius ordinis sui tenent, cui subest etiam ille, qui caput est ordinis, vult præsens concilium in eodem capitulo generali secundum morem suum diffinitiue loco sedis Apostolicæ terminari: prouiso tamen quod in eisdem causis vsque ad tres diffinitiuas sententias procedatur, prout in superioribus dictum fuit.

Item quo ad alios exemptos etiam seruabuntur gradus suorum iudicum consuetorum, si quos habent & vbi opus esset, & pro finali processu & terminatione negotij loco Papæ ad concilium prouinciale recurretur. Si vero non habent iudices, proximior vicinus diocesanus loci exempti eis iudex constituitur & committitur auctoritate huius concilij, & ab ipso ad concilium prouinciale appellabitur, quod poterit dare

re

re commissarios vt supra: sic tamen seruetur ordo, quod sint saltem tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, prout supra in non exemptis fuit dictum.

Item si a vices gerente alicuius conseruatoris habentis conseruatoriam perpetuam auctoritate Apostolica dati fuerit appellandum, ad dictum conseruatorem poterit appellari, qui etiam si placet causam appellationis alicui committere poterit, a quo etiam si sit opus poterit ad dictum conseruatorem iterum appellari: & iterum per eum alteri committi. Et si conseruator per se de causa cognoscat, & ab eo fuerit appellandum, ad concilium prouinciale loci loco sedis Apostolicæ poterit appellari. Quod concilium etiam dare poterit commissarios, & procedere sic & taliter, quod habeantur tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, prout in superioribus fuit dictum. Quod intelligitur de conseruatorijs perpetuis concessis ante datam nefandarum literarum.

Item in concilijs prouincialibus quando ibi fuerit procedendum, procedatur quantum commode fieri poterit, summarie & de plano.

Item si causa inchoata in vno concilio prouinciali, non possit ibidem totaliter expediri, dabuntur a præsidente cum deliberatione maioris partis commissarius vel commissarij, qui cognoscent & procedent in causa, iuris ordine seruato, secundum formam iuris, vel aliam a concilio præfigendam.

Item commissarius vel commissarij, cum eum vel eos contigerit propter causam sibi commissam extra domicilium proficisci, habebunt expensas a partibus arbitrio concilij prouincialis moderandas: & si non proficiscantur, ad instar emolumenti sigilli ordinarij, sint sui sigilli emolumento contenti, prout de iure.

Item appellatione interposita ad concilium prouinciale, tenebitur appellans citationem impetrare, & facere exequi infra duos menses a tempore interiectæ appellationis numerandos, alias pro deserta habeatur: sic tamen quod appellatus a die concessionis apostolorum, habeat vnum mensem ad comparendum in concilio prouinciali: quam citationem im-

petrabit à decano Episcoporum, seu habente præeminentiam inter eos: vel si non sit talis in prouincia, vel dubitetur quis sit ille, ab antiquiore creatione, vt suprà, vel committendo seu committendis, qui quo ad hoc, in primo prouinciali concilio poterunt deputari.

Interea vero in qualibet prouincia, auctoritate huius concilij tres deputentur, qui habeant potestatem quascunque appellationes in dicta prouincia, ad concilium dictæ prouinciæ interponendas recipiendi, & citationes dandi pro procedendo in causis appellationum huiusmodi, & literas inhibitorias dandi & concedendi: & ne quo ad absoluendos ab excommunicatione periculum sit in mora, si quo ad hoc, diu oporteret excommunicatum, concilium prouinciale expectare, dicti tres habeant vice concilij prouincialis potestatem appellatos absoluendi ad cautelam, & alias absoluendi appellantem à sententia, vbi de iure conceditur, accepta cautione de stando iuri, vel satisfactione partium si opus est, seruando in omnibus formam iuris, & sic de hoc controuersia moueatur.

Item & quod appellationi ad sedem Apostolicam interiectæ non deferatur, & talis appellatio auctoritate huius concilij Ecclesiæ Gallicanæ hoc tempore durante declaretur etiam nulla.

Item de litigijs in curia Romana coram auditoribus, vel alijs, aut in partibus coram executoribus, vel iudicibus delegatis pendentibus indecisis, si altera partium hoc requirat, coram iudice ordinario procedatur, in eo statu, in quo lis pendebat, nisi fuerit ab eo appellatum, quo casu ad proximum superiorem recurratur si fuerit appellandum, ad proximum superiorem appelletur, vt superius fuit dictum in articulis loquentibus de appellationibus.

Item si aliqua partium non habeat iura seu munimenta sua, & velit à notarijs, seu alijs quibuscumque ea detinentibus recuperare, detinentes per iudicem causę ea tradere compellantur, & in subsidium inuocabitur brachium sæculare. Si vero munimenta necessaria diligentia super hoc adhibita, de-

qua legitime constet, haberi non possunt, a processu coram ordinario supersedeatur donec potuerint haberi.

Item quia forsitan multæ sententiæ definitiuæ & interlocutoriæ fuerunt latæ in curia Romana, antequam neutralitas in dicta curia nota esset, huiusmodi sententiæ, quarum processus erant inchoati ante datam literarum illarum nefandarum, latæ etiam infra mensem, a die publicationis neutralitatis computandum, auctoritate huius concilij & non alias valeant, & per ordinarios, aut alios executioni demandentur: dum tamen substractioni alias factæ, & conditionibus alias appositis in restitutione, ac neutralitati præsenti nullatenus præiudicetur.

Item quod in abbatijs siue monasterijs exemptis, pendente neutralitate electi possint & teneantur confirmationes & benedictiones suas recipere à diocesanis Episcopis, sine præiudicio exemptionum suarum pro futuro tempore, & quod hoc expresse ponatur in litteris super hoc conficiendis, nisi confirmationem & benedictionem ex priuilegio eis concesso ab alijs recipere possint.

Item quod in causis procedatur secundum dispositionem iuris communis, non secundum regulas Cancellariæ, nisi sint conformes iuri communi.

Item in omnibus causis supradictis sic prouideatur, & fiat quod ad forum sæculare nihilomagis causæ cognitio transmittatur, sed præcise executio, cum brachium sæculare fuerit inuocandum.

Item quod quæcumque dispositiones super quibuscumque materiis concessæ per Petrum de Luna, ante datam tamen nefandissimarum illarum literarum, dum tamen per ipsas substractioni alias factæ, aut conditionibus positis in restitutione, vel neutralitati præsentialiter currenti præiudicium non afferant, valeant & teneant, & ipsis vti & gaudere valeant dispensati virtute huius concilii, & non alias, etiamsi super hoc literæ non fuerint confectæ, dum tamen probari possit per testes, aut alia documenta.

Item quod omnia & singula supradicta & sequentia aucto-

ritate huius concilii ordinata & statuta, perpetuam obtineant roboris firmitatem.

Circa modum prouidendi de beneficijs, & circa distributionem eorundem.

Primo circa electiones, & postulationes fiant vt iura volunt, vi, abusu sæcularium vel magistratuum oppressionibus quibuscumque cessantibus, & factę de procurante, vel ratum habente, talia fieri non valeant, nec confirmentur. Et si contra electum vel postulatum talia opponātur, superior cognoscat.

Item si de electione Archiepiscopi superiorem non habentis, vel quando est dubium an habeat superiorem, vel quis sit ille, vel si de electione Primatis agatur, concilium prouinciale cognoscat, & si sit opus confirmet: ad quod concilium Suffraganeos & alios conuocare tenebitur decanus Episcoporum, seu habens præeminentiam inter eos: vel si non sit talis, aut dubitetur quis sit ille, antiquior creatione præsens in prouincia, nisi intra quattuor menses debeat sequi concilium ordinatum, ita tamen quod contra electum vel postulatum non currat tempus iuris.

Item in casu videlicet quando de confirmatione Archiepiscopi superiorem Primatem non habentis, vel vbi dubium est an habeat superiorem, vel quis sit ille, vel quando de confirmatione Primatis agitur, decanus Episcoporum, siue habens præeminentiam inter eos, vel si non sit talis, vel dubitetur quis sit ille, antiquior creatione faciat processum, & edicta & referat ad supradictum prouinciale concilium: in quo dictus decanus, vel habens præeminentiam, vel antiquior creatione præsens in prouincia præsidebit, & deinde concilium confirmabit, vel infirmabit prout de iure.

Item collationes & institutiones aliorum quorumcumque beneficiorum fiant per ordinarios, ad quos de iure vel consuetudine pertinere noscuntur, personis tamen idoneis.

Item sicut sæculares nominabuntur in rotulo vniuersitatis, sic etiam regulares vel religiosi nominentur, vt eis de beneficiis regularibus debeat prouideri.

Quantum ad religiosos, abbates se congregent, & dictis religiosis prouideant: alioquin ad commissarios recursus ha-

beatur, qui auctoritate huiusmodi concilij religiosis habeant prouidere.

Item dignitates, personatus, & administrationes, aliaque beneficia quæcumque electiua, tam in cathedralibus, quam in collegiatis Ecclesiis, dimittantur electoribus, qui ad eas, seu ea, viros idoneos eligere teneantur.

* Item quod prælati possint dare alicui capellano suo, vel cui voluerint, etiam si non sit graduatus.

* Item quod beneficia modici valoris, &c. non faciant eis, cum & nominati similiter possint recusare.

Item ad euitandum fraudes, & ambitiones aliquorum, qui possent diuersis rotulis diuersorum studiorum, aut dominorum, vel vnius principis, seu vnius studij imponi, & per hoc occupare multa loca personarum idonearum, rationabile est quemlibet vnico rotulo duntaxat inscribi: quod si aliquis de facto diuersis rotulis imponeretur, talis infra mensem a tempore nominationis habeat se ad vnum illorum rotulorum determinare, non habiturus regressum ad alterum. Quod si non, & scienter, sit ipso facto priuatus ambabus nominationibus. Si vero alicui nominatio prouideatur per ordinarium seu iure ordinario, vel alias de aliquo beneficio incompatibili, tunc per assequutionem beneficij incompatibilis, alias quam causa permutationis, suæ nominationi renunciasse censetur, quo ad incompatibile beneficium eius virtute assequendum.

Item & quod dictæ nominationes fiant cum decreto, ita quod collatio seu præsentatio, & quicquid contra præmissa, aut aliquod vel aliqua ex eis fuerit factũ nõ valeat; immo omnia quęcũq; fuerint in cõtrariũ attẽptata, sint ipso facto nulla.

Item in nominationibus faciendis fiat mentio per nominandos de beneficiis obtentis, & de numero ac valore ipsorum in portatis: alias nominatio subreptitia censeatur.

Item quod si nominati beneficia sub nominatione sua cadentia non acceptent, vel declarent infra mensem a tempore notitiæ vacationis in loco, se ea nolle habere, patroni seu collatores extunc poterunt libere præsentare & conferre.

Item quod non nisi neutralibus prouideatur nec illis, de quibus erit dubium, donec sint declarati neutrales.

Item quod non nominetur habens beneficia valentia cccc. libras Turonenses in portatis: & si contrarium fiat, nominatio, collatio, & quicquid in contrarium factum fuerit, sint ipso iure nulla: nisi fuerit nobilis ex vtroque parentum, vel in Theologia, iure Canonico, ciuili, aut in medicina Licentiatus, aut in Theologia Bacchalaureus formatus, aut de Magistris requestarum hospicij regis, clericus aut eleemosynarius, medicus, aut primus capellanus regis, reginæ, domini Delfini, aut dominorum Ducum.

Videtur etiam quod non deberent nominari habentes tres præbendas in Ecclesiis cathedralibus, nisi sic quod per assequutionem alicuius beneficij, virtute suæ nominationis, vnam de tribus præbendis dimittere teneretur infra mensem nisi forte esset nobilis ex vtroque parentum, vel in Theologia, iure canonico, ciuili, &c. vt dictum est.

Item si qui post obtentam nominationem deprehenduntur alteri contendentium obedientiam præstitisse vel præstare, ipsa nominatione & beneficiis virtute nominationis huiusmodi obtentis priuati sint ipso facto, & contra præstantes obedientiam huiusmodi, fiant processus auctoritate huius concilij, prout durius fieri poterit.

Item quod permutationes beneficiorum receptæ per Petrum de Luna ante tempus publicationis nefandarum literarum regi transmissarum debite factæ possessionem non sunt sortitæ effectum, possint & debeant auctoritate huius concilij ad effectum perduci per ordinarios, dum tamen non sint fautores dicti Petri de Luna, & consentiant partes.

Item si qui ante tempus datæ literarum iniquarum Petri de Luna, gratias expectatiuas habuerunt in rotulis vniuersitatis, aut alias quorum bullæ & processus facti fuerunt ante dictum tempus, & post datam ipsarum literarum, ante tamen neutralitatem, virtute gratiarum antedictarum beneficia acceptarint, & sibi prouideri fecerint, si competitores ha-

beant, coram ordinariis super talibus habeatur recursus, qui auctoritate huius concilij super hoc cognoscant, & iustitiam partibus ministrent.

Item si contigerit aliquos sua beneficia coram ordinarijs permutare, collationes huiusmodi non computentur in turno collatoris, siue patroni: cum non sit liberum nominatis talia beneficia causa permutationis vacantia acceptare, nec collatoribus sit liberum alijs quam permutantibus ea conferre.

Item si vnus nominatorum nolit beneficium vacans acceptare, alius post eum ad eandem collationem nominatus illud acceptare valeat, dum tamen infra mensem, suam super hoc declaret voluntatem, vt in vno articulo superius fuit dictum.

Item ad tollendum fraudes, quas collatores facere possent procurando, quod vnus nominatorum vnum modicum & tenue beneficium vacans acceptaret, vt forte dare posset in turno suo vnum grossum & pingue beneficium, quod in proximo vacare speraretur, aduisetur de remedio, puta quod tale beneficium de tali valore modico, videlicet centum solidorum, non computetur in turno suo, nec impediat quin nominandus beneficium proxime vacans valeat acceptare, vel alias aduisetur super hoc si sit opus: circa quæ prouidebunt collatores.

Item quod nominatus alius quicunque non possit vel debeat prælatum, aut collatorem molestare de sibi conferendo beneficium in turno dicti prælati: & quod si per se, vel alium preces importunas super hoc apud regem vel dominos impetrauerit, vel statim quod ad eius notitiam peruenerit, ab huiusmodi precibus non destiterit, cum effectu cadat à iure nominationis suæ, & ad sequentem nominatum ius suæ nominationis ipso facto transferatur.

Item quia in aliquibus Ecclesijs Canonici hebdomadarij solent beneficia conferre, quæ tempore sui turni vacant, si contingeret vacare beneficium debitum alicui nominato virtute suæ nominationis, capitulum illius Ecclesiæ illud be-

neficium prædicto nominato conferre teneretur, aut ipsum nominatum præsentare. Quo casu præfatus hebdomadarius poterit, & debebit aliud consequenter vacans beneficium libere conferre, licet tempore turni alterius Canonici beneficium vacare contingeret.

DVRANTE etiam auctoritate concilij Ecclesiæ Gallicanæ statutum est, vt beneficia adhærentium Petro de Luna, vel sibi seruientium, in manu regia ponerentur, illorumque reditus non soluti eadem auctoritate collecti conuerterentur ad prosequendum vnionem, & de ipsis beneficijs alijs prouideretur secundum ordinationem præfati concilij Iam antea & circa finem Septembris dominum Ludouicum de Haricuria regia stirpe ortum a collegio Rhotomagensi in Archiepiscopum electum, qui concilio præsidebant decreuerunt confirmandum, & Archiepiscopum Auxitanensem, cui Benedictus ipsum Archiepiscopatum contulerat, dixerunt repellendum, quia ipsi adhærebat, & ab eo de nouo Cardinalatum acceptauerat, etiam post neutralitatem diuulgatam.

Eo etiam tempore permutationem inter Episcopos de Tarbes & Tricoriensem etiam confirmandam censuerunt statuentes, vt prædicta, & quæ deinceps per eos agenda essent, assistentes Episcopi sigillis suis munirent, vt sic robur obtinerent donec vnio haberetur in Ecclesia sancta Dei.

Hæc omnia deliberata sunt saluis iuribus coronæ Franciæ, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ : salua etiam debita sanctæ sedi Apostolicæ reuerentia, & domino Papæ futuro legitimo, claue non errante.

CAROLVS Dei gratia Rex Francorum, Vniuersis & singulis Christi fidelibus salutem integerrimam, & ex schismatis nefandi tenebris in splendorem veræ pacis celerem egressum. Quoties propensiori studio nostrorum progenitorum egregia facta recolimus, & illos singulari quadam cura publicis vtilitatibus

Ecclesiæ sacrosanctæ priuatas semper post habuisse perspicimus: adeo vt non tantum eam pressuris, aduersitatibus, ærumnis, discordijsque liberauerint, verum etiam infidelium ceruice confracta, multos mortales suauissimo Christi iugo subegerunt: miro quodam ardore gloriosis istorum vestigijs inhærendo, schisma pestiferum, quod in Christiana gente iam nimis inueterauit, quantum in nobis fuerit, penitus sepelire, & afflictis Ecclesiæ lassisque rebus mature succurrere deflagramus, sicuti semper syncero corde flagrauimus, nihil prius, aut antiquius habentes, quam vt concessam nobis diuinitus potestatem in Ecclesiæ suæ salutem conferamus. Vnde norunt bene Christiani omnes, quantos labores, & quam magnas impensas, quamque graues sollicitudines adhibuerimus, & in conuocationibus variis Ecclesiæ Regni nostri, ac principum de nostro sanguine celebratis, causa quærendæ viæ, qua schismatis, ac ipsorum, qui huic causam & fomenta præbent, qualitate pensata, salubrius, celerius ac facilius ad pacem veniretur: Et posteaquam satis explorate perspectum est, viam cessionis amborum contendentium ad ius verum vel prætensum in Papatu, longe ceteris omnibus præferendam, in legationibus per totum Christianum orbem transmissis, vt huius viæ facilitate breuitateque cognita, per eam vniuersi pacem concorditer peterent. Postrema vero hyeme, quia nos a tam sancto labore charitas desistere non sinebat, cōuocari rursum iussimus Conciliũ Regni nostri: vt quando superioribus laboribus obsistēte temporũ malitia minus promouisse videbamur, etiã atq; etiã scrutatemur, qua ratione impedimēta nostri laboris, & fomēta schismaticæ prauitatis amputare valeremus. In hoc autem Concilio, dum humana tarditas in expedientium inuentione laboraret, dum variatis sententijs aliud alijs negotio conuenire iudicaretur, dum conclusioni conclusio tractu temporis adiungeretur præter spem humanam noua lux e cœlis sicut credimus, effulsit, incredibilique celeritate diuina sapientia superueniente, mox vnionis fundamenta collocauit. Nam & Papa Benedictus, & Angelus Romæ nuper pro defuncto substitutus, vno nisi fal-

limur, Spiritus ſancti afflatu tacti, prædictam viam ceſſionis, pro cuius proſecutione tantopere deſudauimus, literis ſuis acceptarunt, obtulerunt, atque publicarunt, & ſe inuicem ad accelerationem executionis eius vehementer hortati ſunt. Quibus rebus certius cognitis, exultanti alacritate ingentes gratias patri luminum retulimus, quod nunc tandem iuſtitiæ rigore temperato, miſericordi oculo Eccleſiæ ſuæ calamitoſis, acerbiſſimiſque languoribus medelam idoneam incipiat adhibere, nobiſque viam adaperiat, quam vlterius proſequi debeamus. Quare ne ſi Deum iter monſtrantem minus ſequamur, ingrati reperiamur, & noſtro tempore tanta miſericordia indigni fiamus, ex tempore conſilium capientes, concordi omnium conſilio & conſenſu præhabito, decreuimus ad Papam Benedictum, & illum, qui ſe Romæ Papam appellat, ſolemnes noſtros & Eccleſiæ Regni noſtri Ambaſiatores confeſtim mittere, qui ambos collaudantes magnifice, quod in hanc viam ceſſionis a nobis tanto ardore procuratam, Eccleſiæ vero ipſi fructuoſiſſimam deſcenderunt: Papam Benedictum omni precum inſtantia requirant, vt ex abundanti declarationem ſuæ intentionis plane & clare viam ceſſionis ſemotis ambagibus & conditionibus, acceptet, & eam exequi, omni via alia & omnibus alijs vijs poſtpoſitis, promittat; bullaſque infra terminum inferius præfigendum, ſcilicet decem dierum ab inſinuatione ſua, ſuper his tradat: & nihilominus ambos exhortentur, & obſecrent, atque obteſtentur, quod ad euitandã difficultatẽ itineris, pericula perſonarum, querelas litium, tractus præparationũ, occaſiones aliarũ viarum tractandarũ, & alia pleraque diſcrimina formidanda, quæ pacem odioſe poſſent differre, velint abſentes cedere vterque in loco ſuo, aut in manibus ſuorum collegiorum, aut per literas exhibitas, aut procuratores conſtitutos, prouiſionibus tamen congruis ita prudenter adhibitis, vt alteri de altero nullus metus fraudis poſſet oriri. Qui ſi preces has audierint, mox ambo collegia, rupta mora ſumma celeritate in locum eundem conuolabunt & vnici Romani Pontificis electionem celebrabunt. Quia vero Ambaſiatores præfati Papam

Benedictum primo sunt udituri, ne forte dilationis occasionem quærendo dicat, non antea certum se responsum daturum, quam illius Romani domini oratores perspexerit per eos instanter inquiretur, vt propter accelerationem negotij moras non admittat, in casu quo Romanus ille sine conuentione personali vellet cedere, & vt pari forma nihil expectando etiam se extunc cessurum offerat. Quod si amborum voluntates a nobis in hac parte dissenserint, & non nisi in conuentione personali cedere voluerint, hoc eorum propositum nullatenus impediendum, sed potius adiuuandum duximus, sperantes eundem saluatorem, qui cum eorum mentibus tam salubrem sententiam inspirauit, horum conuentionem ad pacem faciendam affuturum. Sed si Papa Benedictus, quod prohibeat Deus, subterfugia quæsierit, & viam, aut vias alias cessioni prætulerit, aut quouis modo negotium trahere, aut protelare conatus fuerit: aut ille Romanus, cuius literæ conuentionis personalis nullam faciunt mentionem Benedicto in absentia locoque suo, vel per procuratorem cedere volente, obfirmatam sententiam extra conuentionem personalem, aut alias cedere nullo pacto voluerit, exnunc prout extunc confirmato decernimus & statuimus per Concilij Ecclesiæ Regni nostri sententiam, & charissimarum nostrarum filiarum Vniuersitatum Parisiensis, Aurelianensis, & Andegauensis deliberationem, quod nisi ante finem decem dierum ab eius insinuatione computandorum, de via cessionis sine ambiguitatibus petita concesserit, & ante finem decem aliorum dierum proxime succedentium de circunstantiis eiusdē viæ executionē respicientibus, Ambasiatoribus præfatis satisfecerit, ab eo veluti a schismatico, & ab Ecclesia præsciso recedemus, nec ei obedientiam vlterius præstandam censebimus, vt pote in quo stetit quominus schismate diuulso pax desideratissima lugenti Ecclesiæ reddita sit: simili quoque pœnæ, si qui ex suo collegio in tam duro proposito & Ecclesiæ supra modum inimico sibi fauerint, apud nos subiacebunt. Deinde vero Cardinales, qui nobiscum in veritate perstiterint, apud quos potestas

eligendi integra permanserit, cmm altero collegio ad vnici Romani Pontificis electionem faciendam conueniant. Si vero casus miserabilis inter Cardinales omnes, quod Deus auertat, irripserit, quod in vnam sententiam ad faciendam vnionem nequeant concordare, nostri Ambasiatores, nostræ Ecclesiæ & Regni nostri potestate fungentes, cum altera parte procedent ad vnionē Ecclesiæ tractandam & faciendā his modis ac legibus, quas latius in suis instructionib⁹ a nobis comprobatis exprimi voluimus, & prout in deliberationibus postremi Concilij Ecclesiæ Regni nostri & charissimarum filiarum nostrarum Vniuersitatum præscriptarum, super quibus instrumenta publica confecta sunt, extitit ordinatum. In quorum omnium & singulorum testimonium, robur, ac fidem, sigillum nostrum his præsentibus duximus apponendum. Datum Parisiis die XVIII. Februarij anno Domini M. CCCCVII. & regni nostri XXVII.

Per Regem cum consilio Dominorum Ludouici Siciliæ Regis, Ducumq; Aquitaniæ, Bituricensis, & Aurelianensis atque Borboniæ, necnon Patriarchæ Alexandriæ, atque Prælatorum & procerum, necnon plurimorum aliorum Ecclesiasticorum virorum & secularium de Cōcilio magno Regis.

CAROLVS Dei gratia Francorum Rex, Egregiarum circumspectionum veris, & amicis nostris charissimis pro Cardinalibus se in Roma gerentibus, Salutem, & miserandæ lachrymantique matri omnium Ecclesiæ condolere. Cognoscitis abunde, si non fallimur, dilecti & fideles amici charissimi, quod in grauibus doloribus & anxietatibus, ob duorum nefandam ambitionem, qui diu de Papatu contenderunt, sacrosancta Ecclesia magis in dies affligitur, magis laceratur & concutitur. Videntes nunc miserabilem ac horrendam, atque ex alto, nisi Deus pijs oculis perspexerit, subuersionem inde gemibundi & anxij viscerotenus commouemur, eius desolationi pie condolentes, & eo magis, quo ad consolationem eius procuran-

dam magis ex debito obligamur: ad quam rem peragendam quantos labores, quantas sollicitudines in conciliis celebrandis, in legationibus per Christianum orbem transmittendis nostra ab ineunte adolescentia, Deo & vobis testibus, adhibuimus, satis & sæpe potuistis attendere. Vt igitur vetera vobis notissima omittamus, & nouissima capiamus, post multos variosque labores circa viam mutuæ cessionis tentatos, post obitum illius qui apud vos Innocentius dicebatur, Angelum Corariū, quē nunc Gregoriū appellatis, in vestrum Papam sub votis & iuramētis de renunciando & cedendo Papatui elegistis: quo electo, ab eodem literas accepimus continentes, quod Petro de Luna, cui tunc Papæ obediuimus, mortuo vel cedente, erat pro vnitate Christianorum paratus iuri suo peruerso renunciare, & dictum Petrum de Luna vt similiter ageret per similes literas hortatus est, cui super hoc suas bullas misit. Tunc profecto magno & ineffabili gaudio exultauimus, quando ambos de Papatu contendentes in eandem sententiam, in viam cessionis conuenire, & totum mundum inde gaudere, & in nostra prosecutione esse vnanimem videbamus. Et vt a nobis consolarentur, solemnissimos nostros & Ecclesiæ Regni nostri Ambasiatores in magno & notabili numero de nostra intentione & voluntate ad plenum edoctos, primo ad dictum Petrum de Luna, deinde ad dictum Angelum transmisimus. Et quanquam apud eosdem contendentes per magna tempora vnionem nostro nomine prosequentes permanserint, nihil tamen quod Deo gratum, quodque mundo vtile esset reportarunt ab eisdem, sed annum & plus quam annum in legationibus vnionis ad alterum destinandis, in locis difficultandis, in coloribus, quibus pro sua parte ad sui excusationem quærendis consumpserunt, nec in orbe toto locum inuenire valuerunt, vbi sua vota suaque iuramenta adimplerent, vbi lugenti & desolatæ Ecclesiæ pacem darent. Quis autem eorum malitiam, fraudem, & iniquitatem clare non videat? Quis eosdem turbatores pacis & impeditores vnionis non accipiat? Quis talibus de cetero obediret? Violauerunt fidem, fregerunt votum, promissum non

tenuerunt, & sponsam Christi ante pedes eorum videntes prostratam, eidem manus releuatrices, quas faciliter exhibere poterant, denegarunt. O magnum & scelestum facinus! O nefanda temeritas! O talibus viris ad pacem Ecclesiæ dandam inter mortales obligatis, indigna macula nunquam eorum delenda de frontibus, qui dum opportunitatem assequendæ pacis perceperunt, quasi pauidi, &, vt existimamus, suorum scelerum conscij, se mutuo in præsentia suorum Collegiorum videre ausi non sunt: Verentes forsitan ne voluntas altissimi, quæ mentes hominum scrutatur, & cuius maiestati manifesta sunt omnia, eorum fraudes & collusiones, & errores longis incognitos temporibus in eorum pertinacia clarescere faceret. Hæc & alia maiora satis vos scire arbitramur, & quantum zelum ad pacem Ecclesiæ habuerint, qualiterue processerint inde elicere potuistis. Etenim ambo obstinati sunt, & dura sententia obfirmati, vt Ecclesiæ pacem dare recusent. Vos quibus spes obtinendæ pacis ob defectum & vitium eorundem relicta est, rogitamus, & cum instantia per Deum verum & immortalē, per eius aspersionem sanguinis, per, si qua est vobis, fidei & Christianæ religionis integritatem, & ad matrem Ecclesiam, misericordiam & pietatem requirimus & hortamur, vt dimisso dicto Angelo, vos in vnum locum conferatis, & conuentionem cum nostris Cardinalibus procuretis. Nam si locum in vnum conuenietis, non dubitamus quin in ipsorum contendentium contumacia & absentia, attenta rei necessitate, quæ in quantum subest, legibus & decretis Ecclesiæ prouisum sit, nec decretis tantum & legibus, imo miserandum necessitatis oculum habeatis. Quoniam cunctis casibus futuris, & maxime tanto casu inopinato insperatoque non valuerunt decreta, si opus esset prouidere. Nec existiment aliqui, quod propter longas dilationes & diras fatigationes resilire, ac a nostro proposito desistere debeamus, qua in re perficienda eo fluentiores efficimur, quo magis res eadem in lōgas moras & dilationes protrahitur. Si vero huiusmodi nostræ rogationi pariter & requisitioni adquieueritis, nostrum auxilium, consilium, nostras opes, nostrum regnum, nostraque omnia vobis non denegabimus, imo vos

omnes & vos singulos omni honore gratia & fauore, & Ecclesiam sacrosanctam obsequio, adiutorio, & honore amplectemur. De ceteris vero quæ circa hæc gerenda ad casum vestræ conuentionis, & nostram voluntatem atque affectionem continent, dilectos & fideles Consiliarios & Ambasiatores nostros Patriarcham Alexandrinum, & alios collegas suos nunc apud vos gratia prosequendæ pacis Ecclesiæ existentes instrui ad plenum volumus, quorum dictis fidem velitis indubiam adhibere, & requestis per eos vobis pro parte nostra faciendis totis conatibus attendere. Datæ Parisiis, anno Domini M. CCCCVIII. die XXII. Maij.



IN nomine Domini, Amen. Per præsens instrumentum publicum pateat vniuersis præsentibus & futuris, Quod anno a natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo nono, indictione secunda, die vero vicesima septima mensis Iulij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Alexandri diuina prouidentia Papæ quinti anno primo: sancta vniuersali Synodo in Ecclesia Pisanensi debito & ordinato modo iuxta solitum congregata, etiam dicto domino nostro Papa fœliciter præsidente in ea, cantataque Missa de beata Virgine per reuerendum patrem dominum Petrum Episcopum Cracouiensem, dictis letanijs in cantu, & alijs orationibus ad Deum pie porrectis, reuerendissimus Pater dominus Antonius Cardinalis de Chalanto vulgariter nuncupatus, assistentibus sibi reuerendis patribus dominis Alamanno Archiepiscopo Pisanensi, & Branda Episcopo Placentiæ, de mandato, & ordinatione eiusdem sanctæ Synodi ibidem sibi factis, legit alta, & intelligibili voce quandam papyri cedulam, quam tunc tenebat in manibus continentem inter cetera, articulos subsequentes.

Nos Alexander Papa v. sacro approbante Concilio omnes & singulas promotiones, &c. Item electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, mutationes, consecrationes, clericorum ordinationes, præsentationes, institutiones, collationes, permutationes, priuationes, quasuis prouisio-

nes & dispositiones quibusuis personis huic sacro Concilio & eius determinationi adhærentibus, de quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis & prælaturis per electores, confirmatores, patronos ordinarios, & quoscunque prouisores ad hoc potestatem & auctoritatem habentes, canonice factas, temporibus, & locis subtractionis, & neutralitatis, in quibus huiusmodi contendentibus obedientia non præstabatur, hoc sacro approbante Concilio ratificamus, & approbamus, & ratas manere volumus, atque firmas, ac omnem suscipere roboris firmitatem, quibuscumque reseruationibus non obstantibus: declarationibus tamen & decretis hoc capitulum concernentibus, in alijs sessionibus lectis in suo robore permanentibus. Item vt vnione & pace iam in Dei Ecclesia per ipsius gratiam in capite confirmata, pax & tranquillitas subditorum perfectius prouocetur, & litium anfractus, quarum dubij sunt euentus, consultius euitentur, hoc sacro approbante Concilio decernimus & declaramus, quod omnes & singuli beneficia Ecclesiastica, dignitates, personatus, vel officia curata, vel non curata titulo ordinario assecuti, & possessionem pacificam iam adepti, dum tamen canonice & aliter quam per præsentationem adhærentium huic sacro Concilio, & eius determinationi, assecuti fuerunt, beneficijs huiusmodi libere & pacifice gaudeant, nec in iure, titulo, seu possessionibus suis quomodolibet inquietentur, turbentur, seu grauentur, etiam si specialiter vel generaliter beneficia prædicta, sedi Apostolicæ fuerint reseruata. Per præmissa vero, seu aliquod præmissorum non intēdimus derogare ordinationibus circa præmissos articulos factis, in vltima congregatione Prælatorum, & aliorum virorum Ecclesiasticorum facta Parisius: nec etiam ex præmissis, vel aliquo pręmissorum volumus aliquod pręiudiciū generari venerabilib9 fratribus nostris Cardinalibus, vel alicui Episcoporum huic sacro Concilio & eius determinationi nunc adhærentium, in beneficijs alias per ipsos & quemlibet ipsorum canonice possessis. Per hæc autem nō intendimus fieri aliquod præiudicium venerabili fratri nostro N. Cardinali Albanensi in iure, quod habet in Archidiaconatu

natu Ecclesiæ Lucionensis.Item, &c.de & super cuius quidem cedulæ,& contentorum in eis lectura & publicatione venerabilis vir Magister Bertoldus de Vuildhunger pro se & alijs Promotoribus seu solicitatoribus, in ipsa Synodo, & ad causas in eadē agitatas & agitandas deputatus, petijt & requisiuit per omnes & singulos protonotarios, clericos cameræ, ac nos ipsius Synodi Notarios deputatos fieri vnum, & plura publica instrumenta. Actum in ipsa Ecclesia & Synodo præsentibus eisdem dominis Protonotarijs & clericis Cameræ, alijsque pluribus,& nobis infrà scriptis.

Ego Petrus de Gualfredinis de Verona, Apostolicus Secretarius,& literarum Apostolicarum scriptor & abbreuiator, ac per sanctam & vniuersalem Synodum, seu generale Concilium supra fatum, vna cum infra scriptis Notariis adscribēdum & publicandum omnia acta & gesta in supradicto sacro & vniuersali Concilio in causa vnionis & fidei deputatus: quia prędictis omnibus suprascriptis dum agerentur & fierent pręsens fui,& rogatus huic præsenti instrumento publico per aliū fidelem scripto, me propria manu subscripsi in fidem & testimonium omnium præmissorum.

Ego enim Petrus Garnerij de Nicia, Primicerius Ecclesiæ Taurinensis, publicus Apostolica & imperiali auctoritate, ac per præfatā sanctā Synodum ad conscribendum & publicandum omnia & singula quæ in ipsa fierent, vna cum aliis supra & infra scriptis connotariis, Notarius deputatus, prædictæ cedulæ, lectioni, editionique, ac alijs in ipsius diei sessione gestis, vna cum prætactis præsens fui,& sicut præscribitur, legi, vidi, & audiui,& cum prætactis connotariis in protocollum huius causæ Dei redegi, de quo pręsens instrumentum in purum extractum, sed alia manu fideliter scriptum est, & inde per me correctum. Propterea hic manu propria vna cum pretactis supra & infra scriptis cōnotariis me subscripsi,& signum meum consuetum apposui in verum testimonium & fidem omnium præmissorum.

Et ego Iacobus de Brembant clericus de Insula Tornacēsis diocesis, publicus Apostolica & imperiali auctoritatibus, ac

etiam per præfatam sanctam Synodum ad conscribendum, & publicandum omnia & singula quæ in ipsa fierent, vna cum aliis suprascriptis connotariis, Notarius deputatus, præmissis omnibus & singulis, dum sic vt præmittitur, agerentur & fierent præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi, & audiui, ac innotaui cum præfatis Notariis, recepi, huicque præsenti publico instrumento per alium fidelem scripto me propria manu subscripsi, & signum meum apposui consuetum in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum, requisitus, & rogatus.

Collatio præsentis instrumenti supra scripti facta fuit Parisius in Parlamento cum originali instrumento supra scripto, hic registrato ad requestam Procuratoris generalis.

CHARLES par la grace de Dieu Roy de France, A tous ceux qui ces presentes lettres verront, Salut. Nostre treschere & amee fille l'Vniuersité de Paris, nous a fait exposer que iaçoit ce que par le Concile par nous & l'Eglise de nos Royaume & Dauphiné de Viennois, tenu & celebré en la cóclusion de la neutralité faite par nous en nosdits Royaume & Dauphiné, aux deux contendans du Papat de l'Eglise vniuerselle, ayant esté faits plusieurs statuts & ordonnances pour le gouuernement de ladite Eglise, & entre les autres sur les collations & poruisions des benefices, à fin que lesdits benefices fussent distribuez & conferez par les ordinaires à personnes dignes & bien meritez, tant de nos seruiteurs & familiers, comme des estudians & supposts de nostredite fille l'Vniuersité & d'autres estudes. Pour lesquelles ordõnances tenir en leurs termes & garder qu'elles ne fussent entraintes par lesdits ordinaires, eussent esté commis par ledit Concile aucuns qui à ce pouruoyeroient en defaut d'iceux ordinaires, & à nosdits seruiteurs & familiers, & aussi ausdits estudians, &

supposts de nostredite fille l'Vniuersité de Paris, & d'autres estudes, ayent esté particulierement faites & distribuees assignations, pour selon lesdites ordónances leur estre pourueu desdits benefices par lesdits ordinaires & collateurs d'iceux benefices sur lesquels chacũ d'eux estoit assigné. Depuis laquelle conclusiõ de ladite neutralité, plusieurs d'iceux nos familiers & seruiteurs, & desdits estudians & supposts de nostredite fille l'Vniuersité, & d'autres estudes, ayent esté deuement & canoniquement pourueus de benefices selon lesdits statuts & ordonnances du Concile dessusdit, & en ayent esté deuemẽt & canoniquemẽt mis & instituez en possessiõ & saisine: Neantmoins par inaduertence ou autrement, aucuns Iuges Apostoliques & autres personnes, ont perturbé, molesté & empesché, & s'efforcent de perturber, molester & empescher plusieurs de nosdits seruiteurs & familiers, & desdits estudiãs & supposts de nostredite fille l'Vniuersité de Paris, & d'autres estudes, en & pour raison desdits benefices à eux, ainsi que dict est, donnez & conferez, & desquels ils ont esté deuement mis en possession & saisine, qui a esté, & est en venant directement contre lesdites ordonnances, & en grand perturbation de nosdits Royaume & Dauphiné, & plus seroit, si par nous n'estoit sur ce pourueu de remede conuenable, si comme dit nostredite fille, en nous humblement requerant ledit remede. Pourquoy nous ces choses considerees, & qu'à nous qui sómes gardien, protecteur & defenseur des Eglises de nosdits Royaume & Dauphiné, & qui les status & ordõnãces dessusdites faites audit Concile auons ratifiees & approuuees, appartient iceux, & tout ce qui s'en ensuiuy, faire tenir & garder sans enfreindre. Et pour obuier aux inconueniens deuãt dits, Auons ordonné & ordõnons par ces presentes, que tous ceux à qui aura esté ainsi pourueu selõ lesdits statuts & ordonnãces de ladite neutralité, d'aucũs benefices en nosdits Royaume & Dauphiné, soyẽt maintenus, gardez & defendus, selõ la forme desdits statuts & ordonnances és possession & saisine desdits benefices, esquels on les trouuera estre: & que tous troubles & empeschemens, qui en ce leur seront mis, en soient ostez

par le premier de nos Iusticiers qui requis en sera, & tous les perturbateurs, empescheurs, & autres qui pour ce serōt à contraindre, contraints à eux desister desdits troubles & empeschemens, & à rendre, bailler & mettre royaument & de faict és mains de nosdits iusticiers, comme en la nostre, toutes citations, procés & autres munimens, par vertu ou sous ombre desquels ils se seront efforcez, ou efforceront de faire iceux empeschemens. Et aussi à rappeller, reuoquer & mettre du tout à neant tous les procés qu'ils aurōt sur ce faits & fait faire par la prinse & expletation des tēporels qu'ils tiennēt & tiendront en nosdits Royaume & Daulphiné, à quelque tiltre ou cause que ce soit, & autrement, par toutes voyes deues & raisonnables. Et s'aucunes en y auoit qui n'eussent temporel en iceux nos Royaume & Daulphiné, & qu'ils fussent ou soient refusans d'obtemperer à nosdits mandemēs, inhibitions & defenses, qu'iceux & tous eux qui pour eux procurerōt lesdits empeschemens, & qui s'entremettront ou seront entremis de leur aider à ce faire & soustenir, soient pareillement cōtraints par prinse & emprisonnement de leurs personnes, & par arrest & detention de leurs biens, iusqu'à ce qu'ils ayent deuement obtemperé & obey aux choses dessusdites, & à chacune d'icelles.

Si dōnons en mandement à nos amez & feaux Conseillers tenans & qui tiendront nostre Parlement, au Preuost de Paris, & à tous nos Seneschaux, Baillifs, & autres Iusticiers & Officiers: à leurs Lieutenās & à chacun d'eux, que nos presentes ordōnances ils facent tenir & garder entierement sans enfraindre. En contraignant ou faisant contraindre à ce tous ceux qui à contraindre seront vigoureusement & sans deport, par les manieres deuant dites. Et en cas d'opposition les biens desdits perturbateurs & empescheurs tenez en nostre main, quāt à ceux qui ont temporel: & les personnes des autres qui n'ont temporel, arrestez & detenez, & lesdits procés des Iuges Apostoliques contre lesdits statuts & ordōnances faits & à faire, & tout ce qui s'en est ou sera ensuy tenez en suspens

attendu que la cognoissance & interpretation d'icelles & ordõnances,& les debats qui en naissent appartient à nostre Cour dudit Parlement. Adiournent ou facent adiourner les opposans , & aussi lesdits perturbateurs & empescheurs,& autres cõtredisans& delayans d'accomplir les choses dessusdites ou aucunes d'icelles, à comparoir personnellement,ou autrement comme les cas le requerront,à certain & competant iour ordinaire ou extraordinaire de nostre Parlement, nonobstant qu'il siee,si bonnement se peut faire, ou de nos autres Parlemens aduenir:nonobstant que les parties ne soient des iours dont on plaidera lors,pour dire les causes de leur opposition: respondre à nostre Procureur general,à nostredite fille l'Vniuersité,& à tous autres qui s'en voudront faire partie, pourtant qu'à chacun pourra toucher, à tout ce qu'ils leur voudront demander,& contre eux,& chacun d'eux proposer & requerre sur ce les circõstãces & dependences: proceder & aller auant en outre selon raison, en certifiant sur ce suffisamment audit iour nosdits Conseillers, tenans, & qui tiendront nostredit Parlement ausquels nous mandons que aux parties icelles ouyes,ils facent bon & bref accomplissement de iustice. Et pource que par aduenture les personnes de ceux qui ont fait ou feront lesdits empeschemens, refus ou contredits ne pourroiẽt estre apprehendez en nosdits Royaume & Dauphiné, pour faire à leurs personnes lesdits adiournemens, commandemens,inhibitions & defences,qui seront faits aux personnes de leurs Procureurs ,aux lieux & domiciles desdits benefices, au cas que ne pourroient estre apprehendez, vaillent,& soient d'vn tel effect & valeur,comme s'ils fussent faits à leurs propres personnes. Et en outre,pource que de ces presentes l'on pourroit auoir à besongner en diuers lieux,& qu'elles se pourroient deperir& perdre sur les chemins: Nous voulons qu'au vidimus,ou copie d'icelles fraischement fait sous seel Royal,ou autre authentique, foy soit adioustee comme à l'original: pourueu toutesfois que sur ce n'ait debat ou procés, ostension soit faite dudit original à la premiere ou seconde iournee. Car ainsi nous plaist il estre fait, & à nostredite

fille l'auons octroyé & octroyons de grace speciale. En tesmoin de ce nous auons mis nostre seel à ces lettres. Donné à Paris le 17 iour d'Auril l'an de grace 1410. apres Pasques, & de nostre regne le xxx.

Ainsi signé, Par le Roy en son Conseil, auquel les Comtes de Mortainh, & de la Marche: vous les Euesques de Noyon, de Luxon, & de S.Flour, maistre Guillaume Chanteseme, maistre Iean de Corbye, & autre estans. Et au dos est escrit.

Publiees en iugement en l'auditoire du Chastelet de Paris le mercredy septiesme iour de May l'an mil quatre cens dix.

KAROLVS Dei gratia Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam. Inter regij laudabiles operas culminis gloriosior ea cẽsetur, quæ Ecclesiam iugo seruitutis depressam subleuari, subleuatã in libertatis sede collocari, & collocatã, stipatu ambitioso, atque cupido procul pulso, perseueranter cõseruari satagit, & procurat. Cùm itaque crebris querellis clamosisque insultibus Regni ac Delphinatus nostrorum clero, ac dilectis Parisiẽsis studij Vniuersitate filia & generali Procuratore nostro, nos incitantibus ac sæpe & multum dudum stimulantibus, necnon fidei obligationem & iurisiurandi religionem, quibus ad stabilitatem obseruationemque iurium, libertatũ, & vniuersalem sanctæ matris Ecclesiæ statum obstringebamur, ingerentibus nobis, & modo quodam obtestantibus singulariori de consilio principum, ex nostra regali proditorum stirpe, & pocerum probatorum, Baronum, Collegiorum, Capitulorum, Conuentuum, ac Vniuersitatum eorumdem Regni & Delphinatus nostrorum, execrabilis prædictæ sanctæ matris Ecclesiæ schismatis vigente tempestate, & pro eiusdem vnione ad mandatum nostrum Parisius cõgregatorum, præuiaq; in præsẽtia nostra multiplici ac sedula discussione & deliberatione propensiori, certas cõclusiones per eos electas, &

& tandem nobis ab eiſdem per modum concilij relatas ſuſce-piſſemus, approbaſſemus, & eas ſolide tenendas ac inuiolabi-liter obſeruandas ſtatuiſſemus, ipſam Eccleſiam perſonaſque eccleſiaſticas dictorum Regni ac Delphinatus, iuxta genera-lium ſtatuta Conciliorum & ſanctorum Patrum decreta ad ſuam antiquam libertatem reducẽdo, & eas in eadem libertate cõſeruãdo & manutenẽdo, ac ſuper his ordinationes nõnullas edẽdo, quarũ quidem ordinationũ executionem, de prædicta vnione, & ſuper ſtatus Eccleſiaſtici reformatione, ac in Con-ciliis generalibus, dudum Piſis, & nuperrime Conſtantiæ ce-lebratis, melioratione ſperantes & prolixius debito præſtolã-tes diſtuliſſemus, vnde ac etiam prætextu reſeruationum non-nullarum per ſummos Pontifices, qui ſucceſſerunt, vt diceba-tur, factarum aut alias nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliiq; de præmiſſis Regno ac Delphinatu, quibus beneficiorum va-cantium, & quibus per electiones debite factas prouiſum ex-titerat, confirmatio & prouiſio pertinebat, veriti fuerant con-tradixeratq; ſeu diſtulerãt, verebantur, cõtradicebant, differe-bãtue ad earũdẽ electionũ confirmationẽ & beneficiorũ pro-uiſionẽ procedere, horumq; & nonnullarũ occaſione factarũ promotionum perhorrida Simoniacæ perfidiæ tabes Eccle-ſias, perſonaſque Eccleſiaſticas quamplurimas noſtrorum Re-gni ac Delphinatus, verum pene totos ipſos Regnum ac Del-phinatum noſtros acriter peruaſerat, letaliter obrepſerat & faſ-cinauerat, ac proſtrauerat damnabiliter. Ceterum immenſum aurum, argentum infinitum, innumeræque financiæ de ſupra-dictis Regno ac Delphinatu noſtris iugiter aſportabantur, in dictarum præuaricationem ordinationum, eorundemque Re gni ac Delphinat⁹ exinanitionem, totius Reipublicæ iacturã, & irreparabilem læſionem: ſed & Eccleſiarum tam Regis, quam alius præfundationis luctuoſam deſolationem: ſuper quo immẽſos intolerabileſq; plãctus plurimorũ, præſertim iã dicti Procuratoris noſtri generalis & dilectorum noſtrorũ Prę poſiti mercatorũ & Scabinorũ ciuitatis noſtræ Pariſius rurſũ apud nos emiſſos, & ſæpi⁹ relatos audiuiſſemus, & cum animi do-lore ſuſtinuiſſemus. Notum igitur facimus vniuerſis tam

præſentibus quàm futuris, quod nos prouiſionem ſuper his vlterius differre non valentes, diſpendiiſque præmiſſis obuiare, & ambitionis atque cupiditatis ardorem cupientes mitigare: præhabita deliberatione matura cum Prælatis quàm plurimis, & gentibus Camerarum dicti noſtri Parlamenti, aliiſque pluribus Doctoribus & Magiſtris, de dicta pariſienſi Vniuerſitate, in ingenti numero in Camera dicti noſtri parlamenti de mandato noſtro congregatis. Voluimus ac prout alias ordinauimus, volumuſque & ordinamus, Eccleſias, perſonaſque Eccleſiaſticas eorundem Regni ac Delphinatus noſtrorum ad ſuas antiquas franchiſias & libertates in perpetuum reducendo, quæ Eccleſiis noſtrorum Regni ac Delphinatus cathedralibus & collegiatis, & earum beneficiis electiuis ſecularibus & regularibus, per electiones Capitulorum, Conuentuũ & Collegiorum, ſeu poſtulationes canonice factas, confirmationeſque ſuperiorum, & non electiuis per præſentationes, collationes, & inſtitutiones ordinationum, quibus de iure communi ſeu conſuetudine pertinet, ſecundum antiqua iura communia, Conciliaque generalia, de perſonis idoneis prouidebitur, ceſſantibus & reiectis omnino, ac non obſtantibus quibuſcunque, & quorumcumq; reſignationibus, generalibus vel ſpecialibus, ac prohibitionibus, expectationib9, aut gratiis etiã cũ decreti appoſitione factis aut faciẽdis, cõceſſis ſeu cõcedendis. Et inſuper quoad exactiones pecuniarum, quas ab aliquibus, retractis temporibus, curia Romana, ſeu Camera Apoſtolica, ſeu prætextu vacantium beneficiorum Regni & Delphinatus prædictorum, aut alias quouis modo, ſeu colore præmiſſorum ſibi applicari voluit, penitus ceſſabunt. Intendimus tamen tamquam Chriſti fideles ſummo pontifici & Eccleſiæ Romanæ, æque pluſue cæteris, in neceſſitatibus, ſiue & cum tempus exigerit, ſuccurrere, & rationabiliter ſubuenire. Inhibemus autem omnibus & ſingulis noſtris ſubiectis, diſtricte & ſub omni indignatione, quam erga nos formidant incurrere, ne huic noſtræ ordinationi auſu temerario contraire ſiue eam impedire præſumant. Quocirca memoratis gẽtibus præſens tenentibus, & quæ futura tenebunt parlamenta,

omnibuſque

omnibusque Seneſcallis, Bailliuis, Præpoſitis, Vicecomitibus, & aliis quibuſcunque iudicibus noſtris dictorum Regni Delphinatus, & eorum loca tenentibus, committimus, & mandamus quatenus præſentes litteras, ſeu ordinationem & voluntatem noſtras debite ac celeri demandent executioni, eaſque in locis ſuorum diſtrictuum, & iudicaturarũ inſignibus cridare & palam publicari, ne quis eorum ignorantiam prætendere valeat, faciant, & procurent omnes & quaſcunque perſonas cõtra veniẽtes ſeu attentãtes, cuiuſcũq; ſtatus, ſeu conditionis exiſtant tãnquam noſtrarum tranſgreſſores ordinationum taliter puniendo, quod ceteris cedat in exemplum. Nã præmiſſa ſic fieri volumus & iubemus tranſcriptoque ſeu vidim⁹ præſentiũ ſub ſigillo Regio debite cõfecto, fidem plenariã ſicut originali adhiberi. Quæ vt perpetuæ ſtabilitatis robur obtineãt, ea ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum & datum Pariſiis anno Domini 1418. menſe Martio poſt Paſcha: Regni vero noſtri anno XXXVIII. Sic ſignatum, Per Regẽ ad relationem magni ſui Conſilij in Camera Parlamenti tenti per dominum Delphinum Viennenſem.

Item à tergo, Lecta & publicata in Camera Parlamenti 13. die menſis Aprilis, anno Domini 1418. poſt Paſcha.



droicts de ceste dignité. Aussi à vray dire, par les anciennes histoires se peut assez recognoistre que ce Comté & pays d'Agenois ayant esté des appartenances de la couronne de France (mesmes ce qui est de la riuiere de Garonne, & auparauant & depuis la victoire des Rois Theodebert & Theoderic sur les Gascons, lesquels estans descendus de leurs montaignes soubs Childebert, s'estoient mis plus au large en la plaine) & ayant esté baillé entre autres terres par le Roy Dagobert à Aribert son frere, retourna par la mort de ces deux Euesques entre les mains de ceux qui s'estoiēt emparez de la Guienne soubs la nonchaillance & faictneantise des derniers Rois de la seconde race (de laquelle toutesfois celuy qui emporta le surnom de grād, ayant estably l'vn de ses quatre principaux seiours en son palais de Cassegneuil en ce mesme Cō-té, y fonda luy & ses enfans plusieurs belles Eglises & monasteres, & entre autres l'abbaye de Clerac & celle d'Eyxse, retenant encor auec le nom, quelques restes de l'ancien Excisum mentionné en l'itineratire Romain) & de la ce pays estāt tombé és mains d'Heleonor fille de Guillaume, Duc d'Aquitaine, & Comte de Poictou, & par son mariage auec Loys (non sans cause appellé le ieune) reuenu à ceste couronne, en fut depuis distraict & desmembré par vn peu heureux diuorce, & par vn remariage encores plus malheureux transporté à l'Anglois, qui le retint & occupa depuis l'an mil cent cinquante deux, iusques à ce que le Roy Richard par le contract du second mariage de Ieanne sa seur, en l'an mil cent nonante six le ceda & transporta auec le Quercy au Comte de Tholose pere du dernier Raymond. Ce qui semble encor n'auoir esté lors faict sans apparence de quelques pretentions precedentes de la part du Comte, du moins pour le regard d'Agē-nois · d'autant que par quelques reliques anciennes de nostre histoire, se trouue remarqué, qu'auāt le temps du Roy Charles le simple, Vulgrin Comte d'Angoulesme s'empara d'Agen y pretēdant droict du chef de sa femme sœur de Guillaume Comte de Tholose: & qui plus est laissa ceste ville auec Perigueux à Guillaume son second fils. Tant y a qu'à ce der-

nier Raymond l'Agenois fut delaissé par le Roy S. Loys, en faisant le traicté de Paris au mois d'Auril 1228. par lequel fut aussi conclud le desmantellement de trente places du Comte, entre lesquelles furent par expres les villes d'Agen & de Condom. Ce traicté est celuy mesmes par lequel fut accordé le mariage entre monsieur Alphonse de France Comte de Poictou, frere de S. Loys, & Ieanne fille de ce Raymond, par le moyen duquel la succession du Comte de Tholose (qui estoit de son origine de la maison de Carlat en la Comté de Rhodez) vint au frere du Roy & depuis à la couronne de France. Mais ce ne fut qu'apres le decez d'Alphonse & de Ieanne: pendant la vie desquels en passant le traicté de l'an 1259. entre le mesme Roy S. Loys & Henry d'Angleterre (que les Anglois nous feroient volontiers croire auoir esté la premiere recognoissance de l'hommage de la grand Gascongne qu'ils appellent) fut par expres accordé pour le regard de la terre d'Agenois & Cahorsin, ainsi parloient-ils lors, que si ceste terre escheoit par succession de la Comtesse Ieanne au Roy de France ou ses hoirs, il seroit tenu rendre au Roy d'Angleterre Duc d'Aquitaine le fief de la terre d'Agenois, sauf l'hõmage de son frere, auec la vallue d'icelle en deniers par chacun an selon qu'elle seroit prisee à droicte valleur de terre par preud'hommes nommez. Mais si elle venoit en domaine au Duc, le Roy ne seroit tenu luy rendre ledit reuenu par chacun an. Et s'il estoit aduisé par la Cour de France, que pour ladite terre le Duc deust auoir aucuns deniers pour raison de la gagerie d'icelle faicte au Comte de Tholose pere de Raymond, le Roy luy rendroit lesdits deniers, ou le Duc retiendroit la terre iusques à ce qu'il fust payé. Apres la mort d'Alphonse y eut proces & differend entre les executeurs de son testament & le Roy d'Angleterre pour raison de quelques droicts d'Agenois, qui fut traicté en la Cour de France, cõme souueraine, & du Duc & du Duché de Guienne : & se trouue encores auiourd'huy l'arrest du Parlement de Paris, de la Toussainct 1287. (comme lors ils auoient certains temps & termes, pendant lesquels ils vacquoient à l'expedition de

la Iustice, mesmes és iours de festes, ainsi que messire Guillaume Durandi, Euesque de Mendes dict en quelque endroict, & est l'arrest conceu en ces mots. *Dictum fuit per arrestum quod super consuetudinibus super quibus inquirendum est inter Regem Angliæ & executores testamenti Comitis Pictauiensis, inquiretur per testes singulares cum terra Agennensis regatur iure scripto.* Ce qui monstre assez que lors és pays que l'on appelle de droict escript, la forme d'enquerir par turbes n'estoit receue ny practiquee. Encores à ce propos entrelassera-il ce mot en passant, Que bien que le pays d'Agenois fust encor de ceste qualité, toutesfois deslors & de plus grande ancienneté la ville d'Agen auoit ses statuts & ses coustumes redigees par escrit, depuis confirmees par aucuns de nos Rois, voire enregistrees en la chambre de leurs comptes de Paris. Et la banniere qui se voit peinte és anciens exemplaires d'icelles, sous le tiltre de l'ost du seigneur ou du serment, porte les remarques apparentes des armes des Comtes de Tholose, mesmes de celles de Raymond, duquel ce pays & de l'vn & de l'autre costé de Garonne retient encores auiourd'huy le nom en ses mesures. Apres la mort d'Alphonse & de sa femme sans enfans, quelque traicté qu'il y eust pour ceste succession ou reunion, la terre d'Agenois ne laissa d'estre contentieuse entre le Roy de France & l'Anglois, lequel y pretendoit tousiours droict par le moyen du premier contract de cession qu'il disoit n'estre qu'vn engagement. Voila pourquoy quelque temps apres par autre traicté faict en la ville d'Amiẽs, le 23. iour du mois de May 1329. entre Philippes de Vallois lors nouuellemẽt appellé à la couronne par l'ancienne loy du Royaume, & Edouard Roy d'Angleterre, comme Duc d'Aquitaine, entre autres choses ce pays d'Agenois fut rebaillé au Duc à tenir en pareil droict que le surplus de sa terre de France, dont il feit encores lors hommage lige au Roy, voire en la mesme forme & maniere que les autres vassaux & Pairs de ce Royaume auoyent accoustumé, comme en faict foy l'acte authentique qui s'en trouue du 6. iour de Iuin ensuiuant: Qui monstre assez que l'Historien qui en a voulu parler autrement, ou n'en a bien sceu la verité, ou en

cest endroict, comme en plusieurs autres, a voulu fauoriser l'Anglois, vray est qu'apres le malheureux succez de la bataille de Poictiers, par le traicté conclud à Bretigny prés Chartres, au mois de May 1360. le Roy d'Angleterre pretendit tenir ce pays en quelque plus grand droict, & nommément la Cité & le Chasteau d'Agen, specifiez en ces termes par ledit traicté, se fondant encores sur ce que par le subsequẽt de Calais il n'y eut rien de retranché pour ce regard. Mais peu apres & en l'an 1369. ayant esté la Guyenne reconquise au Roy, interuint arrest de commise & de reunion du 14. May 1370. par le moyen duquel comme par vn iuste iugement de Dieu, ce Cõté entre autres, retourna à la couronne d'où il estoit party. Toutesfois ne laissa pour cela le Roy d'Angleterre de le quereller depuis, comme le surplus de ce qu'il pretendoit luy appartenir. Et est remarquable en cest endroict, qu'entre les propositions faictes par les deputez des deux Rois assemblez à Amiens ou mois de May 1390. fut fait offre de la part du Roy de laisser entre autres choses au Roy d'Angleterre le Comté & pays d'Agenois. Et pour luy faire mieux gouster la grandeur de cest offre, les deputez, gens entendus, adiousterẽt par expres, qu'oudit pays d'Agen y auoit trois Citez, sçauoir est Agen, Condom & Lectoure: Ce qui pourroit sembler nouueau pour le regard de Lectoure à ceux qui sçachans biẽ que c'est vne Cité fort ancienne, portant tiltre d'Eueschè de plus long temps, ne sçauroient pas que sous les Comtes d'Armaignac & lors de l'arrest de l'an mil quatre cens soixante, non seulemẽt la ville de Lectoure acquise ou retiree l'an mil trois cens vn, par le Roy Philippes le Bel d'Helies de Talleran Cõte de Perigort, & depuis par luy donnee à Arnault de Gout, frere du Pape Clement cinquiesme, fils de Garsie, & par le testament de Reyne de Gout, fille de Bertrand, & petite fille d'Arnault, demouree à Iehan Comte d'Armaignac, deuxiesme de ce nom son mary; mais aussi vne partie des autres terres, portans tiltre particulier de Comtez & Vicomtez qui sont auiourd'huy soubs la Seneschaulcee d'Armaignac, & entre autres les Vicomtez d'Auuil-

lar & de Leomaigne comprinses en la mesme acquisition, ensemble la Vicomté de Brouillhez venue par eschange de la maison de la Rochechouart, estoient du ressort de la Seneschaulcee d'Agenois, tellement qu'il estoit au choix des subiects d'icelles de se pourueoir ou à Agen ou à Condom. Et se trouuent lettres patentes du Roy enregistrees en la Cour de Parlement de Bourdeaux, mesmes de l'an mil quatre cens soixante & quatorze, par lesquelles il declare qu'il entend que les terres du Comte d'Armaignac qui souloient auparauant ledict Arrest ressortir en la Seneschaulcee d'Agenois soyent & demeurent du ressort dudit Parlement de Bourdeaux. Ce que toutesfois n'a depuis sorty effect pour le regard du ressort, mais bien en sont demourees quelques remarques en l'estendue de la Recepte ordinaire, qui comprend encores auiourd'huy soubs soy lesdites Vicomtez. Quant à Condom, il n'y a point de doubte qu'elle ne fust d'ancienneté de l'Agenois, & n'estoit aucunement Cité, ains vne simple ville, ayãt prins son commencemẽt d'vne Abbaye de l'ordre S. Benoist, fondee par Algasius Duc d'Aquitaine, Ysamburgis sa mere, & Agnes sa femme, sous le dioceze mesmes de l'Euesché d'Agen, duquel ceste ville fut depuis distraicte par le moyen de ce que le Pape Iean xxij. erigea ceste Abbaye, comme plusieurs autres de la Guyenne, en tiltre d'Euesché, demeurant neantmoins les Chanoines d'icelle reguliers, iusques en l'an cinq cens quarante neuf, qu'ils furent secularisez par Bulle du Pape Iules deuxiesme de ce nom, confirmees par lettres patẽtes du Roy, de l'an 554. Quant à la temporalité, encores est elle à present soubs vne mesme Seneschaulcee, à laquelle, pour ceste consideration, on a depuis quelques annees adiousté le tiltre de Gascongne, bien que sous les Rois d'Angleterre pẽdãt qu'ils ont occupé la Guienne, le nõ & tiltre de Seneschal de Gascongne fust de celuy qui estoit par eux enuoyé pour lieutenant & gouuerneur de tout leur pays de par deça: & le surnõ du Mas, qui est du mesme costé de Condõ, en demeure encor auiourd'huy pour marque irrefragable, nonobstant la diuisiõ des sieges faicte de nostre memoire par lettres patẽtes du Roy

du Roy & arrests de son Conseil priué sur icelles, des 24. iour de May, & trentiesme Ianuier cinq cens cinquante huict. Mais son intention n'est pas, & le lieu aussi & l'heure ne luy permettent de poursuiure icy plus auant les particularitez de ce subiect, & encores moins d'entrer en autres remarques des derniers temps qui peuuent mieux estre cogneuz que ceux qu'il a seulement voulu toucher comme en passant, pour mõstrer que ce n'est pas sans cause qu'il a pleu au Roy fauoriser ce pays d'vn si long seiour de ceste compaignie. Et Dieu vueille que les habitans recognoissans, comme ils doiuent, ceste grace & faueur singuliere de leur Prince naturel & seigneur souuerain, en puissent bien faire leur proffit à l'aduenir, & sur tout que les Magistrats & officiers puissent prendre exemple à ce qu'ils y ont veu en l'administration de la Iustice, sans brigues, sans corruptions, sans passions particulieres, & sinõ auec telle soudaineté que l'humeur du pays pouuoit sembler le desirer, au moins auec telle moderatiõ & attrẽpance, voire auec diligence telle que la vraye iustice requiert, de laquelle les pl⁹ saiges & aduisez ont dict la precipitation estre maratre. Encores ont ils tous occasion de porter d'autant plus doucement le partement d'vne telle compagnie, qu'il a pleu au Roy ne l'essloigner du tout de ce pays, changeant seulement sa seance en lieu fort proche, qui est la Seneschaucee de Perigord, pour le bien & soulagement de laquelle, affin qu'elle se resente de plus pres du fruict de sa Iustice, & par maniere de dire, des rayons de son œil, dont elle a autant ou plus de besoing qu'aucune autre de ce ressort, il luy a pleu commãder à ceste Cour de se trãsporter en la ville de Perigueux, par les lettres patẽtes dont lecture a esté faicte presentement, Sur lesquelles partant il a requis estre mis, Qu'elles ont esté leues, publiees & enregistrees. Et pour l'execution d'icelles, estre prefix iour certain, auquel ladicte Cour cessera de toutes expeditions en ceste Ville d'Agen, iusques au vingtiesme iour du moys de Iuing prochain, dans lequel elle se rendra toute entierement en la Ville de Perigueux, pour y faire l'ouuerture de sa seance. Auquel iour toutes assignations tant ciuiles que criminelles lors

escheues & à escheoir soyẽt continuees, Et enioinct aux arrestez & eslargis par ceste Ville d'Agen de se rendre en l'estat à ce mesme iour en ladicte ville de Perigueux, sur peine d'estre declarez attaincts & conuaincus des cas dont ils sont preuenus accusez; n'empeschant à ceste fin le chemin leur estre baillé pour prison, à la charge toutesfois pour le regard de ceux qui sont en la garde des Huissiers, de bailler caution de se representer, auec deffenses de communiquer par eux ou autres auec les tesmoings, ny les intimider, sous les mesmes peines. Et quant aux prisonniers qui resteront és prisons de ladite Cour, non iugez, iceux estre menez & cõduits sous bõne & seure garde par le Visenefchal d'Agenois & Gascongne, ou son lieutenant en ladicte Ville de Perigueux & és prisons d'icelle, dedans le mesme iour de la premiere seance, exceptez ceux qui tiendront pour amendes & reparations pecuniaires adiugees au Roy ou aux parties ciuiles, lesquels demeureront & seront delaissez és prisons ordinaires de ladicte ville d'Agen iusques à plain payement, ou qu'autremẽt par la Court en soit ordonné. Et outre enioinct aux procureurs qui sont chargez des causes, procez ou instances pendantes en ladite Cour, de se rẽdre en ladicte Ville de Perigueux au iour qui sera prefix, ou substituer autres procureurs de ladicte Cour en leur lieu & place, qui seront tenus s'inscrire & mettre coppies signées de leurs substitutions ou greffe d'icelle, dedans le premier iour de ladicte seance, sur peine d'amende arbitraire, & de tous despens, dommages & interests des parties: Et au surplus, d'obeir & satisfaire aux arrests & reiglemens cy deuant faicts, sur les peines y contenues. Et ce pendant qu'ils ayent à remettre au greffe dedans tel temps qu'il plaira à la Cour arbitrer, les procez dont ils sont chargez par leurs recepissez ou sur le registre: & qu'à ce faire, ledict tẽps passé, ils soyent contraincts par toutes voyes & manieres deues & raisonnables, mesmes par emprisonnement de leurs personnes. Aussi estre faict vn roolle des appellations verbales & requestes ciuiles, & autre roolle des simples requestes sur les placets & ethiquettes que lesdicts Procureurs bailleront, pour estre les-

dicts roolles publiez auant le partement de ladicte Cour, & sur iceux plaidé & exploicts donnez contre les deffaillans dés le premier iour de la seance en la Ville de Perigueux: & à ceste fin estre enioinct ausdicts Procureurs de retirer les sacs & pieces des Aduocats qui s'absenteront pour leurs affaires ou empeschemens, & en charger autres pour se tenir prests de plaider audict iour & autres ensuyuans, sur peine de tous despens, dommages & interests des parties, contre lesquelles sera prins ou donné deffaut, congé & autre exploict à faute de ce.

Et ce pendant estre mandé & enioinct au Seneschal de Perigord, ses lieutenans & autres iuges de ladicte Seneschaucee, Viseneschaux dudict Perigord, & des pays circonuoisins, de faire tout debuoir d'informer des crimes & excez commis en leur ressort, dont la cognoissance peut appartenir à ladicte Cour, decreter les informations, mettre & faire mettre à executió lesdicts decrets & tous autres cy deuãt decretez & non executez, Et aux substituts d'y tenir la main sans aucune dissimulation ny conniuence, & d'aduertir & certifier la Cour dedans le iour qui leur sera prefix, du debuoir qu'ils auront faict chacun en leur esgard, sur peine de suspension de leurs estats, & de priuation s'il y eschet.

Quant au surplus du contenu esdictes lettres concernant le renuoy des causes & proces des pays & ressorts de Quercy, Rouergue & Armaignac dont cognoissance a esté attribuee à ladicte Cour par lettres patentes du Roy publiees en icelle le vingtsixieme Octobre, mil cinq cens quatre vingts & deux, d'autant qu'il y a esté poureu sur ses conclusions, par l'arrest donné en l'audience du sixieme iour du present moys, & pareillement à ce qui concerne le debuoir des Maire, Consuls, & officiers de la ville de Perigueux pour pourueoir aux necessitez & commoditez tant de la seãce, que du seiour de la Cour en ladicte ville, A dict n'auoir autre chose à requerir pour ce regard quant à present.

P. P.

PRÆFATIONES ET NOTÆ IN VARIOS AUCTORES.

Item Epiſtolæ & Verſus.



PRÆFATIO IN SALVIANVM.

PETRVS PITHOEVS V. C. NIC. FABRO REGIS CONSILIARIO S.

VEtus est Poetæ Romani dictum,

Sperne mores transmarinos, mille habent offucias.
Ciue Romano per orbem nemo viuit rectius.
Quippe malim vnum Catonem, quam trecentos Socratas.

Ego vero mi Faber externas etiam virtutes vel transmarinas & laudo & admiror lubens: sed patrias & domesticas nihilo sane inferiores præ illis quadam non dicam inuidia, sed ignauia nobis sordere negligique, & indignor & doleo. Nam etsi ipsa sibi virtus præcium pondusque est, habet tamen momenti nonnihil in animis hominum patriæ nomen, cui etiam in rebus æstimandis tribui aliquid, neque præter æquitatem, & fortassis officij esse videatur. Et quod Periander quondam

valde se probare dicebat vrbium moderatores, qui externis primum, deinde suis ius redderent, valeat sane in forensibus iudiciis ad peregrinantium hospitumq; solatium, immo & ad reipub. ipsius gloriam, dum nequid ea re ciuium iuri laudique detrahatur. Sed iam libere dicam, mi Faber, sic sæculum est, vt qui vitiis nostris pares esse vix possumus, maiorum virtutibus æstimandis omnino impares simus: quibus tamen quid anteferatur non video. Nam vt religionis cultum intueamur (quæ nunc mihi visio proposita est) quid est quæso, quod Galliæ ceteris orbis regionibus inuideant? Scripserit vtique Sulpitius trans Alpes Dei religionem serius visam: Ecclesiarum tamen in Celtis apud Irenæum mentio, atque ille ipse iam noster factus Hirenius, & Vettij Epagathi martyrumque Lugdunensium celebratissimæ etiam apud nos Græcos memoriæ, quos iam tum progressus sacrosancta fides apud fecisset, satis ostendunt: & quod apud Cassiodorum Theodericus Gundebaldum laudat quod per eum, vt ipsius verbis dicam, Burgundia gentile propositum deposuerit, si quis non ad fœdus societatemque cum Romanis Gothisque successoribus initam, sed ad Christianismum referre volet, profecto satis prodat nõ intelligere se quæ tum gentes ab Italis dicerentur. Iam & illos ipsos Burgundiones tum quidem ad fines Æmiliæ & Liguriæ progressos, dein Massiliensis prouinciæ ac regionũ circa Rhodanum Sacaunamque ditione cõtentos, multo ante Christiana fide imbutos fuisse vel ex Ecclesiastica Græcorum historia constat. Illud sane temere inficiari nolim, quod & idẽ Seuerus testatur, ante Martinum adeo paucos in agris vicisq; apud nos fuisse Christianos, vt non abs re antiquitas nostra paganorum nomen de iis vsurpasse videatur. Atque ob id quidem minus miror Pannonium hominem sane diuinum, tanto à nostris honore habitum vt ab eius transitu siue depositione diu annos numerarent: post etiam nundinarum solennium dies vt Remigij sic Martini nominibus insignirent: quin & Turonicum iter non minoris quam Romanum facerent. Sed habuisse tum ac multo etiam ante ciuitates suos Episcopos (quos & Papas communi vocabulo appellabant) nec eos quidem vulgari

garis notæ homines,ſed viros ſummos& probitate atque eruditione orbi admirabiles,notius eſt quam vt pluribus demonſtrari opus ſit. Teſtis idem ille Gallogræcus Irenæus. Teſtis & eius anteceſſor Fotinus Polycarpi,vt tradũt diſcipulus, Antonini fere principatu Romam miſſus , epiſcopante in ea vrbe Eleutherio,quem Benedicti elogio Tertullianus Afer martyrem ornat. Teſtes Tholoſanus Saturninus , Gratianus Turonicus,Trophimus Arelatenſis,Strimonius Aruernus, Martialis Lemouicus,Paulus Narbonenſis. Teſtis Pontius Cypriani in Africa diaconus,poſt eius beatum martyrium presbyterio in Gallia functus. Teſtes illi quos Donatiſtæ Africæ quantumuis ſuperbi & difficiles, in cauſa tamen Cæciliani libello ad Conſtantinum Imperatorem dato ſibi ex Gallia potiſſimum iudices dari poſtularunt. Teſtes & ij qui Arelatenſibus, aliiſq; Synodis circa ea tẽpora, quin & ante ipſius Conſtantini principatum in Gallia habitis frequẽtes adfuere. Teſtis Nectarius Viennenſis qui Vaſenſi primus interfuit. Teſtis & ille nunquã ſatis laudatus Hilarius,per quem de prælio (vt Hieronymus ait) reuertentem Gallia Arminenſis perfidiæ & ὁμοιϐσίας dolum vitauit,cum omnes pæne toto orbe Eccleſiæ ſub nomine pacis & regis Arrianorum conſortio pollutæ eſſent vſque eo, vt eius quoq; cõtagionis ac labis nõ in Græcorũ modo Theologorum libris,ſed in ipſis etiam Imperatoriarum legum codicibus hodieque ſuperſint reliquiæ. Teſtis idem Sulpitius ſacræ hiſtoriç ad ea tempora ſcriptor,non Biturigarum Epiſcopus generis Senatorij,vt pleriſq; male viſum eſt,ſed Primuliacenſis in Aquitania presbyter longe Gunthranni regis temporibus antiquior,Paulini familiaris,quo digniorem Salluſtio Tacitoque æmulum ne inter Romanos quidem ſuperioris ætatis ſcriptores vllum video. Quin & Paulinus ipſe, & Ruſticus, & Phœbadius, (ſiue ille Aginnenſium Feudarius hodie ſit,ſeu quis alius) & Proſper Aquitani. Teſtis Aletius presbyter Hieronymo & ſanctitate & eloquentia doctrinaque laudatus: teſtis Vincentius qui Peregrini nomine Commonitoria ſcripſit, quibus nihil eo genere aut maiore iudicio aut acutiore ſtillo conſcriptum memini. Teſtes poſt hos Eucherius

Lugdunensis, Hilarius Arelatensis, Ecdicius, Auitus & Claudianus Mamertus Viennenses, Apollinaris Aruernus, Faustus Rhegiensis, & vt ad Masilienses aliquando veniam, Musæus, Gennadius & hic iam noster Saluianus. Nam quid ego Belgas Celtasque memorem Lupum Tricassinum Pontificum principem dictum, & Germanum Antisiodorensem, quibus assertoribus vltima Britannia fidei ingenuitatẽ retinuit? Quid Remigium illum Rhemensem? quid alios eius ætatis Episcopos ac presbyteros? quorum in Catholicã zelo a Francis Galliæ imperium deberi scio, & à recentioribus historiographis non satis animaduersũ miror: de quibus dabitur alias amplior dicendi locus. Nunc quidem istos tãtum digito indicasse volui, per quos potissimum singulari quodam Dei beneficio effectum est, vt, etsi ea ætas næuis suis non caruerit, sola tamen Gallia ab acerrimo regidissimoque censore monstra non habuisse dicatur. Hoc vero illi non voce tantum de ambone & pulpito, aut aræ gradibus consequuti sunt, sed libris dictatisq; suis, quos si quis cum aliarum nationum scriptis conferre volet, ausim ego sacramento contendere, nec verborum nitore, nec sententiarum pondere, nec rerum grauitate cessuros. Atque adeo sæpe optaui horum non modo quæ edita sunt, sed & quæ ex antiquis bibliothecis recuperari possent, omnia colligi & Gallicæ Theologiæ tanquam speculum quoddam fieri, in quo maiorum nostrorum virtutes quasi contractis luminibus clarius elucerent. Quam in rem, etsi aliud mihi studium, alia professio est lubens tamen meritoq; operam patriæ semper impendam: quin, si nihil aliud in me est, votis saltem meliorum conatibus adero, quorum nunquam nisi sero damnabor. Eius meæ deuotionis fidem interim faciet hic Saluianus, cuius scripta, quorum magna pars hactenus lacera disiectaque iacuit ita collegi, vt veterum codicum beneficio longe meliora atque integriora polliceri ausim. Librorum quidem de prouidentia exemplar, ex Patris clarissimi viri bibliotheca pridem habui illorum qui ad Ecclesiam Timothei nomine inscripti sunt optimum vetustissimũ precio nactus sum: Epistolarũ quod superest Petri Danielis nostri viri optimi & antiquitatis

ſtudioſiſſimi codici magna parte debetur. Quanquam autem ea nunc morum labes eſt, vt neque mala noſtra, neq; remedia pati poſſe videamur, quando tamen ægroto dum anima eſt ſpes eſſe dicitur, dedi & hoc ſpei noſtræ vt Saluiani de non abſimili ſæculo quærellas noſtris potiſſimum hominibus exponerem, quibus nullum tot tantiſque malis præſentius remedium eſſe putaui. Qualecumque eſt tibi potiſſimum deberi volui atque in tuo nomine apparere, vt eſſet apud omnes teſtimonium amicitię eius qua me tibi ob ſummas virtutes tuas & ſingularem in me beneuolentiam deuinctum ſentio, atque vltro profiteor. Bene vale, mi Faber, & Saluianum tibi cōmendatum me abſente typographo ſæpe cōmenda. Lutet. pariſior. Non. Octob. feriis vindemialib. anno Chriſti CIↃ.IↃ.LXXIX.



PRÆFATIO
IN PAVLVM
DIACONVM.

P. PITHOEVS BASILIO AMERBACHIO IC. BASIL.

BENE monent qui ſcientias diſciplinaſque omnes ab antiquis illis maiorum gentium auctoribus repetendas ediſcendaſque cenſent, quorum qui luminibus obſtruere conantur, vt quaſi cornicum oculis confixis ſoli ipſi regnent, ſoli ſint à quibus poſt hac omnium artium iura petãtur, perinde mihi facere videntur, ac qui illimium fontium capitibus obductis caſtelliſque euerſis, ex lacubus paludibuſque cœnoſis homines haurire iuberent. Sed habet hoc hiſtoria pene ſingulare, vt cum vna inter cæteras antiquitatis parẽs conſeruatrixque ſit, omnium tamen temporum auctores ferat: imo non ferat quidem ſolum, ſed etiam deſideret. Nec enim ſi quis ex Cæſare Tacitove Gallorum Germamanorumque mores quamtumuis anxie & diligenter didicerit, ob id noſtræ hiſtoriæ peritus vtcumque habebitur, immo hæc cum nuda & vix bene inchoata cognitio in turpes pudendoſque errores inducet, ſi illis etiam in poſteriorum temporum memoria

abuti velit, quæ alia plane sunt, & suos auctores habent: quos sane optandum maxime esset elegantiores rebusque ipsis digniores aliquantulum fuisse, sed tamen quando ita sæcula tulerunt, iis tandem vt lippis saltem oculis omnino vtẽdum est. Hæc vero si miseria quædam est & infelicitas, o miseros, Basili, Consultos iuris, non dico illius Romani puriputi, quod puros etiam putosque Romanos, id est, politissimos & elegantissimos authores adiutoresque habet, sed nostri quod ex posteriorum non tantum legum & constitutionum, sed & historiarum fere cœnoque haurire cogimur, si quidem veram nobis & genuinam eius cognitionem volumus comparare. Quamobrem cum sæpe alias antea, tum hoc maxime tempore, quo plus aliquantulum otij nactus sum quam fortasse vel'ẽ nostrorum regum & Imperatorum historiis lubens animum appello, atque vt solet curiositas interdum liberalior esse, quo aliquem etiam fructum ex hac nostra, vt ita dicam, peregrinatione cæteri percipiant, operam do. Ac de Gallicis quidem historiis legibusq; Gothicis etiam ac Longobardicis, quibus cum illis magna cõmunio est cõsilij mei executionem in aliud tempus differre melius putaui, quo Deo ἀπὸ μηχανῆς pro sua clementia & benignitate summa visum fuerit, & patriam nobis trãquilliorem, & nos patriæ meliores reddere, in qua ex veterum librorum thesauris tum alienis tum meis, si modo supersint, vt opto speroque, salui, non integriora modo, quam vulgo nonnulla extent, sed & plura & præstantiora hoc genere præstare possumus. Germanicorum vero authorum, ante annos ducentos patriam historiam Latine scripserunt, edendorum prouinciam P. Perua sedulus & diligens typographus meo hortatu lubens suscepit. Ac iam quidẽ de Othone, Gunthero, & aliis quibusdã nescio quid præstitit; sed cum ante proximas Francford. nundinas, quas sibi, vt scis, librarij in negociis constituendis tanquam cynosuram aliquam proponere solent, reliquos absoluere non posset, & in hanc forte miscellam historiam veteris tui libri fide allectus diuertissem, facile assensus sum, atque etiam author fui, vt eam cuius venalia exemplaria iamdiu nulla extarent, tandem

aliquando publico redderet, aliquot locis, vt ego quidem arbitror, & meliorem & auctiorem. Nam ex tuo illo manuscripto multa restituta, plura etiam adiecta quę omissa antea fuerãt, facile deprehendet quisquis hanc editionẽ cũ priore conferre non grauabitur. Omnia sane fideliter expressa, affirmare ausim. Nam quæ margini typographus adiecit, ea video esse quę ipse ex veteri tuo libro, interiori adscripserã, sæpe etiã linea inducta cum quædam non probarẽ, de quibus tamẽ suum cuiq; iudicium relinqui non moleste fero. Epigraphen historiæ ex Metensi exemplari reddidi, cum ante annos XXXVI. Eutropij nomine a Sig. Gelenio doctissimo & diligentissimo viro edita esset: cuius nihilominus præfationem omitti passus non sum, ne quis sua laude fraudetur. Sed magni interest scire quid cuiusque sit, vt intelligatur quantum cuique tribuendum, & auctori sua interdum fides constet. Sane quæ Eutropij proprie sint, quæ postea Paulus Longobardus (quem Eghinardus Pisanum Diaconem, plures Aquilegiensem vocant) adiecerit, ex cuiusque libris separatim pridem excusis facile cuiusuis erit internoscere. Cætera vetus ille Metensis codex iudicauit a Landulpho addita, cuius nomen, vt verum fatear, tum primũ mihi audire contigit. At pene omnia ex Ecclesiastica Anastasij historia ad verbum transcripta liquido iurare ausim. Quod cum ante annos aliquot N. Vignerij medici integerrimi & Chronologiæ (cuius breui accuratissimum specimẽ editurus est) valde studiosi ope integrum Anastasij exemplar nactus essem, ex vtriusque inter se collatione, facile mihi fuit deprehẽdere. Sed nescio quo facto miser Anastasius antequam lucem ferret geruli perfidia quodammodo abortus, est secundis illis Gallicæ tempestatis fluctibus interceptus abreptusque: ex quib9 si ante eum saluum recipere licuisset, prodiisset hic quidem procul dubio longe integrior, nec aliunde Nicephori Chronologiam mutuari necesse fuisset. Sed prodibit ille quidem cũ Deus volet, a quo non despero, & hoc ipsum exemplar & alia quædã pretiosiora multo, quibus optarim potius vt hoc nostro qualicũq; otio frui contigisset, bonorũ virorũ fidei alicubi esse commissa. Interea tamen præfationem quam frater

meus forte inter sarcinas a me iam diu exscriptam reperit, adiicere visum est, vt hac saltem ex naufragio, si quod vel iam contigit, vel fortasse post hac, quod Deus auertat, continget tabellula supersit. Non feret vero moleste aut grauiter, vt spero, magnum Germaniæ ornamentum Ioac. Camerarius, qua esse eum audio humanitate & in rem literariam animi propensione summa interpretationem suam Nicephorianam pro Anastasiana adiectam esse: quæ vt exemplaris Græci vitio, quę vir doctissimus & elegantissimus vsus est, adeo plena integraque non sit, certe multis partibus politior elegantiorque videtur. Est tamen quod Anastasio concedamus, qui sub Caroli magni filiis nepotibusque pontificiæ Bibliothecæ curam gessit, vir alioqui, vt secula tulerũt Græcæ linguæ non adeo imperitus: ex qua de Dyonisio nostro, Io. Eleemone, & aliis quibusdã multa in Latinam linguam transtulit, quæ in Bibliothecis passim extant. Sed non adeo obuia est historia, qua Damasum vsque ad obitum Adriani secundi suppleuit: Sed nec volumen illud Synodi Constantinopolitanæ, quod pridem mihi videre contigit: in cuius præfatione memini Anastasium serio & grauiter conqueri necdum suo tempore imaginũ cultum a Francis siue Galliis fuisse receptum. Et sane, si verum seri volumus, nuperadmodum nostri homines imaginosi esse cœperunt. Testatur id satis superque, vt vetera illa omittam, de Claudio Taurinensi aliisque prouincialibus episcopis, ipsius Imperatoris Caroli contra Synodum C. P. liber ante annos viginti Lutetiæ editus, cuius fides vel vnius Hincmari Remensis testimonio extra omnem suspicionis aleam esse potest. Quidquod in antiquis eius Annalibus hodieque sic scriptum legimus? Anno DCCXCIIII. Synodus habita in Franconofurt, in qua hæresis Feliciana coram Episcopis Galliarum, & Germaniarum Italorumque, præsente magno principe Carolo & missis Adriani Apostolici Theophylacto & Stephano episc. tertio damnata est. Pseudosynodus etiam Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falso septima vocata ab Episcopis damnata. Sed & de posteriore Constantinopolitana Synodo Benedictinus

monachus,ſiue is Ademarus ſit,ſiue alius (quo magis credo) qui annales Francorum proſequutus eſt, ex quibus pridem ad Aymoinum pleraque adiecta ſunt,palam ſcribere auſus eſt, ea quæ malo ipſius verbis referre quam meis,& eo quidem lubẽtius,quod & Anaſtaſij noſtri meminerunt. Adrianus, inquit, Papa ſecundum quod Nicolaus deceſſor eius diſpoſuerat,miſſos ſuos,donatum ſcilicet Oſtienſem epiſcopum, & Stephanum Nepeſinum epiſcopum, & Martinum Diaconum S. Romanæ eccleſiæ ad Baſilium Imperatorem, & ad filios eius Conſtantinum & Leonem A.A. Conſtantinopolim direxit: cũ quibus & Anaſtaſius Bibliothecarius Rom.ſedis, vtriuſque linguæ peritus perrexit: & ſynodo congregata (quam Octauam vniuerſalem Synodum illuc conuenientes appellarunt) exortum ſchiſma de Ignatij depoſitione,& Fotij ordinatione ſedauerunt,Fotium anathematizantes, & Ignatium reſtituentes, In qua ſynodo de imaginibus adorandis aliter quam Orthodoxi Doctores antea definierant, ſtatuerunt: quædam etiam pro fauore Romani pontificis qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit,& quædam contra antiquos canones,& cõtra ipſam ſuam Synodum cõſtituerunt,ſicut qui eandẽ Synodum legerit,patenter inueniet. Sed illud fortaſſe omnibus nõ vſquequaque probabitur, ne ſub Friderico quidem primo a Germanis εἰκονῶν προσκύνησιν receptam fuiſſe. Et tamen Nicetas Acominatus auctor eſt,cum Fridericus cluſis Græcorum inſidiis Philippopolim occupaſſet Alamannos ab Armeniis, qui ſoli in vrbe remanſerant,non vt hoſtes, ſed vt amicos exceptos cum ob commerciorum frequentiam, tamen ob religionis inter ipſos conuenientiam,quod vtrique & imaginum venerationem deteſtarentur,& azimo in ſacris vterẽtur. Sed hęc vltra modum fortaſſis epiſtolæ,non omnino tamen extra rem cum & in his libris frequentes ſint de Iconoclaſtis & Iconolatris narrationes: quos ego quidem in tuo nomine apparere volui, V.C. cum quod proprie tui ſint qui ex inſtructiſſima Bibliotheca,quæ mihi dum hic ſum pene tecum vſu communis eſt,perliberaliter exemplar præbuiſti, adeo vt nunc reddere

potius

potius censendus sim: tum quod cupiam amicitiæ nostræ monumentum aliquod in posterum extare apud omnes, vt intelligãt me summam humanitatem cum incredibili prudentia coniunctam, ingeniiq; ac doctrinæ singularis elegantiam sic in te admirari, sic colere, vt hic mihi vnus instar sis omniũ: cui istis omnibus virtutibus paucissimos pares noui, superiorem neminem. Bene vale, Basileæ, V. Idus Mar. M.D.LXVIIII.



PRÆFATIO IN CAPITVLA KAROLI MAGNI.

HENRICO III. REGI Christianiß. P. P.

MAIORVM tuorum Christianissimorum principum leges nõ putaui aliis quã nominis tui, REX, auspiciis in publicum exire debere. Nã præter sanguinis iura, quæ nulla ciuili ratione corrumpi aut dirimi possunt: sane quæ regum nomen præferrent, & vero magna parte Regia essent, ad Regem etiam referri par fuit, cuius sacrosanctam Maiestatem qui vel tantulum imminuit, Dei ipsius summi omnium Regis atque Imperatoris imaginem violasse non immerito videatur. Accessit & illud, quod licet istis, vt ipsi tũ appellabant, Capitulis externa nonnulla & exotica pro collectorum ingeniis admixta sint tamen inter huiusmodi rudera, iuris Frãcici fõtes, aut potius fundamẽta, recognoscere nobis quidẽ facile est, quæ posteri hæc parte aliquãto feliciores in melius sic produxistis, vt quemadmodum nullum iam Francorum regno antiquius, aut nobilius orbis habet, ita vix vlla fere gens reliqua sit, quæ non ab hoc iura acceperit: nulla, quæ

legibus & institutis, siue copiam siue æquitatem & prouidentiam spectemus, cum eo comparari queat. Sed dabit veniam Maiestas tua, si illud paulo fortasse liberius adiecisse videbor, leges ipsas rem per se mutam ac mortuam esse, nisi vitam, & vt nostrorum verbis dicam, effectum rei à Magistratu accipiant, quem ob id prisci sapientes νόμον ἔμψυχον non frustra nuncuparunt. Qua etiam in re securitati principum facile à numine prouisum est, vt in paucorũ fide, omnium beneuolentia conquiescere possint, dum virtuti potius quam ambitioni locum dent. Verum hæc quando tu, REX, summis rebus gerendis pene a puero admotus, experimentis ipsis melius scire potes, finem faciam, si prius illud Deum opt. max. ex animo rogauero, vt qui tibi omnium antiquissimum ac nobilissimum gloriosissimumque imperium hereditario iure tenẽdum administrandumque commisit, idem te Regio illo suo & principali spiritu regere ac confirmare dignetur.



EPISTOLA AD LECTOREM
CAPITVL.

HÆc ipſa quæ nunc tandem publico damus, Capitula, ante annos XL. magna parte edere inſtituerat Io. Tilius vir magno iudicio præditus, ac rerum noſtrarum ſcientiſſimus: ſed aut eius morte cuius præcipue opera in eam rem vtebatur, aut exemplaris defectu, aut operis ipſius non adeo grati & laborioſioris tædio, ſeu quo alio impedimento, à cœpto ita deſtitit, vt demum poſt eius obitum folia aliquot in aliorum manus deuenerint, quibus etiam prudentiſſimos & diligentiſſimos viros qui Romæ Gratiani collectioni recognoſcendæ recenſendæque præfuerũt, lubenter vſos video, ſimul & Belouacenſis eccleſiæ exemplaris reliquiis quæ tum illi quidem doctiſſimi Epiſcopi beneficio, indicio vero noſtro nacti ſunt. Nos iam ex pluribus noſtris alienisque codicibus plura & integriora edi curauimus, bona ſaltem fide, Tilij exemplum iudiciumque ſequuti, qui non ex Benedicti modo, ſed ex Anſegiſi ipſius collectione eadem nõ ſemel poſita ſuſtulerat, ſimilibus tantum quibuſdam relictis, numeris etiã capitulorũ cõſequenter mutaris. Quod eo monere viſum eſt ne quis eadem poſt hac ex iiſdem aut aliis etiã exẽplaribus augere aut ſupplere conetur fruſtra Nã emẽdare quidẽ omnibus per nos licet, præſertim in tanta operarum, cuius relegentes puduit, negligentia ſocordiaq;. Illud etiam

verendum est, ne nos quoque in hac rutuba non pauca fefellerint. quamquam nec fortassis fuerint illa tanti, præsertim quæ post Ansegisum pro cuiusque collectoris ingenio & proposito, confuse nulloque ordine aut delectu, non certa etiam plerumque auctoritate & fide, ex Gallicanis canonibus ac pœnitentialibus libellis, SS. quoq; patrum sententiis, quædā etiam ex Iuliani antecessoris CP. Nouellis, & Alarici breuiario, Anianiq; ad illud interpretationibus, quin & ex Vvsigothorū Langobardorumq; legibus nonnulla addita facile recognoscent quibus hæc curæ erunt: quæ nec ipsa tamen omissa voluimus ne quis desideraret ac requireret. Titulum etiam quem Tilius idem ex non adeo vetusto codice editioni suæ præfixerat, quamuis in antiquioribus nullus sit, haud inuiti reliquimus. Sane quod in Ansegisi præfationibus Lotharij nomen adiectum est, datum id scias exemplarium quorūdam antiquitati, quæ sub eius ditione, vt verisimile est, primum descripta, non hoc solum ipsius honori tribuerant, sed & ex versibus qui Benedicti collectionem præcedunt, in Lotharij sui gratiam illos de Ludouici filiis ita permutatos habuerunt:

Ex quo prosequitur soboles veneranda per orbem
Ipsius insigni nomine digna patris.
Lotharius primum regnum sortius auitum
Ardunæ nemoris incola factus ouat.
Hinc Hludouicus heros Rheni cis littora genti
Imperat & populis effera colla terit.
Tum Karolus cari species genitoris amata
Gallorum cœtus ordinat atque domat.
Illis, nos qui fata tenent loca partibus æquis
Hæc ferimus.

Et tamen Lotharij eius inter hæc nihil proprium esse putamus, cuius tantum nomine extant quædam ex his ipsis decerpta Capitula ad Italiæ regnum, quæ iam olim Langobardicarum legum libris inserta & Karoli cuiusdam Cotti Siculi, siue is Toccus fuit commentario ante annos CCCLXXX. exposita leguntur. Sed neque Karoli fratris (quem nostrum, id est, Francorum Gallorumve Regem vere proprieque dixeris)

quicquam hic adiectum reperias præter ea Capitula quæ circa initia regni sui in sparnaco probauerat obseruarique præceperat. Reliqua vtriusque omnia, simul & Synodos ipsas, conciliaque, ex quibus & hæc magna ex parte decerpta sunt, quorum non pauca nos a Pipini ad Hugonis ætatem præter iam edita, Domino faciente, repræstare potuimus, sed & rerum iisdem sæculis gestarum coæuos scriptores plures tum à nobis, Lector, accipies cum idem ille volet, qui solus

Et vastas aperit Syrtes, & temperat æquor,
Ac mulcere potest fluctus, aut tollere vento.



PRÆFATIO IN FERRANDVM, LECTORI.

FERRANDVS Diaconus a Sigeberto inter Ecclesiasticos scriptores relatus, libello Regularum ad Reginum Comitem meminit Fulgentij Ruspensis Episcopi vt nuper vita functi: quod vtrumque circa Anastasij Imp. tempora vixisse arguit. Et fortassis eiusdem Ferrandi non immerito alicui videatur narratio illa de vita Ruspensis Fulgentij quæ inter Sanctorum historias edita est. Sed & hic Canonum indiculus, quem ex insignis Ecclesiæ Tricassinorum nostrorum codice nunc primum edimus, omnium, quantum quidem opinamur, eius instituti antiquissimum: cui saltem debebit Gratianus restitutionem loci sui, hactenus vel in Romana illa recognitione grauiter laborantis, quem ex vno Ferrando tandem aliquando ita sanandum didicimus, *Sed sicut in Breuiatione Canonum Fulgentij Carthaginensis Ecclesiæ diaconi inuenitur in Septimunicensi concilio & in Macrianensi statutum est, vt ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium.* Subiunximus & ex Crisconij repetitione Breuiarij Canonici ad Liberinum, vel vt quædam exemplaria nostra habuerunt, Liberium Pontificem Capitula tantum, aut potius indicem Capitulorum, omissis Canonum Decretorumque integris capitibus, quæ ex vetere collectione ante annos LXIII. Maguntiæ fideliter edita facile cuiuis fuerit repetere: illud hic admonuisse contenti, illa eadem, vsque ad Gelasij tempora, vsum videri Crisconium. Et vero ipsa illa est quæ Corpus Canonum dicitur non a Gratiano tantum, sed & a summis Pontificibus Nicolao I. & Leone IV. cuius etiam antiqua exem-

plaria apud nos plura extant, quæ ab Hadriano Papa ad Karolum magnum Imp. & Regem nostrum missa fuisse, præfixa versuum politicorum achrostichis testatur. Continet autem is Codex eosdem omnino conciliorum Canones quos Græcorum collectio anno CIↃ IↃXI. à Io. Tilio V. C. hic edita ex antiquissimo Ecclesiæ S. Hilarij Pictauensis codice, qui etiam Africæ Latinas Synodos complectitur. Pontificum Romanorum adiectas Epistolas a Syricio ad Gregorium iuniorem Latinus codex habet. Græcos suorum Decretalib. eum locum apud se seruasse Photij & Theodori Balsamonis Constãtinopolitanorum patriarcharum Nomocanones indicant. Cæterum quæ in nostro Corpore canonum extat interpretatio, plane diuersa est ab illa Dionysij Scythæ monachi, (qui & Abba, & Exiguus,) ad Stephanum Salonitanum Episcopum cuius ille hortatu priscæ, vt ait, translationis confusione offensi nouam faciendam suscepit, exceptis tamen qui Apostolorum dicuntur, Canonibus L. nam tot ab Ecclesia Ro. Synodali Stephani decreto receptos Anastasius in præfatione Nicænæ II. ad Iohannem P. P. auctor est. Eos hoc numero antiquæ, quas videre nobis contigit, collectiones etiam Gallicanæ ex Dionysij interpretatione retinent, vt non immerito vulgaris ea translatio dici possit. Reliquarum vero Græcorum Canonum interpretatio varia diuersaque occurrit, vt non facile pronuncies quæ tum Latinarum Ecclesiarum communis habenda sit. quamquam eam quæ in illo Corpore canonum extat, apud nos quidem, in vsu magis fuisse verisimile est. Sed hæc ampliorem tractationem desiderant, cui dabit Deus, cum volet, locum tempusque. Interim beneficio hoc nostro fruere ac Vale.



PRÆFATIO IN LEGES VVISIGOTHORVM.

P. PITHOEVS C.V. FRANC. Roaldeso I. C. S.

LITERAS tuas V. Non. Octob. ſcriptas Idib. demum Ian. accepi, ſerius profecto quam vellem, ſed ea tamen animi alacritate qua te tuaſque ſingulares virtutes complector abſens mentis potius iudicio quam oculorum fide, quib. & hoc ægre eſſe doleo. De exemplari gratias habeo: referrem etiam lubens. Sed vereor ne tu non tanti eſſe putes quæ in tuo nomine appareant. Ac vix ſane illud mihi de wiſigothicis legibus permittere potui, quas niſi quotidianis pene conuitiis a quibuſdam flagitari audiſſem, facile paſſurus fui aut ſuprimi diutius, aut aliorum opera edi, quib. vel otij plus, vel diligentiæ eſſet. Et vero id pridem Io. Metello Sequano detuleram, viro & eruditionis & humanitatis, vt audio, ſummæ, cuius etiam eo conſilio exemplar imperfectum ex noſtris ſuppleri curaueram. Sed cum id ille maioribus fortaſſe negotiis occupatus non præſtaret, & librarij noſtrates neſcio quo fato Gothicis rebus operas vouiſſent, rogatus, pene dixi coactus eorum tandem imperiis ceſſi quibus & hæc reliquis adiici Bonum factum viſum eſt. Quod velim omnium bona gratia ſic candide accipi vt ſimpliciter geſtum eſt. Nam exemplaria, vt ve-

rũ fatear, vix relegere datum eſt, tantum abeſt vt recognoſcere & recenſere accuratius licuerit: quin ne de huius quidem gentis & aliarum legibus, iuriſque Romani in Occidente poſt Iuſtinianum vſu, quod ſtatueram, præfari. Tantum illud, hunc eſſe legum codicem ab Eurico ceptum, a Leuuigildo dein, poſt a Chindaſuindo & Receſuindo filio recognitum, demum a Domno Eruigio Spaniarum (vt verbis ſeculi de barbaris barbare dicam) rege perfectum, qui Liber Iudicis dicitur in illo tuo exemplari Curialium (ſic appellant) vſuum quos Raymundus Berengarius vetus Comes & Marchio Barcinon. Hiſpaniæ ſubiugator & Almoides coniunx de feudis aliiſque negotiis obſeruari iuſſerunt, cum Gothicæ leges omnibus cauſis non viderentur ſufficere. Hæc poſtea Ildefonſus, Petrus, Iacobus alij atque alij Arragonum reges variis conſtitutionibus ſuppleꝛunt antequam Alfonſus tandem circa annum Chriſti M. CC. XLI. ius Romanum in Partitas ſuas digeri curaſſet. Sed hæc tute melius noſti, & nos maiore otio plenius alias apud alios exſequi cogitamus. Illud tamen & hic ſciri par eſt, harum legum recognitionem ab eius gentis ſcriptoribus neſcio quo iure Iſidoro Hiſpalenſi tribui, cuius eſt illa potius breuis hiſtoria quam præfiximus ad Siſebutum vſque per Eras, quibus Hiſpani tempora numerarunt ab anno quarto Octauiani Cæſaris qui eſt ante Chriſtum natum XXXVIII. quo primum apud eos ſenſus actus & indictem tributum dicitur. Præfiximus & Solij Apollinaris epiſtolam de Theoderico, non illo Italiæ ſiue Oſtrogotorum, ſed wiſigotorum rege cui Auitus Imp. Aquitanias conceſſerat: ſimul & Procopij Cæſarienſis locum de Getarum origine ex Ponti Euxini deſcriptione quam inter cætera eius auctoris Latine edita tamdiu deſiderari miror. Quidquid id eſt, tibi do dicoque lubens merito, cupioque in poſterum extare teſtimonium obſeruãtiæ erga te meæ, amicitiæ tuæ, cuius mihi ſancta & venerabilis memoria perpetuo futura eſt. Bene vale. V. C. Lutet. Pariſior. II. Non. Mart. M. D. LXXIX.



PRÆFATIO IN ANNALES FRANCORVM.

CVM nobis pridem in animo esset hoc etiam Patriæ posteritatique tribuere, vt veteres suas non historias solum, sed & leges & Synodos, potissimum vero illas quæ temporum siue negligentia siue iniuria hactenus latuerunt, tandem aliquando in lucem editas aspiceret, visum est, hac maxima tempestate, qua leges iudiciaque potius quam lites & iurgia interquiescant, ex tribus illis, quas Regiæ familiæ varietate quadam, quasi diuersas reipublicæ nostræ ætates vulgo notant, à media potius incipere, cum quod ea, quamuis rerum suarum scriptores nec paucos nec ignobiles habuerit, hominibus tandem nostris ad hunc diem minus cognita fuit, tum quod mutationis vtriusque exempla prębet insignia, quæ præteritarum rerum experimētis & periculis in futurum prospicere maiores nostros docuerunt, & vt nos posterosque, bene positos ab illis terminos bona fide conseruare doceant, etiam atque etiam optandum est. Ac iam quidem ea a nobis mente edita sunt nuper Pipini, Karoli ac Ludouici Capitula (sic enim leges suas appellarunt) adiectis etiam nonnullis a Caluo sub regni initia promulgatis. Reliqua ipsius, simul & aliorum eius familiæ plura, quæ commode eodem tractatu comprehendi non potuerunt, aliud ocium expectant, quo,

Deo dante, vel ſeparatim vel cum Synodis edentur, quæ & ipſæ ſatis teſtari potuerunt, quam miſera & calamitoſa non plebi modo, ſed etiam Eccleſiæ illorum temporum conditio fuerit. Mali fontes cauſaſque aperient rerum geſtarum ex profeſſo ſcriptores coætanei plures quos iam in publicum damus, ea nobis lege vltro impoſita, vt ne quid admiſceremus eorum, quæ ad reliquarum ætatum hiſtoriam magis pertinere viſa eſſent, vel quæ antehac edita, aut longo poſt tempore ſcripta fuiſſe conſtaret. Hanc tamen fefellit Appendix Nangiana, quam forte ad præcedens Chronicon ex maiore opere decerptam, ſupplementi loco olim adieceramus. Sed & Partitio illa regnorum Karoli Imp. quæ licet dubiæ ſit fidei, vt merito numerari poſſit inter tot ſingularis ocij commenta quæ ſequiora nobis ſæcula ingeniaque pepererunt, tamen in chartaceo exemplari, Thegani vere Franci hominis operi recentiore manu ſubiuncta fuit. Nam quod ad Gallici ſcriptoris fragmentum attinet, mole ſua tanti non fuerit vt in numerum veniat: & tamen eiuſmodi eſt, quod reliqui deſiderium non immerito excitet. Annales plures dare potuimus, eos etiam quos Theodulphi nomine a multis laudari audimus, falſo. Sūt enim iidem ipſi quos plebeio & ruſticano ſermone ſcriptos Regino Prumiæ abbas ad annum DCCCXIIII. nonnullis interpolatis, ſequutum ſe ait: quibus in exemplari amici noſtri viri optimi & doctiſſimi, quo illi ſolo vſi ſunt, præfixi verſus ex præfatione Theodulphi Aurelianenſ. Epiſcopi ad Carolum regem de proceſſione Spiritus ſancti, auſam eius erroris facile præbuerunt. Eos, ſi quis adhuc deſiderat, inſertos reperiet vitæ Caroli Magni quam ex codice, non Angoliſmenſi, vt titulus aliquando prætulit (eſt vero id portus ad Oceanum Santonicum nomen, Vandalorum quondam ad pulſu & Martelli victoria celebre, quod hodieque locus ipſe retinet) ſed Ecoliſmenſi ſeu Iculiſmenſi adiecimus. At nos Regi nouis eiuſdem excuſatio, qua ſe de rebus Ludouici Imper. Lud.F. a quo ipſe nec ætate nec regione adeo remotus fuit, nihil aut legiſſe ſcriptum, aut à ſenioribus audiſſe queritur, præcipue induxit, vt

eos potius Annales præponeremus, quorum auctorem Caluo nostro ad calumniam vsque iniquum minus mirabitur, qui Moguntiæ sub Ludouici illius ditione conscriptos sciet, leuius etiam laturus cum in Pium patrem ac Iuditham turpissima conuitia Friderici Traiectens. Episcopi historiæ inserta legerit. Adeo veritatis interest iræ & studij procul esse causas. quod ego ne de Nitardo quidem prudentissimo alioqui scriptore præstare ausim: quem Centulensis historia (vt hoc etiam obiter moneamus) non satis congruente temporum ratione Engilberto patri in eiusdem monasterij possessione, beneficij Regalis iure successorem facit. Iam de Frodoardi Chronico (siue is Flaualdus vel Floardus sit Remensis Ecclesiæ presbyter qui Archiepiscoporũ suorum vitas a B. Remigio ad Artaldum diuerso plane stilo descripsit) & hoc monere visum est, ea quæ ad Verdunenses Episcopos pertinent, sed & alia quædam virgulis inclusa, ex tribus exemplaribus vnius esse quod Diuionense appellauimus, quamquam Virduni potius descriptum videatur. Quisquis ille fuit scriptor, multas profecto nobis sui sæculi historiæ tenebras discutiet: fabulas etiam illas de Nordmanuis cessare iubebit, quarum auctor nostris Willelmus Gemmeticensis cœnobita, illi Dudo quidam vir peritus, qui tribus libris scholastico sermone, vt tempora tulerunt, poëtice potius quam historice, eius gentis res potissimum in Gallia gestas composuit ad annum Christi DCCCXCVI. Eorum nobis antiquissima exemplaria videre contigit, quorum alter ille libro primo historiæ suæ gentilitia fide complexus est. Sed de rerum nostrarum scriptoribus singulorumque auctoritate ac fide, dabitur amplius dicendi locus. Nunc nos temporis ac valetudinis ocijque ratio breuiores esse cogit quam fortasse par erat, certe quam proposueramus. Illud tamen hic profiteri nostra interest, omnia nos fide optima ex antiquis exemplaribus aut descripsisse, aut describi edique curasse, tanta certe simplicitate ac religione, vt non scripturæ modo varietatem, sed etiam vitia pleraque manere passi simus, quæ alioqui nobis quodem corrigere & emendare facile fuit. Hoc veremur ne sæ-

culi vitio superstitionem plerique interpretentur. Verum in hanc partem deficere, tutius nobis visum est. Tu Lector, in bonam accipe, faue, & vale. Lut. Parisior. v. Id. Septemb. CIↃ IↃ LXXXVIII.



PRÆFATIO IN QVINTILIANI DECLAMATIONES.

CLARISSIMO ATQVE AMPLISSIMO viro Christophoro Thuano Celio, Equiti, Regni Curiæ Præsidi primario, & sacri Consistorij Senatori,

P. PITHOEVS S. P. D.



ECLAMANDI studium, quanquam & Senatus amplissimi, & grauissimorum Censorum præiudiciis notatum, sero demum apud Romanos receptum est usu tamen ipso sic vtile honestumque apparuit, vt principes ciuitatis viros, summos etiam Imperatores in eo se exercere non puduerit. Nam vt M. Tullium & grandes illos prætextatos omittam, sane traditum est Magnum etiam Pompeium sub ciuilis tumultus initium, repetiisse declamandi consuetudinem, M. vero Antonium, ipsumque adeo Augustum, ne Mutinensi quidem bello, in tanta rerum mole, omisisse. Et vero qui eloquentiam non in foro modo iudiciisque, sed & apud populum tanti fecerunt, vt illam de summis virtutibus vnam quandam esse dicerēt, & eosdem fere sapientes atque eloquentes haberent: nihil profecto mirum est eam potissimum rationem tam auide amplexos, quam esse iudiciorum consiliorumque imaginem, id est, forensium & popularium actionum meditationem, quin & solam ad formandam ipsam eloquentiam sufficere, censue-

runt. Mihi quidem eius exercitationis fructus non in ſolis veterum poetarum carminibus, aut iis quæ ſuperſunt oratorum actionibus, ſed & in hiſtoricorum ſcriptis elucet maxime, quorum ego directas obliquaſque conciones cum lego, non vnius mihi hominis, ſed plurium ſimul ingeniorum ſenſus collectaque acumina agnoſcere videor. Quo magis doleo hanc & dicendi & ſcribendi, vt ita dixerim, cotem ſic a noſtris hominibus neglectam, vt ſimul etiam eloquentiam ipſam amittere neceſſe fuerit: atque eo quidem magis, quod maiores noſtros in eo ſtudij genere non excelluiſſe modo, ſed Romanis ipſis auctores, duces ac magiſtros fuiſſe comperio. Nam L. Plotium qui primus apud Latinos dicendi præceptor extremis L. Craſſi temporibus floruit, Gallum fuiſſe traditum eſt. Et ne ſingulos enumerare neceſſe habeam, Auguſto Reip. clauum tenente, Votienus Montanus Narbonenſis pro ſummo Oratore habitus, demum a Tiberio in inſulas Baleares relegatus legitur. Sub ipſo Tiberio Domitium Afrum præſtantiſſimum oratorem Nemauſus, Clodium Quirinalem Rhetorem Arelas vrbi dedit. Sub Caligula Trogi Pompeij pater e Vocontiis epiſtolarum & legationum, ſimul & anuli curam habuit. Temporibus Neronis L. Statius ſiue Vrſulus, ſiue Surculus, Toloſas Romæ Rhetoricam celeberrime docuit: & eadem fere ætate Iulius Florus patruus Iulij Secundi miræ facundiæ & infinitæ curæ viri in eloquentia Galliarum, quam & ibi demum exercuit, princeps vt inter paucos diſertus à M. Fabio laudatus eſt. Sed nec ego M. Aprum indictum abire patiar Iulij Secundi æqualem, celeberrimum ſui fori ingenium, quamuis plerique maligne opinarentur, nec Secundo promptum eſſe ſermonem, quod non ſatis pro ætate pugnax, ſæpius ad curam rerum ab elocutione reſpicere videretur, & Aprum ingenio potius & vi naturæ, quam inſtitutione & literis famam eloquentiæ conſecutum. Et vt ad poſteriorum Imperatorum tempora tranſeam, vna noſtra Aquitania, quamuis Græca ſe iactet origine, plures vrbi Latinos rhetoras oratoreſque dedit, quam reliquæ ſimul omnes prouinciæ. Teſtes mihi in primis erunt Nazarius, & ipſis filia Eunomia patri elo-

quentia nihilo inferior. Testes Paterius atq; Delphidius acerrimus orator Marcellino dictus Hieronymianæ Hedibiæ maiores, & Alcimus Nitiobrix, & Tiberius Victor Alethiusque Mineruij Burdigalenses: sed & Victorinus ille qui etiam in foro Traiani statuam meruit. Testes Tiberianus & Titianus viri disertissimi, quorum vterque Præfecturam Prætorij in Galliis administrauit magna cum laude non eloquentiæ modo, sed innocentiæ & prudentiæ singularis. Testis Latinus Pacatus Drepanius, & Theon ille præceptorum & exemplorum huius artis traditione notissimus, quem sub Iuliano illustrem in Gallia famam consecutum Eunapius auctor est. Testes & alij plures non Ausonio solum Aquitano, sed & Hieronymo Stridoniensi quasi ex professo laudati, quibus & eæ quæ supersunt nonnullorum reliquiæ, testimonium reddunt artis non immerito vel a Romanis ipsis in summa admiratione habitæ. Nam quid ego ad Leonis, Cati, Lampridij, Antedij, Consentij, & Seueriani, id est, ad Sidonij Apollinaris tempora deueniam, ipsius scriptis melius nota? aut cur ea repetam quæ de Theologorum nostratium eloquentia alibi dicta sunt? Illud potius etiam infelicissimis temporibus superfuisse Galliæ oratores suos, cum vrbi ipsi deessent. Extat de Aratore Patricio elogium illud apud Senatorem: Romanum eloquium non suis regionibus inuenisti, & ibi te Tulliana lectio disertũ reddidit vbi quondam Gallica lingua resonauit. Vbi sunt qui literas Latinas Romæ non etiam alibi asserunt esse discendas? Euaserat Cæcilius pondus verecundiæ si hunc prouentum priora secula genuissent. Soluta quippe est vis illa sententiæ. Mittit & Liguria Tullios suos. Quæ quidem eo lubentius retuli quod & Statium Cæcilium, & Ligures ipsos Galliæ adserant, quos Italiæ qui tribuunt, sane non vsqueadeo intolerabilem iniuriam faciunt maioribus nostris, inter quos tamen eam gentem nec postremam fuisse vel illa Lucani arguunt,

Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decoræ
Crinibus effusis toti prælate Comatæ.

Miretur nunc aliquis & Belenum, & Teutatem, & Ogmiũ illum Herculis Gallici appellatione a Luciano Proslalia de-

ſcriptum, tãta religione a Gallis cultos vt eius non apud Græcos Latinoſque ſcriptores modo, ſed in ipſis etiam lapidibus hodieque ſuperſint reliquiæ. Miretur Lugdunenſem aram Kalendis ſuis Iulio Antonio & Fabio Africano Conſulibus Auguſto dicatam, & Rhetores Gallos vtriuſq; facundiæ ex Caij inſtituto ad eam palleſcentes. Miretur ab ipſo Auguſto Antonium ſororis nepotem multa claritudine generis ſed improſpera, in ciuitatem Maſſilienſem ſpecie ſtudiorum ſepoſitum, ipſumque Iulium Agricolam generi teſtimonio laudatum, quod eam ſedem ac magiſtram eruditionis habuiſſet locum, vt ille ait, Græca comitate & prouinciali parſimonia mixtum ac bene compoſitum, in cuius encomio vix ipſe ſibi Strabo ſatisfacit. Miretur ſub Tiberio nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudiis apud Eduos operatam, & quæ de iiſdem ſcholis longo poſt tempore Eumenius ſacræ memoriæ magiſter ad Conſtantium Imp. immo & Conſtantius ipſe ſuis ad illum literis teſtatus eſt. Miretur & illa Iuuenalis, quæ ſatyrice licet, non fruſtra tamen dicta res ipſa clamat:

Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos.

& *---nutricula cauſidicorum*

Gallia.

Miretur & Toloſam iam olim Palladiam appellatam, & Medericum Chonodomari regis Alemannorum fratrem obſidem in Galliis, doctum Græca arcana, Serapionis nomen filio impoſuiſſe. Miretur & illa Claudiani ad Honorium,

--te Gallia doctis

Ciuibus, & toto ſtipauit Roma Senatu.

Certe Catonis ex originibus longe antiquius teſtimonium eſt, Galliam duas ſemper ſtudioſiſſime perſequutam, rem militarem, & argute loqui: adeoque gentili Gallorum vocabulo facetos pro facundis dictos Fortunatianus notat. Sed illa Hieronymi omni exceptione maiora ſunt, viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundaſſe Galliam, & Galliarum ſtudia ſuo etiamnum tempore fuiſſe florentiſſima. Quæ ſiquis de proximis tantum Italię regionibus dicta putet, legat & quæ de Belgis Moſellæque accolis Auſonius, atq; inter cætera, illa.

Te

Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quinetiam mores & lętum fronte serena
Ingenium natura tuis concessit alumnis.
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones.

Sed & hæc,

- Tempus erit quum facta viritim,
Belgarum patriosque canam decora inclyta mores.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo Quietos,
Agricolas, legumque Catos, fandique potentes,
Præsidium sublime reis, quos Curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque Senatum.
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris pręconia Quintiliani.
Quique suas rexere vrbes purumque tribunal
Sanguine, & innocuas illustrauere secures.
Aut Italum populos, Aquilonigenasque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere secundo.
Quique caput rerum Romam populumque patresque
Tantum non primo rexit sub nomine, quamuis
Par fuerit primis.

intelligatque ad omnes pertinere quod Senator scripsit, legisse Romam frequenter fasces de mœnibus Gallicanis, ne aut in " damno suo præcipua contemneret, aut probata virtus inho- " nora cessaret. Sed hæc quidem maiorum virtutes, nostram ar- " guunt ignauiam, quibus vix satis fuit ab hoc tramite deuiasse, " nisi & ipsa eorum vestigia deleri pateremur. Ego vero & si natura bene sentiendi iudicandiq; potius quam dicendi studio teneor, eam tamen exercitationem à nostris repeti cuperem iisdem illis legibus quas optimi magistri toties sanxerunt, vt esset quantum potest ad veritatem accommodata declamatio, non ad solam composita voluptatem meminissentque iuuenes iis se velut præpilatis ad verum discrimen aciemq; iustam instrui: ideoq; vna in ea specie consenescendũ non esse, sed ad id perueniendum cuius potissimum gratia reperta est. Illud etiam obseruari vellem ne cruda adhuc studia in forum impellerentur, vtque non eloquentia tantum ipsa, quod ex veterib. plures questi sunt, sed illa illa etiã iurisprudẽtia, qua nihil esse maius & augustius confitemur, pueris indue-

rentur adhuc naſcentibus: quin, paterentur ſiuamlibet properantia parentum vota vt annorum, ſic laborum & honorũ gradus fieri, &, quando hæc apud nos ſummarũ virtutũ ſtudia ſic coniuncta ſunt, vt vtriuſque vna iam fere profeſſio eſſe videatur, nihil duobus dignum putarent quod vel alteri impar eſſet, nec primum ſinerent eſſe quod maximum eſt. Nunc refractis pudoris & reuerentiæ clauſtris illa iam nobis vetus querela propria eſt, Pueri in ſcholis ludunt, iuuenes ridentur in foro, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνοντες, vt eſt apud Theonem: & quod vtroque turpius eſt, quod quiſque perperam dicit, in ſenectute confiteri non vult.


Inde canina foro latrat facundia toto,

vt eſt apud Chriſtianum poetam: & in magno cauſidicorũ ac moratorũ grege iuridicorũ & oratorũ non magnus eſt numerus: quin & declamatorum clamatoribus longe impar. Deniq; res ipſa probat vt litigioſa eſt potius iuris ignoratio quã ipſa ſcientia, ſic artis dicendi inſcitiam ipſa eloquẽtia verboſiorem eſſe: vt non immerito a veteribus dictum eſſe videatur, nihil eſſe in ea quod ſpem tantopere fallat, quam quod quilibet cum audierit, ſtatim ſe nullo negotio cõſecuturum imitatione confidat. Verum hic ego neque tempora acerbius notare conſtitui, neque mihi Cenſoris partes adſumere in eam maxime culpam, cuius me ipſum inter multos conſcium ac participem fateri malo quam conuinci: & cui potius remedio aliquo ſaltem in poſterum ſuccurri cupio. Atque hoc quidem animo M. Fabij Quintiliani, non illius cuius XII. Inſtitutionis oratoriæ libros Hilarius noſter imitatus dicitur, ſed vel patris, vel potius vt plurium coniectura eſt, aui declamationes nunc à me eduntur & ampliores & meliores ope atque auxilio vetuſtiſſimi exemplaris, quod Cl. Falceti Monetariæ curiæ Præſidis, viri candore, humanitate & rerum noſtrarum cognitione inter paucos numerandi, beneficio lubens merito acceptum refero. Adieci & Calpurnij Flacci nomine excerptas quaſdã, vt præferebat titulus vetuſtioris exemplaris, quod partẽ earũ habuit decem Rhetorum minorum credo ad Senecæ controuerſiarum comparationem, quæ & ipſe in eodẽ codice x. Rhe-

torum inſcribebantur, maiorum videlicet: quas & iſtis lubens prætuliſſem niſi me aliunde diſtractum difficultas ipſa terruiſſet, & hanc potiſſimum laudem Fabri noſtri optimi & doctiſſimi viri propriam eſſe voluiſſem: quo profecto nullus eſt cui Annæorum familia plus debere velit aut poſſit. Nam Quintiliani nepotis quæ vulgo leguntur, aut Portij Latronis illam quæ contra Catilinam eſt, adiicere non libuit: ſed nec Salluſtij & Ciceronis nomine ſcholaſticas controuerſias, & quod in omnium manibus extent non adeo corruptæ, & quod iſtis, vt verum fatear, non ſatis mihi reſpondere videantur. Ac erit fortaſſe tempus cum vel mihi vel alij potius non primarum modo ſecundarumque exercitationum præcepta exemplaq;, ſed & reliquos omnes veteres artium ſcriptores, quorum pleroſq; vel nomine ipſo etiam literatis ignotos video, in vnum corpus colligere ac noſtris hominibus exhibere dabitur. Interea vero, Præſes ampliſſime, quicquid id eſt, quod in Quintiliano & Flacco præſtitimus, etſi dignitate tua longe inferius, tibi tamen dicare viſum eſt, cum quod Fabij magna pars, etſi lacera deformataque, pridem alterius, cuius diligentiæ & hoc beneficium tamdiu debuimus, adſignatione tua quodam iure facta eſt, adeo vt nunc reddi potius, quam donari videatur: tum quod in eo Senatu primas tenes, in quo huiuſce ſtudij fructus percipitur maximus, non ex honorariis, & (vt quidam veterum, ſed paulo acerbius & iracundius dixit) aduocatorum ſtipe, ſed ex animo & contemplatione ac ſcientia, præcipue vero ex illa incredibili voluptate, quæ liberis & ingenuis mentibus inſita eſt, benefaciendi pluribus non amicis modo, ſed quibuſlibet, qua nihil eſſe puto quo ad Deum homines propius accedamus. Fuit & illa mihi propria cauſſa, quod ſtudiis noſtris, & literarum nomine & paternæ amicitiæ recordatione pro tua sũma gratia atq; humanitate hacten⁹ fauere viſus es: & vt in poſterũ magis ac magis faueas, erit tibi hoc ſi placet, gratitudinis atque obſequij mei pignus, ſi non dignũ amplitudine tua, certe profeſſione noſtra ſaltem pro tempore non indignum. Bene vale, Præſes ampliſſime. Lutetię Pariſior. Kal. Ap. rebus prolatis, CIↃ IↃ LXXX.



PETRVS PITHOEVS PETRO NEVELETO DOSCHIO, SORORIS FILIO S.



QVæ requiris, altioris ſunt indaginis, & maius otium deſiderant. Interea tamen quæ de iis in mentem venerunt pro tempore hæc habe.

Declamatio aut Suaſoria eſt, aut Controuerſia. Auctor dialogi de oratoribus: Nempe duo genera materiarum apud Rhetores tractãtur, Suaſoriæ, & Cõtrouerſiæ. Ex iis ſuaſoriæ quidem, & ſi * tanquam plane leuiores & minus prudentiæ exigentes pueris delegãtur: Controuerſiæ robuſtioribus aſſignantur. Fabius lib. 2. c. 1. Suaſoriæ, inquit, apud Rhetorem materiæ ſunt inter rudimenta dicendi. Seneca lib. VI. Controu. de Seuero Caſſio: Aiunt eundem non tam bene Suaſorias quã Iudiciales Controuerſias dicere. Sic apud Græcos Anaximenes Iudicialem & Concionalem generales cauſſarum partes eſſe voluit, Fabius lib. III. c. IV.

Suaſoriarum Senecæ titulum qui non probant, & Laudabilia inſcribi malunt, auctorem arguunt qui ſuum ipſe librum ſic appellauit.

Demonſtratiuum genus, quod Ariſtoteles & alij plerique ἐπιδεικτικὸν, Hermogenes vocat πανηγυρικὸν, magis ad Suaſorias pertinere videtur, Fab. li. III. c. VIII. Et quanquam locus nullus

aut felicius, aut sæpius a Cassiodoro tractari dicatur in scholis, quam laudis aut vituperationis, vt qui sit communis omni dicendi generi, demonstratiuæ tamen materiæ appellationem iam inueterata ignoratione sublatam Emporius rhetor ait. Interdum tamen & hoc genus controuersiarum est, vt legum laus & vituperatio apud Græcos apud quos earum lator ad iudicem vocatur, vt Fabius ait lib. 2. c. 4. Romanis pro concione suadere, aut dissuadere moris fuit: Itaque apud eos & hæc proxime ad Suasorias accedit, vt apud Quintil. declam. 255.

προσομιλητικὴ Platonica, vt a foreũ ratione, sic a scholæ secũdis exercitationibus disiuncta est, vt pote priuatis sermocinationibus accommodatior, & ad Dialecticam magis pertinet.

Sermo extra Controuersiam est, & præcepta artis continet in themate proposito, quæstionis, diuisionis, quæ pene hoc proprium habet ostendere ossa & neruos controuersiæ, & vt sic dixerim, ipsam controuersiam ἀνατομίζειν, finitionis, tractationis, interdum & coloris, prout thema exigit: sed & actionis ipsius & quod ad personam agentis attinet, & quod ad agendi modum.

Tractatio, non illa quam M. Tullius in collocatione verborum ponit, sed quæ proprio nomine à posterioribus Rhetoribus sic appellata est, videtur fuisse loci communis, & a quæstione distinguitur. Seneca lib. 1. Controuers. Adiecit quęstionem Gallio alteram, an abdicari possit iam adoptatus ob id vitium, quod antequam adoptaretur notum fuit adoptãti. Hoc autem ex æquitatis parte pendet, & tractatio magis est quam quæstio. Quæstio cõtrouersiæ pars est, vt & diuisio. Idẽ Seneca prooemio lib. VII. de Albutio: Raro totam cõtrouersiam implebat: non posses dicere diuisionẽ esse, nõ posses declamationem. tanquam declamationi multum deerat, tanquã diuisioni multum supererat. Et paulo post de eodem: Erat & illud in argumentatione vitium, quod quæstionem non tanquam partẽ controuersiæ, sed tanquam controuersiam implebat. Omnis quæstio suam probationem habebat, suam excusationem, suos excessus, suas indignationes, epilogum quoque suum. Ita vnã controuersiam proponebat, plures implebat. Quid igitur? om

nis quæſtio per numeros ſuos implenda non eſt? eſt quidem, ſed tanquam acceſſio, non tanquam ſumma.

Prælocutio Senecæ ſermo eſt, interdum & ſedentis vt lib. I. Controu. de Portio Latrone: Id quod nunc a nullo fieri animaduertimus, ſemper fecit: antequam dicere inciperet ſedens quæſtionem eius quam dicturus erat Controuerſiæ, proponebat. Et in procemio lib. III. Silo Pompeius ſedens, cum facundus & diſertus & literatus haberetur, ſi a proclamante dimitteret, tam male declamabat vt videar non male optaſſe quum dixi, Nunquam ſurgas. Idem lib. VII. de Albutio Silone Nouarienſi: Incipiebat ſedens, &c. De quo & Suetonius libello de Illuſtrib. Rhetor. Solitus, inquit, propoſita controuerſia ſedẽs incipere, & calore demum prouectus conſurgere ac perorare. Declamauit autem genere vario, modo ſplẽdide atque adornate, tum ne vſquequaque ſcholaſticus exiſtimaretur, circunciſe ac ſordide & tantum non triuialibus verbis. Sic is locus cum ex veteri meo exemplari, tum ex doctiſſimi Fabri noſtri coniectura reſtituendus eſt.

Præfatio non ſolum extra Controuerſiam, ſed etiam extra ſermonem controuerſiæ fuit. Fabius lib. VIII. Inſt. c. III. Nam memini iuuenis admodũ inter Pomponiũ & Senecam etiam præfationibus eſſe tractatum, an Gradus eliminat, apud Acciũ in tragœdia dici opportuiſſet. C. Plinius lib. IV. Epiſt. XI. de Licinnio Valeriano, Et de fortuna præfationibus ſe vindicat.

Altercatio cuius præcepta tradit Fab. lib. VI. c. V. tota mihi videtur fori potius eſſe quam ſcholæ: vt non immerito ſuſpectum habeam quod Rodolph. Agricola lib. III. de Inuent. Dial. c. XV. & lib. II. c. XII. iactat, habere ſe M. Fabij Altercationũ librum vnum, quem ego Antiphontis librum eodem iure dixerim quo Gallio pater Othonis Iunij libros Colorum. Quãquam ſcio habuiſſe non Rhetores modo, ſed & Oratores ipſos locorum communium commentarios, vt Ciceronem in vitia, itemque procemiorum ſiue initiorum volumen a Quintiliano laudatum, cuius ipſe lib. XVI. epiſt. ad Atticum meminit, exẽplo ſcilicet Demoſthenis. Nam eius exſtant δημηγορικὰ προοίμια eius generis quod a Sulpitio Victore & Hieronymo

galeatum, ab aliis vulgare dicitur. Huiusmodi etiam fuerunt Q. Hortensij loci communes, & Domitij Afri de Testibus libri duo apud eundem Quintilianum lib. II. c. I. & lib. V. c. VII. & illi ipsi colorum Othonis Iunij quos Seneca irridet. Sed & pericula illa sententiarum apud Fabium lib. II. c. XI. & lib. X. c. I. Et codicilli siue manualia, quorum Paulus Ægineta in præfatione meminit, & Fabius ipse sub finem lib. X. Quin & pueri ipsi Commentarios suos habuerunt, in quos ea congererent quæ aliis declamantibus laudata essent, vt ait idem Fabius lib. 2.

Declamationes aut sunt Tractatæ, aut Coloratæ.

An Tractatæ quæ aliquotiens tractatæ, sunt? vt apud Quintilianum nostrum declam. 261. Coloratæ vero, quarum thema ab ipso declamatore primum fingitur?

An Coloratæ illæ quæ a M. Fabio Figuratæ controuersiæ, a Philostrato in Polemone sophista ἐσχηματισμέναι ὑποθέσεις dicũtur, & ab eodem Fabio exponuntur lib. IX. Inst. c. I. his verbis, Zoilus id solum putauit schema quod aliud simulatur dici quã dicitur. quod sane vulgo quoque sic accipi scio. vnde & figuratæ controuersiæ de quibus paulo post dicam, vocantur. & postea: Iam ad id genus quod & frequentissimum est, & expectari maxime credo veniendum est, in quo per quamdam suspicionem quam non dicimus, accipi volumus non vtique contrarium vt in Ironia, sed aliud latens & auditori quasi inueniendum, quod vt supra ostendi, iam fere solum schema à nostris vocatur, & inde figuratæ controuersiæ dicuntur. Eius triplex est vsus: vnus, si dicere parũ tutũ est: alter si non decet: tertius qui venustatis modo gratia adhibetur, & ipsa nouitate ac varietate magis quã si relatio sit recta, delectat. Ex his quod est primũ, frequens in scholis est Hieron. epist. 66. ad Ruffinũ Præfatiuncula tua oblique immo aperte petor: qua mente sit scripta, tu videris: quid intelligatur, & stultis patet. Po-

teram& ego qui ſæpiſſime figuratas controuerſias declamaui, aliquid de vetere artificio repetere,& tuo te more laudare. Sed abſit a me vt quod in te reprehendo ,imiter. Ad has & illa Senecæ pertinere videntur lib.I. Controu. ſed corrupta : Albutius figuram diuiſit in controuerſiam, & quæ de ſchemate ex Portij Latronis ſententia ſcribit ſub finem procemij. Et in procemio VII. de Albutio, Figurabat egregie, præparabat ſuſpicioſe.

Atqui hæc quoque Tractatarum communia ſunt:& in Tractatis vt figuras & ſchemata, ſic colores adhiberi certum eſt, vt apud ipſum Quintil. declam. 285. & 284. quæ inter Tractatas numerantur. Quin & Colores ſenſus ſiue ſententiarum, ſunt ſchemata: irriſuſque eſt ob id a Fabio lib.IX. Cornelius Celſus, quod verbis & ſententiis figuras colorum adiicere voluerit.

An Coloratas dicemus eius figuræ ſiue thematis controuerſias quod a Rhetorib. παράδοξον dicitur, id eſt vt M. Fabius & Sulpitius Victor interpretantur, admirabile, vt Auguſtinus, malæ opinionis? quod genus thematis omnino colorate tractandum eſt,& vt Seneca lib. 2. Controu. in ſpecioſo iuuene cum vxore in cubiculo deprehenſo dixit, ſuſpicioſe. Idem Fabius lib.IV.c.II. Sunt quædam & falſæ expoſitiones quarum in foro duplex eſt genus. Alterum quod inſtrumentis adiuuatur, vt P. Clodius fiducia teſtium qua nocte inceſtum commiſerat, Interamnæ ſe fuiſſe dicebat: alterum quod eſt tuendũ dicentis ingenio. Id interim ad ſolam verecundiam pertinet, vnde etiam mihi videtur dici Color : interim ad quæſtionem.

Quæri à plurib. non immerito poteſt,& quæ ſint illæ Rhetorum declamationes quas ab Hieronymo continuas appellari ſolitas legunt in libello Sacerdotis quem Caſſiodorus ſe collegiſſe ait, quique Bedæ nomine amplior editus eſt verba hæc ſunt: ὁμοιοτέλευτον ideſt ſimilis terminatio dicitur figura, quotiens media & poſtrema verſus ſiue ſententiæ ſimili ſyllaba finiuntur, vt

Eos reduci quam relinqui, reuehi quam deseri malui.

Hac figura poetæ & oratores sæpe vtuntur, vt

Peruia diuisi patuerunt cærula ponti &c.

Et eiusmodi orationes esse reor quas Hieronimus continuas (siue vt quædam impressa exemplaria habent, cachinnas) Rhetorum declamationes appellat. At ego in veteribus schedis lego Concinas Rhetorũ declinationes: in aliis, Concinas declamationes: vt dubitem an concinas declinationes dixerit concinentes flexus & terminationes sententiarum, id est similiter cadentes clausulas & eodem desinentes modo, siue similem sentẽtiarum aut dictionum finem: an cincinnos declamationis, vt auctor dialogi de Oratoribus Calamistros Mæcenatis, qui ex homœoteleutis & homœoptotis maxime constant, & M. Tull. III. de Oratore, Cincinnos oratorum & poëtarum. De vtroque sustineo.

Declamationis vero præcepta colligi possunt ex Annæi Senecæ patris controuersiis, & suasoriis ex vtroque Quintiliano, itemque Petronij Arbitrij Satyrico, & C. Plinij Epistolis quibusdam, quæ ab alio nihil opus est vt requiras, cum tibi ipse præstare & possis & debeas. Bene vale raptim. II. Non. April. CIↃ IↃ LXXX.

VARIÆ LECTIONES.
EMENDATIONES, ET NOTÆ,

In M. Fabij Quintiliani Declamationes.

IN hac editione veteris exemplaris fidem sequuti sumus. nihil adeo coniecturis datum est aut alienis, aut nostris: quibus hic suum potius locum aßignauimus, simul & emendationibus errorum quorundam ex his qui inter relegendum occurrerunt, præcipue vero ex distinctionibus, quas in huiusmodi argutiis apte & conuenienter notare non cuiusuis est hominis, vt facile operis eam culpam ignoscam, in qua, vt verum fatear, ne mihi quidem ipse satisfeci. omnia notare nec animus, nec otium fuit. Dabunt veniam æqui lectores, immo & gratiam de beneficio habebunt. cæteras nihil moramur. Illud vero admonere visum est, in veteris exemplaris initio vnam tantum, aut alteram paginam desideratam: quod & quaternionum signa & declamationum ad finem adscriptus numerus satis arguunt. Nouem tamen nondum hactenus editarum noua acceßio de reliquis, quas intercidisse dolemus, spem fortaßis non vanam cupidis earum dabit.

Pag. 1. lin. 20. damnabatur animo] malim, animus. & paulo post, ius redijsse. Si

3, 20 damnari poterat?

22 soluere. Si ipsam

27 rei petas] an potius? repetas.

4,1 teneatur: dep.

21 & hæc ipsa] malim, At hæc. & paulo post, tribuere, pat. paternum: sed

6,9 quo membra soluuntur? & postea, Potionem ist. cui dedisti?

26, hominem quem] malim, homini

7,6 auferretur. illa

10 Ego, inquit, tantum] malim, tamen. & postea lego, Inuenta est tota ciuitate vna quæ magis amaret, vna.

8,12 nec tempore vt patr.] Hic locus sic fortasse restituendus est: nec tempore vt patrimonium fit matrimonium, sed iure. hæc certo comprehendenda sunt finitionibus. Dicit pars diuersa. Non fuisti vxor. nō nupsisti cum illo, & paulo post, Tu non es tradita. Patrimonium fit tempore, quod vsucapitur. Atqui & vsu fit vxor. quod alibi pluribus tractauimus. Sed hæc rhetorice dicuntur, non iuridice.

9,22 nuptijs conuicimus] lego, communibus. Communes nuptias vocat quæ fiunt iure communi, non illo singulari ex lege raptarum.

10,11 eam ipsam coniungi. & postea, 20. vocat, an. h. d. s. q. v. n. accipiat. Si

11,9 continua] continuo

13 tantum non] leg. tantum non, vno vocabulo, quod etiam pluribus auctorum veterum locis ignoratione corruptum est, non modo apud Valerium Maximum, sed & apud Senecam, Asconium, & Suetonium Tranquillum qui & eadem forma tantum quod dixit, pro, vixdum, vt Marcellinus, modonon, quod pluribus hic persequi non est instituti nostri.

21 an vultu] leg. aut vultu, vel, an si vultu a. d. f. e. c. s. p. videretur. Quæ facie a. q. t. o. m. prodidit, fleuit, idem fecit.

12,13 duplicis imprudentiæ] vet. dulcis.

26 cui omnino licet] videtur leg. cui non licet. Non est noua horum verborum permutatio in veterib. libris.

13,2 aliquando] lego, aliquanto

14,22 præ morte] lego, constituisse. pro morte hominis innocentis, pro vita denique, quinquennij const.
15,16 per imprudentem] malim, per imprudentiam. & paulo post, sed ab imprudente, ita esse, pronuntiari oportuit.
16,3 sunt posita, vt imprudens
19 per coniecturam vtriusque] malim, vtrisque
21,16 delatus es, & in hoc. & postea, vetat, etsi inchoari
22,25 ageret?
29 Hæc ad ius, illa ad æquitatem] Huiusmodi plerisque in locis Sermonis vidētur esse, non declamationis. Qua in re tamen vet. ex. bona fide secuti sumus. Sequitur, Quid adeo iustum est. sic. n. lego.
24,14 vxori. Quid
26,8 maiestatis crimen] leg. videtur, crimine
27,3 nullam] leg. nullam imo tam certam d. vt o. q. ingeniis malorum.
23 argumenti satis] delendum videtur argumenti. & paulo post leg. tantum illi vacauit.
28,6 soluet quod] soluit
29,16 iniuriarum] vet. iniuriam
25 circa caussas maleficij istius etiam moror?] vet. ex. morbi. vt fortasse legendum sit, & iam morbi. maleficium morbus sit communis cum iam quasi in more est. Seneca lib. 3. controu. Et vt ad morbum te meum vocem, &c. & lib. 1. de Benef. morbo suo morem gessit. sic enim recte legitur. & postea lego, An diutius q. p. a. m. s. cuius pœnam soluit p. o. n. c. n. secreto (quanquam ista q. p. facta sunt) sed p. a. magistratus.
33,19 leuiora videantur] vet. leuior aut videatur
34,2 ope rationis] vet. ex. cuius etiam vitia hic annotare libuit, ope rationis rog.
3 Prima igitur] Primum igitur
35,18 contra alicuius voluntatem] vet. ex. contra alicuius legis voluntatem.
37,32 velut grauiorem] fortasse leg. vel vtique
38,1 hæc de iure] & hæc Sermonis propria sunt.

4 nostra tentauit] al. vestra

39, 24 & 28. iudicaretis? recipiemus?] pro interrogationis notis virgulæ potius adiici debuerunt. Sed iam minuta isthæc arbitrio lectoris relinquamus.

40, 2 Transfugas non esse recipiendos] Sic vet. ex. sed hæc ex notis lectorum margini adscriptis in textum irrepsisse palam est, vt & alia quædam.

6 esse transfugas hoc dicunt] leg. esse transfugas dicunt, hoc dicunt.

42, 3 ex die mei deloris] vet. ex. meæ sanitatis.

27 Si ab alio] leg. vid. S. a. a. r. e. pater , & st. v. r. a. g. fortuna abdicare me is voluisset , dicerem tamen, Quid intra t. b. t. commisi?

44, 11 Descendamus] vet. defendi

26 & ita demum] vid. deesse, potest

45, 16 in ista conditione spectaui] vet. ex. peccaui.

47, 14 sed pugnandi quærere videbaris] idem ex. sed pugnam diuidebas.

23 Discede de domo mea] Hæc est Græcæ abdicationis formula mutuata ex Romana repudij, infra Declam. 262. Cui non omnino absimilis & illa, qua amicitiæ more maiorum dirimebantur , vt est apud Tacitum lib. vi. Annal. cuius exempla si quis requirat, reperiet apud Suetonium in Augusto 66. Caio, 3. & de illustrib. Grammat. in Curtio Nicia. Valer. Max. lib 5. cap. 8. & alios auctores, quorum hic locos ascribere nihil opus esse putaui.

51, 31 optime pater] al. optione, non absurdo sensu.

52, 2 satis tutum in.] In vet. ex. leg. tuta

54, 27 siquid hic læserit] vet. quod hic. & paulo post, publicor. oper. impensæ versa.

55, 4 vos eum largiri tantum] vet. largitatum.

56. 15 neque ad inferos] Idem ex. feros

58, 6 forsan minus] vet. ex. mitius, non male.

9 tempestiuiora] fortassis melius intempestiuiora. & paulo post, ille l. vixit, & q. c. i. h. t. est, aliquid fortasse donauit.

14 Et cum iuu enis es] al. Et tu. & postea, tanquam istum abdicatis præstiterit. Item, quales eos accusator esse condemnaret.

59, 23 verecunde n. seruitutis] lego, verecunde nomine seueritatis dissimulatur vestra crudelitas.

60, 7 Vos æstimatis causas] videtur leg. Vos æstimate caussas. & postea, onerosum patrimonio vid.

62, 5 præterea illud] emenda, præter illud

23 constabit] adiicit vnum exemplar, eiicere?

63, 25 poteram dicere aliud, esse iustum.

65, 28 iita dicere] melius, iusta dicere.

66, 4 Non opinor ipsum saltem dicere ausurum. & postea, proxime contradixerat. Sic leg. vid.

67, 19 nondum enim rogatio erat] fort. rogatio recepta erat

69, 18 arguerent test.

70, 4 dimid. p. pat. accipi] accepi

21 maiores nostros] vet. vestros

71, 10 & apparet potuisse] In quibusdam exemplarib. lego, & apparet voluisse legumlatorem vti pars dimidia patr. &c. non male. & post illud perueniret interrogationis notam adiicio.

72, 1 cæterum quidem] al. cæteroquin

74, 10 Hæc ego ita dicerem] vet. ex. ista

19 duos auctores habet] malim, actores

75, 9 temeraria licet] fort. scilicet.

76, 10 valere debeat semper] vet. ex. insuper

17 quomodo in cæteris] quoniam

26 interim accusarer] leg. vid. iterum

78, 15 hodie futuræ tyr.] lego, odio. & paulo post, vt propius spectent ad priorum

79, 1 arx fecit] v. c. ara

12 securissima reip.] leg. rep.

81, 20 test. suo voluit: sed qui magis fuerit

83, 8 cura vacare vtique] vet. ex. vtraque. vnde P. Ærodius v. c. cui tertia harum Declamationum editio debetur, reposuit, iraque, propius ad antiquam scripturam.

23 Tamen quidam] al. quædam ſapientem ex tabulis Reipub. tantum. locus eſt valde corruptus.

85,22 Vſque ad eam] Et hic quoque locus emendatione indiget.

86, 26 ſenſum ciuitatis] Fab. lib. v. c. III.

89,8 Homines in tormentis] Idem Fab. c. IV. eiuſdem libri.

96,17 Si imperes] & hæc ſermonis eſſe videntur.

97,26 erat illud] Erat, &, Fuit, verba ſunt quib. aliquem vita defunctum ſignificabant.

32 Ignoſcant leges minores] lego & diſtinguo, ignoſcant leges) minore ſacramento tuli & contra hoſtes, &c.

98,21 incautiorem illum] vet. cod. illudi

101,24 & aciem illam] videtur legendum, & acie illa. & paulo poſt, Nec recuſo vt poſſit

106,13 hæc præſens] malim, nec in præſens modo tempus, ſ. i. v. ſ. v. t. f. c. ſtabit?

107,28 ſi prætereaam] lego, ſi præter ea quæ a. n. ſ. v. fecit, partem ſ. c. e. c. n. a. eſt?

109,5 protinus eſt] al. eum

10 ad delictum] al. addictum

110,10 quis vetabat ſubſtitui] videtur legendum, quis vetabat inſtitui, vel ſubſtitui, &c. & paulo poſt, 28, manifeſtum teſtamento fecit.

111,3 diu eget] vid. leg. diu egebit.

114,1 Prægnantium] In vet. exempl. prægnatium & prægnas, & prægnatem, conſtanter ſcriptum eſt, vt & in Piſanis Pandectis.

116,6 volutata eſt?

8 quorum libido ratione continetur] ſic vetus, legendum tamen videtur, non tenetur. niſi quis malit ſic intelligere, frænari etiam ratione mutorum animalium libidinem, & hac in re muta quoque animalia iuris & rationis pertia cenſeri, vt I. C. loquitur.

12 præſtaret?

119,28 Adiecta pecunia] hoc exemplum eſt ſcholaſticum ſacramenti in cauſſa criminis, vt & infra declamat. 363.

122, 9 postea nudari filium] Fuit hoc tum incerti iuris, pubertas in masculis annis & ætate, an habitu corporis æstimanda esset. Fabius lib. IIII. cap. II. De re, inquit, constat de iure quæritur vt apud centumuiros filius an frater debeat esse intestatæ heres: pubertas annis an habitu corporis æstimetur. Sic enim is locus emēdandus est. Cassianorū siue Sabinianorum sententiam Isidorus in nuptiis sequutus videtur lib. V. Etym. quod relatum est in cap. III. de sponsalib. impub. Proculianorum Iustinianus noster tandem probauit. Priscus Iabolenus quamlibet in multis aliis iuris articulis Cassianus fuerit, in hoc mediam quādam sententiam secutus est, vt & alij plerique. Seruius ad illud Virgil. Ecloga VIII, Alter ab vndecimo. Bene, inquit, cum annis iungit habitum corporis. Nam & iure pubertas ex vtroque colligitur. De fœminarum pubertate constitisse inter omnes videtur, inspectionem corporis sexus pudori non congruere. Itaque quod deest apud Vlpianum in libro singulari Regularum, titulo de Tutelis, sic etiam suppleri potest, fœminæ autem tutela liberantur omnimodo, quæ XII. annos explerunt, scilicet propter festinationem votorum, vt est apud Aur. Macrobium. Sed hæc sunt alterius loci.

125, 1 itaque sicut si dies finiatur nihil vltra illum iuris futurum est.

126, 28 ita blanditur actione libenter, iudices, credo remansura est in eo matrimonio. Sic lego. Sed minuta isthæc prosequi magis piget quam pudet. itaque ea tantum notabimus quæ maioris momentis videbuntur: cætera lectoris diligentiæ relinquemus.

130, 18 & certe nullus excusatus] vet. exemplar. excusatius, recte.

131, 14 ego in te hanc patientiam corporis] vet. cod. patiendā. An patienda vt fruenda apud Ausonium? Vix puto.

132, 15 honoretur] al. coronetur.

137, 8 sed & spectat] vet. cod. sed expectat. Et paulo post, 18, illis quæ conuenerant.

138, 20 Quæ si sequenda] Fab. lib. VII. c. IV.
139, 9 At enim petiuit] al. At enim deposuerit petiuit postea.
11 me rediturum] non redditurum. & paulo post, vtique petiturum.
144, 11 Olynthij factum] legendum videtur, fatum.
152, 19 quod iam] vet. cod. quum.
157, 2 diuitum: malunt quærere] vet. cod. diuitum malum.
158, 23 vltima peragitur qualitas] vet. cod. vltime pelagi qualitas.
174, 16 est nostra frugalitas] vet. cod. fragilitas. Et paulo post, rogassem te prius mensæ communis. corrupte.
167, 18 armorum inscientiam] al. scientiam.
3 sed affuit pugnæ] vet. cod. pugna.
172, 6 inter binos metus cunctationes] vet. exempl. cunctatio? nec occidere &c.
177, 12 legum obliuiones] fortasse melius, abolitiones. Et paulo post,
31 quoniam non omniam subit omnis ætas. qui locus & à Seneca alicubi tractatur.
25 Aspice illam virginem] hoc pertinet ad l. vij. C. de Repud. l. 9. & l. 22. C. de nupt. 30. q. 5. Tertull. lib. II. ad vxorē.
211, 3 quo me ducis anime] vet. cod. ante me?
218, 21 vt dicas, Quod ego merui] Sic leg. Respicit hoc quodammodo formulam actionis. vide declam. 325. meritum legati. l. 9. D. pro soc. meritum hereditatis capiendæ. l. 16. in fi. D. de castr. pec.
219, 9 quærere] lege querere.
226, 14 iudicium] al. iudices.
227, 7 assistentibus. locis] al. existentes.
237, 19 qui auxilio iuuisset] vet. cod. iuuessit, verbo, vt puto legitimo. quod nouari non debuit.
238, 21 dedicationem destinabat] vet. cod. Destinationem destinabat.
244, 21 quædam argumenta. e. e. i. p. s.] Videntur hæc potius Sermonis.
246, 5 serit virtutum] vet. cod. sedit.

253, 12 illum vt interrogarem torsi] vet. cod. illum interrogatum torsi.
255, 7 vt alte exquirendum atque eruendum] vet cod. & erudiendum. & paulo post, 25, si ad Deos existimemus pertinere præmia.
257, 7 sicut aduersus alios] vet. cod. aduersos.
266, 19 tempestiuum] sic supra pro intempestiuo.
275, 4 ad gratulationem] vet. cod. graticulationem. quod prætermissum noluimus.
280, 5 Ira actus] sic vet. cod. cuius vestigiis malim ita legere. loquantur irati: me in latrones incidisse. solet fieri: summum est sequens, scio sed nemo &c.
284, 15 infirmitati consuluit] vet. cod. infirmitatem
292, 20 perperisse marem] vet. cod. matrem.
293. 6 interim instrumentum] vet. cod. interim strumentum excutere. quod nec ausim indicta caussa expungere.
298, 16 abiectis armis] vet. cod. ab istis.
299, 2 per publica rostra iecit] lego, per publicanos traiecit.
303, 10 quanto illud iniustius] Pertinet hoc ad vectigal vicesimæ hereditatium.
306, 9 hoc loco poni solet] est hoc sermonis.
20 quasi honesta] vet. cod. quasi hosta.
307, 16 Hæc quod ad ius, illa quod ad merita] Sunt & ista potius Sermonis, & quod sequitur pagina sequente, 4. Quam caussam &c. Declamationis videtur.
321, 7 Ergo vxor] pertinet & hoc ad L. Vxor. C. de Repud.
323, 24 Et exercitus partem dicimus] vid. legendum, & exercitus partem ducimus (seu decimamus) & in aciem ductis militib. certe innocentibus, multum contigisse imperatori videtur, si, etiam non incruentam victoriam referat.
326, 30 qui laudatas filij sui ceruices] Nic. Faber mauult, laureatas. Cui optimo & amicissimo viro lubens adsentior.
329, 10 in latrones] al. latrinas, fortasse rectius. vel lautumias.
15 Venena coerceat] vet. cod. noceant
330. 2 qui faciat alias. nunc venenum est.

32 eiuſdem Tractatæ.] vet. cod. Coloratæ, quod ordo ipſe non patitur.

331, 22 Conterere] lego conterrere

332, 26 non etiam facta] vet. cod. ficta, rectius.

335, 27 cauſſam fati crudelitati fingitur] malim, cruditati affinget.

352, 17 nec inter mortuos] fortaſſe melius, nec inferre mortuos.

355, 28 ſane crudelem] v.c. ſane crudelitatem me vocet, dum oſtendat:

357, 24 morante filio] vet. cod. orante, male.

361, 8 nunc frater] v. c. frat. vid. leg. pater.

362, 31 Vocatus a patre] vet. cod. Locatus

364, 28 mori volui

367, 21 nihil in contentione] malim, concione
28 tam efferati animi] vet. cod. afferenti

369, 20 proferta ſinu] vet. cod. proferte a ſinu

372 11 tua in vna lege eſt] malim, tua, in bona e lege eſt.

378, 19 decidentium] al. decidenti die. & paulo poſt, occaſio eſt.

379, 25 in bono] malim, in bona.

380, 8 ſæpe magnorum fides ex magnis venit] videtur potius legendum, ex paruis.

381, 22 vbi vendat] lego, tibi vendat

382, 32 Habet huc vſque Controuerſias numero CXLIII.) Sic vetuſtiſſimum & optimum exemplar. S. T. R. quod Claudij Falceti V. C. & doctiſſ. beneficio habuimus. Sequebantur vero in eodem exemplari declamationum Annæi Senecæ libri decem, breuiati illi quidem, vt alias ſeparatim editi ſunt, ſed aliquanto tamen meliores vulgatis, cum hac inſcriptione, INCIPIT SENECA DECEM RHETORVM: quem etiam in aliis exemplarib. titulum fuiſſe vel illa Io. Salisberienſis ex lib. VIII. Polycr. arguunt, Legantur, inquit, & libri illi quos Seneca decem oratorum ſententiis ſub imagine declamationum ſcholarium illuſtrauit. Eſſe autem illas declamationes non L. Annæi Senecæ

quem Nero quinquennij magiſtrum habuit, ſed patris ipſius quem Marcum quidam prænominant, & nobis ante viſum fuit, & ab elegantiſſimo diligentiſſimoque antiquitatis Lipſio nuper in Electis notatum eſt. Poſt has incipiebant, EX CALPVRNIO FLACCO EXCERPTÆ X. RHETORVM MINORVM. quo ordine ſuperior noſtra coniectura de hac inſcriptione nonnihil confirmatur. Sed nec illud diſſimulare volumus in illo optimo & vetuſtiſſimo codice Calpurnij Flacci vix ſuperfuiſſe quartam partem: reliqua nos habuiſſe ex Italico exemplari non adeo vetuſto. Quis autem hic Calpurnius fuerit, alij fortaſſe dicturi ſunt: mihi quidem nondum ſcire contigit.

IN CALPVRNIVM FLACCVM.

384,2 Quas quaſi] vetuſtius exemplar, quos, quaſi deſcriptas.
5 Hiſpaniæ] alterum exemp. Heſperiæ.
7 illic eff.) al. illic offuſciora corpora, illic coloratiora malem.
15 Formoſus) fortaſſ. melius, non formoſus.
17 quo cadat vbi ſemel pudor corruit. Nulla
23 forte, voluit quam, imp. quod infeliciter.
385,9 al. qui Mario iam miles eſt,
21 minari) vet. mirari
32 recuſare] vet. excuſare
386,3 miſeri) al. miſeriæ noſtræ aur.
11 leg. vt in vet. robur Tullianumque proſp.
19 cogitat. nimirum de parricidio etiam cum c.n.l.
23 rogem?
387,5 liceret, ſi p. n. e.
23 patientis] vet. parentis
388,5 ſuſpicemur] vet. pollicemur
10 arci noſtræ] vet. archonta
11 æquationem] al. peræquationem
15 infamet mors] al. infament iſta.

389,11 pernegauit] fort. leg. pernegauerunt torti,
31 quid me fort. Cui me, vel, quo m. f. custodis?
390,9 quando] lego, quomodo.
15 parricida] lege. parricidam
16 expectasti] fort. spectasti. N.
391,13 Si spectat] fort. Sic sp.
23 miserationem meam] mei
26 supplicij sanatio] fort. supplicijs
392,6 extinctum] forte, extinctus, vel extinguo
18 Nihil tam] lego, iam
29 inconstantium] vet. inconstantiæ. locus emendatione indiget: fortasse hac, Diuitiæ inconstantium animorum summa pernicies, vel velit ad m. r. vel nolit.
393,18 O nouerca est] malim, O nouercæ alta crudelitas, amasset, & consciam putaremus.
394,11 consequitur] malim, consequetur.
22 mortis est] malim, moris.
395,13 Proinde beneficium hereditatis filo datur, patrono redditur.
22 non festinat] vel legendum, Num, vel delendæ interrogationis notæ.
396,20 Grata sunt &] lego, ei
24 sæpe gloriam] lego sæpe per gloriam
398,3 Dedit quamuis
20 publice] malim, publicæ
400,3 promittere] legendum permittere,
25 per sanguinem] hic adijci debuit asteriscus, qui corruptum locum notaret.
402,16 esse contendunt] fortassis melius, concedunt.
403,29 sed mortis patris genere) lego, sed de mortis genere. & paulopost quid per alterum petis ius quod tibi vindicas.
404,18, PRORAPTA] lege, PRORAPTORE.
22 conuerso iure) ex. manusc. controuerso.
405,20 quem fundere in bello nolui) legendum, volui.
407,26 aliter onus) fortasse, honos.
408,2 & luxuriosum ab amore) lego, & luxuriosum, luxu-

riosum ob amorem.

18 in quo puero) malim, in hoc puèro.

28 Soror insaniendum est) probo coniecturam Neuelcti mei, Soror occidit, insaniendum est : mater.

410,29 iure egit) lego agit. nempe vt sibi duci seruiat ex lege speciosus adulescens desertor.

411,14 quod potior) malim, potior. & paulo post, paria non sunt nobis.

413,16 callide puella conuenta est) legendum potius, commenta es.

414,13 solenne in his damnum) melius fortasse, in is.

18 quos ego) per quos ego.

415,11 iam cum illo meo errore vel facto) lego, iam cum illo meo errore vel fato.

416,6 Inuentus in adulterio)lego, inuentas in adulterio postea fratrem & sororem.

418,1 O gratum) Hic locus sic reponendus videtur Neueleto meo, O gratum infantis errorem! te existimat matrem, disce infelix puer natalium tuorum fatum, disce fortunam. Pariter nos ambos mater afflixit, & pariter alia seruauit. acute.

419,3 Et si) malim, & si v.f.p.p.r. triumphabo?

12 Sine nobis orbatis non liceret) videtur potius delenda negatio.

IN DIALOGVM

DE ORATORIBVS.

An eius sæculi oratores antiquioribus, & quare concedant.

SCripſeram ante annos octo ad veterum Iuriſconſultorum fragmenta, lubentius me hunc librum M. Fabij Quintiliani de cauſsis corruptæ eloquentiæ inſcripturum. Quod & ſagaciſsimo elegantiſsimoque Lipſio viſum eſt. Nunc, vt verum fatear, Tacito potius adſeruerim, ſequutus non modo Pomponij Sabini, ſed omnium exemplarium fidem. Nec me iam ſtili ratio vſque eo mouet, cum ſciam pro ætate facile genus dicendi mutari: & quod adoleſcentis fuit lætum, luxurians, profluens ac floridum, ſenis fieri conciſum, breue, graue, ſobrium ac maturum: quale ipſius Annalium & Hiſtoriarum eſt, ad quæ ſcribenda iam ſenex ſub Nerua animum appulit. In huius autem dialogi editione præter exemplar in Italia ante aliquot annos deſcriptum, maximo nobis adiumento fuit Lipsij noſtri diligentia, qui ſui in Tacitum commentarij apud nos deſiderio, nunquam niſi ſero ſatisfacturus eſt.

Pag.421. Lin.21. Iuuenis admodum) Hoc Taciti ætati magis congruit. Nam Fabius Domitium Afrum, qui ſub Nerone periit, adoleſcentulo ſibi notum fuiſſe ait. Et cum de Iulio Secundo magnifice loquatur, lib. x. Inſtit. Aprum ac Maternum ne nominat quidem. Sed & de cauſſis corruptæ

eloquentię continuo libro non dialogo ſcripſiſſe videtur. Adde quod ne in ijs quidem quæ in iſto deeſſe apparet, vllus locus eſt ampliori tractationi de hyperbole: & quæ de inuenta primum declamandi ratione ille dixerat, hic paulo aliter exponuntur.

422, 18. In quem] leg. in quantum. quod & Rhenanus monuit, cuius apud omnes literatos memoria grata eſſe debet & ſancta. Sic infra, Credite optimi, & in quantum ſatis eſt diſertiſſimi viri.

423, 5. Et cauſſarum] al. Et curarum. vt ſupra, ſiue nouam & recentem curam.

21 Aggregares] lego, adgregare?

424, 1 Litis huius inueniri] Hunc totum locum ſic lego, Ego enim quatenus arbitrum litis huius inueni, non patiar Maternum ſocietate plurium defendi. Poteſt & legi, Sollicitudine. vtrumque hoc ſenſu, Quando te, Secunde, huius litis arbitrum nactus ſum.

16 Cuius vis & vtilitas] Diſtingue ſic, Cuius vis & vtilitas rebus probe fluentibus, aliorum præſidio & tutela intelligitur: ſin proprium per inc. &c. manifeſto ſenſu.

425, 7 Et totius orbis gratia] Fuit cum legerem, totius vrbis, vel, Ipſius orbitatis gratia. Amm. Mar. vt alios omittam, Vilia omnia exiſtimant præter orbos & cælibes, nec credi poteſt qua obſequiorum diuerſitate colãtur homines ſine liberis Romæ.

426, 2 Tum abire quod ſi non] Hic locus valde corruptus eſt. Quid ſi interim legamus? Tum habere quod non in aluo oritur, nec codicillis datur: vel, quod ſi non aliunde oritur nec c. d.

19 Seſtertium præſtat, quamquam ad has i. o. p. v. e. beneficio veniſſe: ſed ipſa eloq.] ſic diſtinguendus eſt hic locus.

429, 22 Sentio quid reſponderi poſſit] Hic locus aſteriſco mihi indigere videtur.

433, 10 Neque illius] In exemplari Italico ad hunc locum adſcriptum fuit, Eadem verba ſunt Petronij. Et ſane quædam

ſunt

ſunt initio Satyrici Petroniani quæ huius diſputationis locis aliquot valde conſentanea ſunt.

18 Sacerdos iſte Nicetes] Sic legit doctiſſ. & elegantiſſimus Lypſius ex Plinio, cuius coniecturam magis confirmat Philoſtrati Lemnij de Nicete elogium in vitis ſophiſtarum: cuius iudicium Neueleto meo debeo.

434,20 XIIDCCCLIV] Variat hic numerus in exemplarib. Seruij in illud. 1. Æneid. Triginta magnos. Et lib 3. Interea magnum. itemque apud Cenſorinum in illuſtri volumine de die natali ad Q. Cerelium. Macrob. comment. in Somn. Scipionis. & Iul. Firmicum lib. i. Matheſ.

22 Non ſolum anno quo nos, ſed fere eodem menſe] Quin potius ex analogia, Non ſolum menſe quo nos, ſed fere eodem die.

437,24 Pro M. Tullio] Cuius Fortunatianus lib. 2. Rhetor. ſchol.

438,19 Nec vnum de populo Canuti] Hic locus aſteriſco notari debuit.

32 Quid ex] lege, quid? ex Cælianis orationibus, nempe hæ placent.

439,13 Lentitudinis ac temporis] Si quis malit Teporis, non repugno. Sequitur enim paulo poſt, Lentus eſt, tarde commouetur, raro incaleſcit.

27 Viderimus inquam] Et hic locus corruptus videtur. Quid ſi legimus num ingenio? &c. Et pag. ſeq. terminantur.

441,30 Ita ſentit] ſic diſtingue, ac ne ipſe q. ita ſentit: ſed more veteri & alias a veſtris.

442,13 Si comminus] Malim, ſi communius, quod alijs fortaſſe nouum videbitur.

443,12 Calamiſtros Mæcenatis] Pomponius Sabinus mediæ ætatis Grammaticus in Carmen de obitu Mæcenatis. Cornelius, inquit, Tacitus appellat ſcripta Mæcenatis, calamiſtros.

444,10 Excerpſiſſet] excepiſſet.

445,15 Ac non ſtudia ſolum moreſque] vet. Ac non ſtudia

modo curasque sed remissiones etiam lususque rectius.

446,17 Sed expectantur] expetuntur.

448,11 Locos dabunt, Ac.p.p.a.X. iucunditatem ne Epicuri quidem &c. prout res posset. sic distingue.

451,10 Non sudibus] Lypsius rudibus.

31 Vt Cicero ait] Locus est lib. III. de oratore, ex persona L. Crassi. Hoc, inquit, cum vnum traderetur, & impudentiæ ludus esset, putaui esse Censoris ne longius id serperet, prouidere. quanquam non hæc ita statuo atque decerno vt desperem ea tradi ac perpoliri: sed hominibus opus est eruditis &c. ex quo apparet hic legendum esse L. Crasso non M. vt & apud Sueton. in libello de claris Rhetorib. & A. Gell. lib. XV. cap. XI. Cęterum quod ad Ciceronem ipsum attinet, certum est cum ex eodem Suetonio tum ex Seneca in prooemio lib. I. Controuersiar. ad præturam vsque Græce declamasse: Latine vero seniorem quoque, & quidem cum Hirtio & Pansa Coss. quos discipulos & grandes prætextatos vocabat. Quin & cum Pratura fungeretur, scholam quoq; M. Antonij Gniphonis frequentasse, qui tum Rhetoricam ita docebat in vrbe, vt quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero non nisi nundinis. hunc vero cum in Gallia natus fuerit, & quidem ingenuus, inter nostros Rhetores recenseri par fuit. Ciceronis ipsius de se testimonia sunt hæc, in Bruto: Commentabat declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie. Idque faciebam multum etiam Latine, sed Græce sæpius. Et lib. I. Tuscul. Vt enim ante declamitabam caussas, quod nemo me diutius fecit sed videantur lib. viij. Famil. Epist. vlt. & lib. IX. Epist. XVJ. & XVIIJ.

452.15 Vitiatarum electiones] Recte. Respicit ad legem scholasticam quæ raptarum dicitur, Rapta raptoris mortem vel nuptias optet.

18 Cum ad veros iudices ventum est] Qui sequitur sermo non iam Messallæ est, sed Materni. Itaque multa hoc loco desiderari videntur.

30 Pæne pernoctantium] Eadem figura nocturni aduocati dicuntur a Petronio, & Seneca in libro de breuitate vitæ: Quos a basilica, inquit immissi demum canes eiiciunt. Quem locum Pincianus homo doctus & diligens frustra emendare conatus est, vt in commentatione nostra de Centunuiralibus, Decenuiralibus, & Septenuiralib. iudicijs amplius ostendimus.

453, 8 Parabat] al. probabat.

20 Cum testimonia] Idem Tacitus lib. 2. Annal. Vrgulaniæ potentia adeo nimia ciuitati erat, vt testis in caussa quadam quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur.

455, 10 Finiebatur] al. cauebatur.

456, 31 Sine seueritate] al. seruitute.

457, 20 in clientelam] al. in ciuitatem.

23 Quam vindicari] al. quam iudicari


458. 4 Excedentibus modum] vet. excellentibus morum.

9 Vestra tempora] vet. aut vestra tempora.

19 Antiquarijs] Vet. cum antiquarijs.

In epistola quæ sequitur Dialogum de Oratorib. pag. 3. lin. 30. post illa verba, locorum communium commentarios, adde, quos Plato in Menexeno appellat.


Pag. seq. lin. 28. post illa verba frequens in scholis est, adde, quæ a Iulio Rufiniano de schematis dianœas exemplis adhibitis fusius explicantur.



PRÆFATIO IN IVVENALEM. AMPLISSIMO VIRO

Augustino Thuano, Equiti, in Senatu Parisiensi Præsidi, & Consistorij sacri Consiliario,

P. PITHOEVS S.P.D.



ROMISSI tibi dudum muneris gratiam, si qua est apud te, vir amplissime, præstationis mora detritam nolim, præsertim cum ea caussas suas excusationemque habeat non tam obliuionis aut negligentiæ, quam curæ ac studii maioris. Quin & ipse mihi satis opportune fidem exsoluisse videbor, si hoc officij erga te mei testimonium tibi non ingratum esse sensero, & qui hac nostra opera aliquando vtentur boni & candidi viri, fructum eius acceptum referant vitiorum odio, amori virtutum, id est, genio in Iuuenalem tuo, obseruantiæ erga te meæ; atque ingenitæ cuidam sollicitudini, qua priscis scriptoribus optimis rerum magistris, vel posteritati potius aduersus imminentem barbariem, quantum in me est, cautum prouisumque esse cupio. Bene vale v. c. & me ama.



LECTORI.

IN hac editione, Lector, illud potißimum nobis propositum fuit, vt inter plura variaque, nec contemnendæ vetustatis exemplaria, vnius omnium sane optimi atque antiquißimi scripturam curaremus exprimi, quod de Budensis cladis reliquijs in Thasillonis quondam Ducis cœnobium relatum fuisse ex Matthiæ adscripto nomine facile adducor vt crederem. Id ad nos tandem peruenit Francisci fratris carißs. dono, cui plura longe ac meliora, vt spero, posteritas debitura est. Atque vtinam veteris librarij manum omnibus omnino locis adsequi licuisset: verum nescio quo malo genio factum est, vt exemplar illud nulla parte melius esset, quam qua imperiti lectoris impio & infelici stilo erasum, infeliciori etiam calamo emendatum, aut mendatum potius & contaminatum fuit: adeo vt mihi recentioris scripturæ vestigia quasi notæ indicesque fuerint ad veterem indagandam atque eruendam, quam adiectæ paßim ad vtrumque marginem interpretationes interdum suppeditarunt sæpe nos & ipsæ deseruerunt. Earum porro quem auctorem nominatim laudem, non habeo, cum nullum præferat codex ille, quo hac parte vsi sumus vnico: quanquam non ignoro a plerisque non postremæ notæ scriptoribus Probo tribui commentaria non in Iuuenalem

hic ab operis prætermissum video. Cætera omnia ex nostro illo modo, sed & in A. Persij Satyras illa, quorum hic quoque bonam partem emendatiorem damus, vsi etiam hac in re consilio iudicioque amicorum, atque in primis Ios. Scaligeri viri incomparabilis, de quo quidquid præterea dixero, minus erit. Id vero illi an ex veterum librorum fide, an ex coniectura potius faciant, non satis scio. Illud dissimulare non possum, quod Berytium nonnulli vocant, frustra eos, & parum critice facere, si ad Valerium Probum referre velint, cuius hæc ætatem ferre nullo priuilegio possunt. Sed nec Probo quidem illi tribuam quem Lupus noster sub Karolo Caluo Imp. in Germaniæ saltu liberales disciplinas tractasse, Satyram etiam tentasse ait. Nam & ista literatioris sunt sæculi, & quod ex Taciti historia Moysen repetunt, vereor ne sit hominis Christiana religione nondum imbuti. At illa sane de crucis supplicio, aliaque eius generis nonnulla, post Constantinum Magnum scripta nemo nisi historiæ ignarus negauerit. Ego vero quod cæteris fere veterum Grammaticorum glossis & commentarijs, idem & huic nostro accidisse video, vt ex variorum diuersæ, vt ætatis, sic eruditionis interpretum notis conflatum, instar & ipsum Satyræ esset. quin & in antiquo exemplari sæpe me ab initio ex marginum diuersitate, interpretationum etiam diuersitatem notasse memini: quam tamen in hac editione repræsentare neque potui, neque, opinor, debui. Valla & ipse vir diligentissimus sui nobis Probi fragmenta ad Satyras tantum aliquot pro captu atque arbitratu suo exhibuit, quæ tamen adiumento non leui plerisque locis fuerunt, quos ex illis vel emendauimus vel suppleuimus, adiecta etiam sua cuique nota: quod

vnico exemplari non ſine magno labore ac tædio expreſſa ſunt, ea plane fide & religione, vt quodammodo verendum nobis videam ne ſuperſtitioni plerique aut negligentiæ, nonnulli etiam imperitiæ adſcribant, quod veteris ſcripturæ vitia interdum retinere maluimus, quam coniecturis ex ingenio emendare. quod nobis quidem non difficile fuiſſe, locis ſaltem aliquot, haud negauerim: at erit illis fortaſsis perfacile omnibus, quibus ad ſpicilegium illecta plura manere reliquæ meſsis intereſſe putaui. Ne tamen omnes omnia ſibi quoque in hæc temere licere arbitrarentur, paſsi ſumus quædam ex illis adijci quæ inter legendum ad oras libri adnotaueramus memoriæ magis cauſſa, quam vt in publicum exirent: verum ea lege, vt cui vſui non forent, poſſent illa ſine fraude ſua pace etiam noſtra a corpore reliquo diſiungere, & ſi videretur, abijcere. Vale.



VARIÆ LECTIONES QVÆDAM.

IN PERSIVM.

IN vetustiss. & optimo exemplari, quod in his notis L. littera interdum designaturi sumus, singulæ huius libri paginæ hunc titulum constanter habuere, THEBAIDORVM PERSI SATYRA: quo quid significetur, necdum diuinare potui. Qui coniecerit, is melior vates esto.

Vers. 14 Pesageium melos] L. & tres veteres codices, Perpegascum melos.

IN SATYR. I.

v. 48 VAtum & plorabile siquid] Sic & apud Priscianum viij. At in L. Vanum & plorabile si quis.

100 Doctas posuisse figuras] Sic L. Doctissimus tamen Scaliger malit, -doctus posuisse figuras. Laudatur. vt infra, -pallentes radere mores Doctus.

107 Berecynthius Atys] Idem ille legit Attin. & paulo post Manas & Attyn; & cum vtrumque dicatur, Ἄττιν, δέλφιν, Ἄττης, δέλφις, illud a Persio irrideri putat.

111 Prægrandi subere] Sic L. vetus interpres in Horat. Saty. II. lib I. væ grandi.

115 Bassaris & Lyncen.] L. Lyncæ.

II. AD

II. AD PLOTIVM MACRINVM, DE BONA MENTE.

11 EBullit] L. Ebulliat, deleta postea a litera.

14 Iam tertia conditur vxor] Apud Seru. iiij. Æn. ducitur.

42 Tucetaque crassa] L. tuccetaque. Sic & in vet. gloss.

45 Arcessis] L. Accersis.

57 Qui purgatissima] L. Purgantissima.

69 In sancto] Sic L. sic Lamprid. Alexandro.

73 Fasque animo] L. animos.

75 Hæc cedo admoueant] L. Hæc cedo vt admoueant templis. quod retinendum censeo.

III. INCREPATIO DESIDIÆ HVMANÆ.

3 NIgra quod infusa] L. Nigra sed infusa vanescit s. l.

14 Geminet quod fistula] L. quo.

23 Lutum es] L. est.

66 Discite & o miseri] L. Discite, o miseri, & caussas. nec hoc vnicum est in his Satyricis huius licentiæ exemplum.

81 Silentia rodunt] L. produnt.

IIII.

21 PAnnucea Baucis] Scribe pannucia, vt in L. & apud Donatum in illud Andriæ, Vidi Cantharam subfarcinatam

25 Vectidi prædia] L. Vettidis.

33 Frigas in cute] L. figas. non male. al. fricas.

37 Tu cum max.] L. Tunc cum.

V.

9 SÆpe insulso cenanda Gliconi] L. sæpe inuiso cenanda Cycloni. & Glossæ loco adiectum, deformi.

15 Rodere mores] L. habuit olim , radere.

19 Bullatis vt mihi nugis] L. pullatis , & adscriptum pro glossa recentiore manu, togatis. Vetus interpres pridem editus ab Elia Vineto opt. & doctiss. sene, legisse videtur, bullatas vt mihi nugas. quod Scaligero nostro magis placet.

26 Centenas a. d. voces] L. fauces. non inepte.

29 Quod latet] L. Quo.

58 In Venerem putret] Et hoc loco vetustiss. ex. corruptum fuit.

64 Fruge Cleanthea] L. Cliantea petite hinc iuuenesque senesque.

77 Vappa & lippus] L. Vappa lippus , & in tenui ferragine mendax.

83 Hoc nobis pilea donant] L. hoc nobis pillea donat.

87 Licet illud] L. licet illud de tuo tolle. corrupte, sed optimi ex. etiam næuos referre interdum placebit , & proderit.

93 Dare tenuia] L. tenua.

112 Nec glutto] L. Nec gluttu. In vet. gloss. scriptum est, Gluttus, βρόχθος.

129 In iecore ægro] L. in pectore ægro. & post paulo, Et quid agam rogas ? en saperdas a.p.

147 Veientanumque) L. Vellentanumque.

150 Peragant sudare deunces] L. suadere deunces.

174 Exieras. nec nunc] L. ne nunc.

VI. AD CESTIVM BASSVM LICVRIVM POETAM. sic L.

24 TVrdarum nosse saliuam] In L. saliuas, & emendatum turdorum.

27 Ast vocat.] L. Auocat.

44 Insignem ob cladem) L. laudem.

51 Non audeo inquis) Quidam codices, haud audeo. Sunt qui malint, Non adeo, inquis.

55 Accedo Bohillas] L. Bobillas.

60 Maior auunculus exit] L. exstat.

EXPLICIT PERSII THEBAIDORVM SATYRA. FELICITER. sic L.

IN IVVENALEM.

LIB. I. SATYR. I.

v.2 RAuci Theseide Cordi] Apud Seruium in 1. Æn. Codri.

115 Teda lucebis in illa] Scriptum fuit in opt. ex. lucebit. & secundo ab hoc versu, sulcum deducit arena. Sed emendatum lucebis, &, deducis. nec vllus est in his Satyris locus, quem ego ex Grammaticorum glossis minus grammatice intelligam.

II.

120 CEna sedet] An potius sic distinguendum fuit, ingens Cena, sedet: gremio iacuit noua nupta mariti. Apul. Accumbit ad summum thorum maritus, Psychen gremio suo complexus.

III.

67 SVmit trechedipna] Sic olim L. sed repositum ræhædipna. vet. gloss. Cupedicinus τρεχέδειπνος. Et apud Plut. VIII. Symp.

80 Qui s. pennas] Pinnas, mediis sed natus Athenis. sic videtur fuisse scriptum in opt. ex nunc Achiuis. Sane Dæda-

lum Athenienſem fuiſſe conſtat.

187 Plena domus libris venalibus] Sic L. additumque gloſſæ loco, id eſt panibus.

208 Nil habuit Cordus] Opt. liber hoc loco aperte habuit Codrus. nam prior quidem huius nominis ſcriptura recentioris eſt manus, vt iam dubitem an non & Satyr. 1. Codri potius quam Cordi: quando & vetus interpres de eodem poeta vtrumque dictum adnotat.

218 Hæc Aſianorum] Hæc fuit vetuſtiss. ex. ſcriptura, quam interpretationes huc vſque retinuerunt. Hodie in textu emendatum legas, Fecaſianorum.

255 Serraco veniente] Apud Ser. in. 1. Æn. Sarraco.

IIII.

3 A Vitijs æger] In optimo exemplari ſcriptum fuit:
A vitiis ægræ ſolaque libidine fortes
Deliciæ. viduas tantum ſpernatur adulter. Qui refert igitur. quod & vetus interpres ſequutus eſt.

13 Titio Seioque] L. & alij veteres libri, Serioque: quod temere reijciendum non eſt.

33 Facta de merce) Sic L. Interpres tamen legit, fracta, quod etiam plerique codices habent: at nullus quem quidem viderim faria, quod tamen ingenioſum eſſe diffiteri nolim.

68 Stomachum laxare ſaginis] L. habuit aliquando, ſagiriam. ſed emendatum, ſaginis.

V.

4 VIlis Gabba] Sic L. emendatum, Galba, vt & apud Val. Martialem ſcriptum eſt libris 1. & x. Epigr.

90 Propter quod] Verſus ille qui in editionibus quibuſdam ſequitur,

Quod tutos etiam facit a ſerpentibus atris, etſi Satyrico aculeo non caret, non fuit tamen in vetuſtiss. ex. nec adiectus quidem: obidque in hac editione, quam eius exemplaris loco eſſe cupimus, non inſeri facile paſſi ſumus.

LIB. II. SATYR. VI.

IN vno vet. cod. Cadurc. hæc Satyra inſcripta eſt L. FVRSEDIO POSTHVMO An Fæſidio, de quo ſat. XIII. 32.

19 Aſtræa receſſit] Vet. gloſs. Latinogræc. Aſtræa, παρθενος, δικαιοσύνη ὡς Ἰȣ̓βενάλιος· quod ad hunc locum referendum eſt.

129 Necdum ſatiata] Eædem ſch. Cad. ſed non.

271 Aut flicta pellice] L. flicta pælice. Sic & in eodem exemplari ſcriptum fuit Satyr. II. pælex. Vet. Gl. Pœlex & Pælicatio.

294 Hinc fluxit ad Indos] Sic L. alij codices, ad Iſtros. quidam etiam, Iſtmos. quæ diuerſitas facit vt iam non diſpliceat illa ex coniectura lectio,

Hinc fluxit ad iſtos
Et Sybaris colles, hinc & Rhodos & Miletos.

Qua ſignificatur, ex quo paupertas Romana deſijt, ab eo tempore Romam confluxiſſe Sybariticas, Rhodias Tarentinaſque delicias. Niſi cui potius placet Iac. Aug. Thuani. Aymerij v. c. ſummaque vt dignitate, ſic eruditione acrique iudicio præditi ſententia, qui Rhodon & Mileton, aliquando legendum ſibi videri admonuit, hoc ſenſu, Paupertatem Roma excedentem fluxiſſe ad illas ciuitates, quæ ante deliciis & voluptatibus inſignes erant.

305 I nunc] In opt. ex. verſus inter hunc & ſequentem recentiori manu adſcriptus fuit,

Tullia quid dicat notæ collactea Mauræ.

Quem tamen lubenter in hac etiam editione retinuerim.

324 Neſtoris hirnea] Sic L. vt in carmine Virgilij in Noctuinum.

327 Iam dorm.] L. Si iam dormit. & illud, iam, deletum ſtilo.

408 Cuncta arua teneri] L. arma.

427 Et loto terram ferit) Sic L. al. terramque luto Salui,

I I I I. ad Eccl. Cath. Natant tricliniorum redundantium pauimenta vino Falerno nobili lutum faciunt, menſæ eorum ac toreumata mero iugiter madent.

470 Coctæque ſiliginis offas] Citatur hic verſus a B. Auguſtino de Grammatica.

495 Admotaque lanis] Sch. Cadurc. amotaque.

502 Credas aliam. cedo] L. Credo.

531 Qui grege linigero] L. & alij duo cod. lanigero. quod hic reponi velim.

556 & 557 Cuius amicitia] Hic verſus cum ſequenti additus eſt in opt. ex. alia quam veteris librarij manu.

559 Læuaque ſi longo] L. longa.

577 Collyria poſcit] L. poſcunt.

628 Mordeat ante aliquis) Et hi duo verſus addititij ſunt in vetuſtiſſ. ex. Et vero deeſſe in quibuſdam vetus interpres notauit.

645 Rabie iecur incendente) L. rabiem iecur impendere.

LIB. III. SATYR. VII.

v. 62 EV hoc) Sic L. ſic & apud Sidon. lib. VIII. Epiſt. vet. lib.

165 Quid do) Apud Priſc. VIII. quod do.

204 Sicut Traſymachi) Sic habuit opt. ex. ſed repoſitum, Lyſimachi.

240 Ne faciant vicibus) Sunt qui putent non eſſe hos verſus Iuuenalis. Extant tamen in opt. ex. & referuntur a Seruio in illud Eclog. III.

-tranſuerſa tuentibus hircis.

VIII.

v. 7 COruinum poſthac] Et hunc verſum habuit opt. ex. habueruut & alia duo.

60 In æquore puluis] Al. cuius.

104 Inde Dolabella est) L. Inde Dolabella, atque hinc. Doctiss. tamen Scaliger legendum censet, Dolabellas.

132 Ipsumque Promethea ponas) Al. pingas.

154 Toruumque iuuencum] Quidam codices, pro bumque, alij rursumque. Et hic quoque optimus noster stilum passus est, vt dubitare quis non abs re de vera lectione possit, tum vero propter illud More Numæ, quod ego ad legem de opimis spolijs referendum putarem, nisi prohiberet Seruij auctoritas in lib. III. Æneid. & ad illos versus VIIII.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Quos & hoc loco Iuuenalis imitatus videtur & illo Satyr. XII. Sed procul extentum &c. Furuam hostiam Ioui cædi non memini, nisi stygio aut infero.

IX.

v. 14 BRuscia præstabat] Optimum ex. sic habet,
Brustia præstabat calidi circum facia vici.

Aliud secundæ notæ Latiniac.

Bruccida præstabat calidi tibi fascia visci.
Fructificante pilo. subdita mendi nota d. literæ, quasi Bruccia scribi debuerit. An bruscia siue fascia siue ascia ex brusco, de quo Plin lib. XVI. c. XVI. ego nihildum pro comperto affirmare ausim. locum vt est in illis exemplaribus deposuisse, satis pro tempore fuerit.

61 Cum matre & caculis] Sic quoque scriptum fuit in vtroque exemplari : sed in opt. postea emendatum, catulis, credo ex Satyræ XI. v. 154. & XIIII. 179. Sed & Tibull. lib. II. Eleg.

Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni.
Ludit, & ex virgis extruit arte casas.

Nos veterem scripturam integram conseruare maluimus.

84 Et libris actorum spargere] Apud Seru. II. Georg. & titulis actorum aspargere.

118 Tumque his] Optimi ex. scriptura hæc est, tunc est

Idcirco vt poſſis linguam contemnere ſerui : Præcipue cauſſis vt linguas mancipiorum Contemnas. nec lingua mali pars peſſima ſerui,

Deterior tamen hic qui liber nouerit illos , Quorum animas & farre ſuo cuſtodit , & ære. Vtile conſilium modo, ſed commune dediſti : Nunc mihi quid ſuades?

Quam ſi quis attentius expendat, aut ego valde fallor , aut is mihi tandem aſſenſurus eſt exiſtimanti verſum illum,

Idcirco vt poſſis linguam cõtemnere ſerui, qui in omnibus alijs exemplaribus alio tranſlatus eſt, plane tollendum de medio, vt ſuppoſititium , aut potius vt ita dixerim , duplicem: quales & alios pleroſque in veteribus Iuuenalis exemplaribus video, vt hac ipſa pagina in optimo codice.

Spes ſupereſt. tu tantum erucis imprime dentem

Gratus eris. tu tantum fucis imprime dentem.

139 Quando ego figam aliqu.) L. fiam aliquid quod ſit m. t. ſ.

146 Qui multa facies pingit cito] Op. ex. habuit, Qui multa facies, vt non ſine ratione quis putet ſcriptum fuiſſe prius, Qui maltha facies pingit cito : quod & Scaligero noſtro viſum eſt.

LIB. IIII. SATYR. X.

v. 74 SI Nyrtia) Lat. ex. Nurſia, vt & apud Liuium & Tert.

81 Panem & circenſes] Sic olim habuit opt. ex. hodie Panin.

211 Citharœdo ſiue Seleuco] Al. citharœdus ſiue chraules.

274 Vox iuſti facunda Solonis] In vetuſtiſs. ex. primum ſcriptum fuit, iuſtificanda; vt facile , cui vox illa modo non diſplicuerit ferat reponentem, Vox mox iuſtificanda Solonis. Quod ego temere nolim , licet analogia defendi poſſe non negem.

365 Nos te Nos facimus]Sic L. Apud Lactant. lib. III. Inſt.

ex

ex vulgatis libris, sed te legitur.

XI.

v.57 NOn præstem vita] L. vitæ.
95 Duxit habendum] L. habendam. Qualis in Oceano fluctu t. n.
132 Nec calculus] L. cauculus. Vt alibi sæpe Cauculo, quem Calaulonem scribimus.
164 Ad terram tremulo] Post hunc versum in opt. ex. sequebantur hi,

Spectant hoc nuptæ iuxta recubante marito, Quod pudeat narrare aliquem præsentibus ipsis.

Qui in alijs quibusdam positi sunt post illum superiorem.

Hic tibi vina dabat.

At melius videntur collocati suo infra loco, vt in vulgatis codicibus.

XII.

3 CÆdimus agnam] Repone ex L. ducimus.
14 Et a grandi] Apud Ser. Æn. VIII. & a magno, vitio scripturæ, aut potius memoriæ.
17 Et fulguris ictum] Scribe ex L. & fulminis ictus Euasit.
36 Testiculorum] L. Testiculi. vt & apud Ser. I. Georg.
59 Quattuor ac septem] L. Quattuor aut septem si sit lautissima.
73 Mirabile sumen] L. miserabile.
86 Quod præstat] Sic L. deleta postea p, litera.
92 Et mai. operatur] Repone ex optimi ex. operantur.
110 Partem aliquam belli) Additum postea in L. que.

LIB. V. SATYR. XIII.

HÆc Satyra in vet. cod. Latin. hunc titulum habet, DE FRAVDIBVS AD GABINIVM CVIVS AMICVS ABNEGAVERAT DEPOSITVM.

65 Hoc monſtrum puero) Sic L. ſed quod ſequitur ita ſtilo corruptum eſt, vt ſatis aſſequi non potuerimus quomodo primum ſcriptum fuerit. In duobus aliis codicibus eſt, vt monſtrum puero admiranti; &, vel miranti ſ.a.

140 Te nunc delicias] L. Teno, corrupte. Sed & hic verſus in cod. ex. perturbatus eſt.

XIIII.

IN Lat. ex. huic Satyræ titulus Græcis literis inſcriptus eſt, ΠΕΡΙ ΑΝΑΓΩΓΩΝ ΠΡΟΣ ΦΟΥΣΚΙΝΟΝ. Cæterum qui ſequitur primum verſum in pleriſque exemplaribus, in illo op. & vetuſtiſſ. recentiori manu adiectus eſt loco eodem, ſane non ſuo. Si cui retinere placet, per me quidem licet, dum reponat poſt tertium verſum, non adeo inepta ſede.

13 Cupiet) L. cupient.

30 Implet & ad mœchum] Priſc. VII. & XIII. ad mœchos.

78 Ad fetus] L. habuit, Adfectus.

86 Cetr.] Opt. ex. vno loco habuit Cretonius, alio Cetonius, & vtroque emendatum recentiore manu, Cetronius.

100 Romanas autem) Hic eſt horum verſuum ordo in opt. ex. idemque in alijs omnibus quæ quidem mihi videre contigit. Contigit autem nemero plura. Scaligero tamen noſtro viſum aliquando ſcio ſic potius collocandos,

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos,
Iudaicum ediſcunt, &c. quod etſi nondum mihi ipſe perſuadere potui, alijs tamen hic adnotare ingenui animi eſſe duxi.

122 Ire viam pergant] L. peragant.
206 Ipſo Ioue digna poetæ] Scribe, vt eſt in op. ex. poeta.
232 Metiſque relictis] L. meritis, ſed emendatum recte.

XV.

EST & hic titulus in quibuſdam exemplaribus DE SVPERSTIONIBVS ÆGYPTIORVM.

7 Illic cærul.) L. illi cæruleos, hic piſcem fluminis, illi, &c. & in veteribus gloſſis, Cæruleus beſtia marina Iuuenali. Nec tamen doctiſſimi hominis coniectura temere reijcienda, & manibus ſummis honos ſuus habendus eſt.

55 Nulli toto certamine] Al. cæco.

75 Terga fuga] Sic L. cætera quæ fuerant veteris ſcripturę, ſtilo expuncta, & repoſitum, Sceleri præſtantibus omnibus inſtans: vt verear ne hic populi quoque nomen corruptum ſit.

85 Raptum de parte Prometheus) L. Promethea.

93 Vaſcones vt fama eſt alimentis talibus vſi] Repone authoritate vetuſtiss. ex. elementis.

101 pallorem ac maciem, & tenues] Quidam codex pallore ac macie extenues.

104 Virib. abn.] Et hic etiam opt. ex ſtilo corruptum fuit.

168 Neſcierint primi gladios extendere fabri] Apud Ser. aliter II. Georg.

XVI.

IN quibuſdam codicibus hæc Satyra titulum habet DE CASTRENSIBVS.

2 Nam ſi ſubeuntur] Apud Priſc. lib. VIII. quod ſi ſubeantur.

IN SVLPICIAM.

4 PHaleuco] Scribe Phalæco. quanquam in huius nominis ſcriptura apud Athenæum, Hephæſtionem, Victorinum, Diomedem, Terentianum, Auſonium magna eſt varietas.

10 Teque quibus pr.] Sic diſtinguendum. Carmina Calliope libris heroica mandat. Cæterum & ante Sulpiciam, ſub

Augusto Cornificia versus scripserat, sed non phalæcos, iambos, scazontas, Hipponactios, & alios lyricos, quibus prima Sulpitia poetriæ nomen inter Latinos meruit.

19 Remulique] Vulg. Remique vnde malim, Romique. quod & Vineto nostro placuit.

33 Aut frustra vxori] Est hoc vitium memoriæ, maiorum etiam gentium scriptoribus eo vsque frequens, vt nonnunquam affectasse videri possint.

47 Qui Rudio] Scribe Rhodio, vt de Panætio potius minore, quam de Ennio intelligatur.

48 Bello fecunda secundo] Sic malo quam, facunda. Vide A. Gell. lib. XIX. c. XXI.

56 Plebs matresque vna] Vulg. fraterque. Plinius crabronum duo genera facit, plebem siue opifices, & matres: quod an vespis quoque conueniat, videndum est.

HÆc nos pauca e multis raptim excerpsimus. Plura qui volet ex aliorum editionibus ac notis repetat, quas his colligere & compilare neque animi moris, neque otij nostri fuit. ac ne eorum quidem omnium quæ hac editione præstita sunt, rationem reddere. Ea enim maluimus ex diligenti lectione a studiosis cognosci & expendi, quam nostro indicio oscitantibus ingeri atque obtrudi.

IN GLOSSAS PERSII VARIÆ LECTIONES.

Pa. 147 FVluia Sisennia] In quibusdam codicibus. Fuluia Sisenna mater nupsit postea Fuscio eq. Rom. & paulo post, Cessium Bassum & Calpurnium Statucam.

ib. Mirabatur scripta Flacci] Al. scripturam Flacci vt v. r. s. i. r. a. c. quin illa esse vere poetica diceret.

ib. Claudij Agaterni] Vet. Claudij Agatumni medici Lacedæmonij, & Petronij Aristotegratis magnatis Aristotelici, quos vnice imitatus est.

148 Reliquit circa H S. xx.] Vet. Circiter Sestertium vicies matri & sorori; scriptis tamen ad matrem codicellis.

ib. Et libros circa DCC.) In quibusdam codicibus additur, Chrysippi.

ib. Prætextam) Quidam codices, prætextam Vescio & opericarum. corrupte. Et paulo post mirari homines & deperire ceperunt. Et, detractis mox omnibus.

149 Ridicule satis) Al. ridiculose.

ib. Priamum Priamique phisingos) Al. pisinnos. & in alijs glossis, pisinni, liberi.

ib. Examen est lingua vel lignum) Al. ligua vel linum. & infra intra quod est linum; de quo examinatio est.

150 Per tus pigmentarios) Al. vnguentarios.

ib. Ex Græco versu) Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

ib. Fortia neglecti] Velabant, al. volitabant & vers. seq. Et per neglectos volitabant colla capillos.

151 Aut quotiens] Ah quotiens.

ib. Coma murmurat Appennini] Sibilat, apud Charis.

ib. Vulpes Thrases Bassares] Vide Hesychium.

152 Bidental] Κεραυνοπλήξ. Artemid. lib. II. vide infr. 203.

ib. Quis putet esse Deos.] In quibusdam codicibus, Credimus esse Deos?

ib. Aut ad Saturarum iura] Al. ad assaturarum iura.

153 Hoc & Varro scribit] Fortassis, Aboriginib. Nonius in Puppæ. Græci νίννια fictitio etiam verbo dixerunt. Zonar. Cedr. Glos. vett. Puppus, νίννιον. sic legendum.

ib. In exteriorem] Al. dexteriorem. Cæterum hic esse videtur Aurelius, cuius meminit Ouidius Ponto.

ib. Quod pars crocea] Isidor. lib. VI. Etym.

ib. Ex fuligine] Al. ex figulinis. male.

154 Scæna] Al. Sena.

ib. O multum] Isidor. lib. I. Etym.

155 Scribonij Licinij] Al. Libonis, &, ad Fab. circum.

ib. Tercentis milibus] Al. sexcentis.

156 Cinctuque] Al. cinctique.

157 Cicuta] Idem Tertull. Hieronym.

ib. Herodiani] Hinc illa lucem accipient, quæ de Herodianis in sacra historia legimus Matth. XXII. Marc. III. & XII.

Quod ſequitur de circuncisione, non videtur ab homine Christiano ſcriptum.

158 An terrarius ſit] Al. viuarius.

ib. Bouillæ] Non, in Hillas.

159 Maniæ] Feſt. Sic & Manius legendus accipienduſque in Epigrammate Auguſti apud Martialem.

ib. Tractum a patribus] Et illud Iſidor. lib. x. Etym. De tutore in conſuetudine vulgari dicitur, Quid me mones? & tutorem & pædagogum pridem obrui, eſt ex Satyr. III. v. 96. Adeo pleriſque veteribus ſimilitudine quadam ingenij Perſius in deliciis fuit, vt inter maiorum gentium ſcriptores ſuos commentatores habuerit, etiam ante tempora Hieronymi: qui & eius verbis frequenter vtitur, Iuuenalem ne nominat quidem, quod meminerim: etſi Apologetico ad Domnionem verſum illum vſurpet, Et nos ſæpe manum ferulæ ſubduximus, vt & Macrob. lib. III. Sat. c. x. Adſcribam ſancti viri verba ex Apologia aduerſus Rufinum, quod aliis etiam locis vſui eſſe poſſint, & ad hunc quodammodo pertineant. Puto, inquit, quod puer legeris Aſpri in Virgilium & Salluſtium Commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos eius, & in Terentii Comedias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, & aliorum in alios, Plautum, Lucretium, Flaccum, Perſium, atque Lucanum. Argue interpretes eorum, quare non vnam explanationem ſecuti ſunt, & in eadem re quid vel ſibi, vel aliis videatur, enumerent.

NOTÆ QVÆDAM IN VET. COMMENT. IVVEN.

IVuenalis vita quæ preponitur, non eſt, opinor, eiuſdem interpretis. Et vero in opt. codice ad finem adſcripta fuit recentiore manu, & in pleriſque aliis ſeparatim extat. Suetonio etiam a quibuſdam tribuitur. Huius loco, initio vetuſtiss. ex. ad illa verba, Semper ego auditor, hæc legebantur: Iuuenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt. Ea tempora Domitiani Tyranni, quib. etiam ipſe vixit, eo quod in aula ipſius plus hiſtriones, quam bonæ vitæ homines poſſent, grauiter carpſit. Hos au-

tem libros in exilium missus ad ciuitatem vltimam Ægypti * Hos ab ipso Domitiano scripsit. Ideo autem in exilium missus est, quia dixit versum illum,

Quod non dant proceres, dabit histrio.

Nunc autem hoc inducit quasi carptum se per figuras a miseris poetis, qui nil nouum, sed omnibus notas fabellas recitarent. & dicit magis ideo Satyram se scribere, vt possit mores illius temporis demonstrando notare. Hactenus vet. ex. quod prætermissum nolui. Quin & illud addam pro Hos, ciuitatis illius Ægypti nomen reponendum Oasa, siue Oasin peninsulam exiliis celebrem, cuius & hic idem interpres meminit ad Satyr. 4. Sed & apud Hieronym. in Epitaphio Nepotiani male hodieque Assæ, pro Oasæ Nam de Timasio loquitur: quem Oasa relegatũ Zosimus ex aduocato fisci clare narrat.

Pa. 160 Claudii Neronis] Hæc verba in quibusdam ex. desunt. Quod sequitur de semestribus militioris, pertinet ad illud Satyr. vii. Semestri vatum digitos circumligat auro. Est & semestris Tribunatus mentio apud Plin. lib. 4. Epi.

ib. Intra breuissimum tempus periit] Non satis hic conuenit cum Suida, quem tamen ex Dione vel potius ex Eunapio sumpsisse verisimile est. Neuter cum iis quæ ex Iuuenale ipso Saty. 4. 6. 13. 15. colligi possunt, quæ hic accuratius persequi non est otii nostri. Tãtum quædam breuius notasse satis erit.

SATYR. I.

Pa. 161 Demetrium caussidicum] Cynicum. Tacit. Ann. 16. Histor. 4.

162 Decius dicitur, Sine litis æstimatione] fort. melius dicitur. Litis æstimatio in criminibus repetundarum & de vi legitima fuit, vt ex quadam Ciceronis ad Att. Epistola colligitur. Sunt & de hac litis æstimatione apud Plin. lib. 2. 4. & 6. Epist. locis plures, qui ad hunc quoque pertinent.

ib. Siue a Venusio] Est hoc ex Probo G. Vallæ.

163 Ex qua Cæs.] Apud Vallam sic hi versus referuntur,

Ex quo Cæsareas soboles Locusta cecidit.

Horrendum curas dum liberat atra Neronis,

vtroque loco corruptissime.

ib. Laticlauium) In vno vet. cod. additur, Maior. i. ſcutulata. Et infr. maior abolla. Eſt & anguſticlauium.

194 Caſſii opes] Craſſi. & paulo poſt, fundos, pro, numos. hæc vero annotatio ex Vallæ exemplari, vereor ne non ſit veteris interpretis.

ib. Pedornis) An. pedurnos, vel perones.

ib. Cicero nam vna) Ciceronis locus ex Act. II. in Verr. lib. I. ſiue de ſupplicijs, ſic habet: Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octaphoro ferebatur.

165 Deuia) An dubia λοξά. Eſt & hoc poſtrema interpretatio ex Vallæ Probo.

ib. C. Fulcinius] Dio, & Tacit. Sofonius. apud Vall. Offonius. & paulo poſt, piſcatoriam in Achaia exercuit. &, vt conſpectu Claudij abſtineret.

166 Stipites fiebant) Figebant.

ib. Lectica plumis ſtrata) Plin. lib. XXVI. c. III.

ib. Vitia carpit) An potius, vitia carpi vetat.

II.

pa. 167 SAcra Bacchan. ex ijs cond.) Lego, ex SC. Liuius lib. XXXIX. vel etiam ex XII. quod idem mendum fuit apud Cic. II. de legib. Nam & in eas tabulas tranſlata videtur lex. Numæ de nocturnis externiſque ſacris.

ib. Publice perpeſſus] Vall. profeſſus.

168 Quæ nouerat eum corrumpi) Vall. Quæ dominum ſuum nouit præcidi,

ib. Subſtamine] Subtemine.

169 Saltantes] Vall. calcantes.

ib. Geſtamen] Vet. gloſſ. Geſtamen, σκῆπτρον, ὡς Ἰουβενάλιος. Seruius tamen in illud VII. Æn. hoc Priami geſtamen erat, Diadema, inquit, dicit. nam ſceptrum dicturus eſt.

170 Catomus) An Catomis? infr. currentes per t. c. quod Franciſco fratri viſum eſt: cuius ingenio iudicioque multum tribuo. Victor Vticenſis I. Hiſt. Afr. Venerabilem ſenem in publica facie catomis ceciderunt. Illud vero catorogare, quod hic etiam in mentem venit, mihi quidem apud vnum Arbitrum lectum eſt.

Cumenas]

III.

pa. 171 CVmenas) Camænas.
ib. Aricino lacu) Luco.
ib. Popul. amab.) Fort. pop. autem, id eſt, fauente populo.
ib. Non foras) Leg. onus foras. Non. in Foriolus.
172 Peregrinas victis) An victoribus. & infr. philacteriis, & philacteria.
174 Nunc doti) Malim, non doti.
175 Quod nos Delphicam) Vet. gl. Abaci delphicæ, μηνιστήριον ὡς Ἰουβενάλιως.
ib. ὀπίζειν) Eædem gloſſæ, Apicus, ὀπτπικιστής, ὡς Ἰουβενάλιος. &, Opicus, ἀῤῥητοποιός.
ib. Aut panem) Lego, aut fruſta, id eſt, panem.
176 Qui mercedes) Val. quia.
ib. Amite lecti) Vet. gloſſ. Aſſeres δοκίδες, ὡς Ἰουβενάλιος.
ib. Fumo Apparatione) Senec. Epiſt. LXXIX.
ib. Porthmea Carinam) Lego Charontem. & quod addit, non anguſtum traiectum, id eſt, non πόρθμον.
ib. Gutto autem) Eædem illæ gloſſæ, Guttum, λεκύθιον Ἰουβεναλίῳ.
45 Namque apud Aquinum) Videtur interpres legiſſe, veſtramque. Et Vmbricius igitur Gallus.

IIII.

Pa. 47 APulia curios) Lego, carius. huc pertinet illud Senecæ Epiſt. CCI. Suburbani agri tantum poſſidet, quãtum inuidioſe in deſertis Apuliæ poſſideret.
48 Hoc conuitium) Auſon. de eodem Domitiano.
Quem caluum dixit ſua Roma Neronem. Ser. iiij. Æn.
ib His * vero ſibi) Au, his verſibus.
ib. Rhombi) Imitatus videtur Naſonis illud ex halieutico.
Et Adriaco mirandus littore rhombus.

ib. Ponto erupit] Refertur & hoc Salustij fragmentum a Seruio in IIII. Æn. Expressit, vt & alia plura eius scriptoris, Tacitus lib.XII. Annal. cui ex hoc loco remedium petendum.

49 Palfurius] Repone ex vet. Palfurius Sura consularis viri filius.

50 Ex quibus Liburnæ parasia] Lego, Ex cuius liburnę parasia. Et parasiam intelligo quod παράσημον B. Lucas appellat Act. vlt. & a nauis paternæ signo Pegasum dictum. Plutar. in lib. de cor. Stoicorum. Parada apud Ausonium & Sidonium partem potius nauis quam genus significare videtur. πάταικοι Phœnicibus simulachra deorum in puppibus nauium apud Herodotum, lib. 3. 112. Quod sequitur (scilicet ius) non abs re quis putauerit scriptum pro, SC. quanquam & ius Pegasianum ferri potest, vt Papyrianum: & de Orfitiano SC. Symmachus, Quique dedit leges Orfitus Æneadis.
Cæterum post hanc adnotationem omissa est nescio quomodo illa veteris exemplaris, quæ mihi vsque adeo placet, vt eam hic inseri velim.

Positus modo villicus vrbi] Eleganter sub Nerone vrbis præfecturam iacuisse dicit. quasi scilicet vrbs ipsa iam tum esset villa principis. & de villico vrbano Saty. III.

ib. Viselliensis] Versellensis. Tacit. Dialog. de Orat. M. Fabius Quintil. Crispi iucunditatem commendat lib. XII. & huius illud in Tyrannum, Ne musca quidem.

ib. Simul oratione] Fort. Simulatione. & paulo post, bis millies sestertium.

ib. Sed præcipue Cæsaris] Valla addit, Tiberij nomen, nescio quam bene.

51 Aut negantem] An, ne aut negans eum argueret, adsentiens semet mend. de hon.

ib. Perijt per fraudem Agrippinæ] Ergo sub Nerone. Et extat de Crispi morte carmen, quod Anneo Senecæ tribuitur. Non idem igitur sub Domitiano.

ib. Seruilius) Seruius, vt & Satyr. VI.

ib. Tibiam] F. Liuiam.

52 Matutino] Ser. in II. Æn.
ib. Sapientiæ rigidiorem] Malim, rigorem.
ib. Qui ad portam Aric.] Senec. de vita beat.
53 Fiebatur] An, Ferebatur.

V.

Pa. 54 VT per equitem] F. pro équite Rom. & paulo post, quibus primis.

ib. Ne nihil agitis] Aut interrogationis nota addenda, aut potius legendum, agatis. Quod sequitur valde corruptum est. hæc tamen remedia pro tempore occurrunt. Dum autem caussam vs. dig. agit, precibus & g.s.a.d.c.a.i.n.a.d.t. quam concessam sibi libertatem a M. ad quem sectio bonorum Fauonij pertinuerat. Iam autem senex,&c. cur scriptum quoque Censorium venderet.

ib. Gabba Puto rectius, Galba, si modo idem ille est, quem Martialis ob sales & iocos laudat.

56 Eluidius] Hæc ex Probo Vallæ. ac dubito ne ipsius potius sint, quam Probi.

57 Manicasti] Delenda mendi nota. Est enim hoc posterioris sæculi verbum. Manicare est ὀρθρίζειν, Luc. XXI. quod memini notasse me apud Augustinum in lib. Iudicum, & epistola quadam, quæ nunc properanti non succurrit.

58 Hic sub Claud.] Et hæc a Valla vt Probi, relata: & sunt fortassis ipsius Vallæ.

59 In latrunculatorum iussu) Lego, latrunculorum lusu. & paulo post, repente etiam.

60 Capilla campidoctore] Hæc fuit interlinearis glossa, quæ coniecturam eorum non nihil adiuuat, qui hirsuto, malunt, quamquam & illud ferri posse videatur. & quod ex Homero & Eustathio aliqui tradunt, longius petitum atque adeo ineptum videri potest.

61 Antiquitus nobilium) πόρπη χρυσῆ, I. Macha. XI.

VI.

62 NAnctum] An, netum: vt apud Hieronimum ad Demetriadem. an, nexum. Conopæi etiam mentio est in lib. Iudith. c.x.

ib. Post magni Alex.] An, post mortem magni Alex. occupauit Pt. Lagus, a quo deinceps.

64 In quo vtebantur] Distingue, quo vtebantur meretrices flauo Nigro nam crine matronæ vtebantur. Seruius in illud Æneid. IIII. flauum Proserpina vertice crinem. Matronis, inquit, nunquam flaua coma dabatur sed nigra: Vnde Iuuenalis, sed nigro flauum crinem abscondente galera. Huic ergo datur quasi turpi. sic ille Seruij locus ex vett. ex. restituendus est.

65 Et non sensurum] Locus est ex Horatij lib. III. Carmin. mire hic deturpatus. Sed iussa coram, non sine conscio Surgit marito.

ib. Picturam obstant] vel leg. picturæ, vel abdant.

66 A barbaro] Forte, ab auo, Et illud, supplicio, superesse videtur. Commicturum, leg. committunt.

69 Cum magis &] Fort. cum agit.

71 Iactationibus luteis] Sequitur, luteum calcas. vnde & quidam versu 427. huius Satyræ, luteo, legendum putarunt.

ib. Fluctum] Sic in obscæno carmine, Fluctuante lumbo.

72 Ad quas non Clodius aras] Valla ex suo probo, Lodius pro Ludius.

74 Sallustius] vet. ex. Sallos eius.

ib. Quid Seres] Marcial. IX. de eadem re, Scit quid in Arsacia Pacorus deliberet aula.

75 Alteras) Mendi nota tollenda, & scribendum, Halteras.

ib. Non cogit exclamare] Senec. Epist. LVII.

76 Nam duo negatiui) Donatus in illud Andriæ, Neque tu aut dicas tibi non prædictum, Duæ, inquit, negatiuæ faciunt vnam confessiuam. Sic habet vet. ex.

ib. Poppæa vxor] Plin. lib. XI. & XXVIII.

ib. Lampendia] Paul. in L. XXXI. D. de donat. inter vir. & vx. vet. gloss. Lanipendius, σταθμοῦχος. Ornatrix, κομμωτρία.

77 Auro clauas] Malim, clauatas.

78 Tarquinij Superbi] Vet. ex. additum habuit, coci. quo quid significetur, nescio. annotatum tamen hic volui.

80 Legem Moysi] Vet. ex. Moysei. Et infr. An magis, pro, nam.

82 Præmissæ do.] Malim, promissæ.

ib. In vnum red.] Apud Vallam est, redigit, & ignorata quadam tacita prece locum aggestione consecrat. Cic. II. de legibus.

83 Caligulam significat] Hæc potius pertinent ad illa, vt auunculus ille Neronis.

84 Virgilius] IIII. Æn. vbi & hunc locum Seruius citat. Quod præcedit de probo, est ex Vallæ exemplari.

85 Defuncto marito] Addit Vall. Drymione. & paulo post, vino, melius quam, veneno. Pertinet vero ad hunc locum Romanus lapis, cuius cuius ætatis sit:

PONTIA TITI PONTII FILIA HIC SITA SVM, QVÆ DVOBVS NATIS A ME VENENO CONSVMPTIS, AVARITIÆ OPVS, MISERE MIHI MORTEM CONSCIVI. TV QVISQVIS ES QVI HAC TRANSIS, SI PIVS ES, QVÆSO A ME OCVLOS AVERTE.

Sunt tamen qui de Vettii Bolani vxore interpretentur ex Statio v. Syl.

VII.

Pa. 90 AVt Serrana vas fictile in quo at Serr.] An potius, Aut Serranū vas fictile, in qua Attilius Serranus solebat manducare. Attilium Serranum agri paterni iugera quatuor sedulo coluisse legimus: mendicasse non legimus.

ib. Contentus fama] Huc pertinet illa vetus inscriptio:

M. ANNÆO LVCANO
CORDVBENSI POETÆ
BENEFICIO NERONIS
FAMA SERVATA.

ib. Propter fascinum] Addit Valla, Quia homines sibi non promittunt prospera propter fascinum. nos potius vetustiss. exemplaris nostri auctoritatem sequimur.

92 Epimenia] Hoc etiam verbi extare in Eclogis Polybij de legationibus, Scaliger noster admonuit. Illud miror non animaduersum apud Io. Cassianum lib. IIII. Instit. ca. 22. eadem forma Menemenia, siue Menomenia dicta, quæ in singulos menses, aut potius, de mense in mensem, vt ita dixerim, parantur. Epimenia, quæ ad mensem vnum. Quod sequitur de solido & quintis valde notandum, meliore otio eget.

93 Prouerbium de Cambra] Sciui hæc a Politiano derisa quondam, nec tamen contemnenda putaui.

94 Maritus recip.] An potius, marito vt recipiat oculos.

ib. Ventidius ex munitione) An ex mulione? & paulo post, Antonio & Augusto. Ventidij huius mentionem reperio in Epistola quadam Bruti apud Ciceronem.

VIII.

97 OSte senex] An potius, Osce senex, Catinæque puer, Cumana meretrix. quem versum aut ego fallor, aut memini legisse me inter meliores Seruij reliquias, quas P. Daniel amicus noster vir optim. & erud. ex suis nostrisque exemplaribus pridem collegit & publico debet.

98 Populus Ægypti) Iul. Firmicus in libello de errore prophan. relig. & alij.

99 Ornamenta rhedarum] Vet. habuit, redariom.

101 Furtus] Furta.

ib. Non sunt nuda verba] Petron. Sententiarum vanissimus strepitus. &, Audirem sententia, id est vitream fractam, &

ſomniorum interpretamenta. item, fabuloſum ſententiarum commentum: Hieronymus ad Pammachium, Argutæ ſententiolæ, Idem ad Nepotianum Fabius lib. 8. c. 5.

ib. Si e rebus] An Ephœbus.

102 Quod inter rad. mitt.) Adde ex vet. ex. in catabathmo.

ib. Epona dea mulionum] Huc referenda eſt antiqui lapidis inſcriptio ad Heluetica balnea, quæ nunc quidem ad manum non eſt.

103 Inter Alamanniam] Spartian. ſub Proculo, Alemannos qui tunc adhuc Germani dicebantur.

ib. Siparium] Conferam Donati verba, ſed emendatiora ex vet. ex. Aulæa quoque in ſcena intexta ſternuntur, pro quibus ſiparia ætas poſterior accepit. Eſt autem mimicum velum, quod populo obſiſtat, dum fabularum actus commutantur.

104 Hic Lentulus) Meminerunt Tertull. in Apologetico, & in lib. de pallio. Heronymus ad Sabinianum, alij Laureoli etiam Ioſeph. XIX. Antiq.

105 Decreſcentibus) Vet. de ſcrentibus.

ib. Pro harum morte] Poſt h. mortem.

109 Aſylum in loco) An, in luco.

IX.

ib. NEbulo) Næuolus, φιλοπτυγιστής.

ib Sumpſis pœna] melius, poeta.

110 Lucullus] Lege, Lucillius, guſtaui cruſtula ſolus, id eſt, placentam. Refertur & a vet. interprete Horat. ad lib. I. Satyr. I.

ib. Accurare] Vet. ex. habuit, accuſare.

ib. Qui diuites] Melius, qui diuitibus ſe incl. viris. & paulo poſt, pro clipticis lege, dypticis.

111 Incultu] Scribe, En cuitu.

114 Palinrhotion] Apud Apollodorum III. Biblioth. Alirrhothium.

ib. Qui inlata carp.] Hinc ille apud Petronium Carpus.

ib. Virgo Veſtæ] An quæ Damiatrix Feſto?

116 Laturus] Puto mendi notam delendam. & leg. ſpectem. Fuerunt ſuo cuique ſæculo vt vitia, ſic verba ſua, huius generis ſunt illa in his gloſſis, Maltare, manicare, minare, plagare, lenare, ſimilare, decollare, acrum, coruſcus, labana, armilauſia, catomum, deſipes, luteum, conciliator, glutto, matta, armaria, concubium, calcearium, retrior, manciparius, gutturoſus: & illud, nam, ſecundo tertioque loco poſitum: ſed & ſcribendi forma, Thenſaurus, formonſus, Spania, aliaque, quorum nonnulla & apud antiquiores ſcriptores notari poſſunt.

117 Vſque ad Cerealem] De arca Senatus locus eſt in Aureliani ad eum epiſt. apud Fl. Vopiſcum. Eſt præterea (inquit) veſtræ authoritatis arca publica, quam magis refertam eſſe reperio, quam cupio.

118 Vinum coloratum] Vet. ex. habuit, coleratum.

16 Tabulam patronatus] Huiuſmodi plures exhibent hodieque veteres lapides, quorum aliquos retulit Onufr. in Comment. Faſtor.

ib. Conflari eum fuerunt] Vet. ex. cum inimicorum, vt fortaſſe legendum ſit. Conflari, cum ij quorum fuerunt.

120 Prefectus vrbi] Immo potius PP. Et quod mox de eodem Seiano tutorem haberi principis, ad patritiatus dignitatem refert, Conſtantini magis ſeculo congruit, quo primum cœpere patricij dici patres Imperatorum, nouo honoris titulo. vt Zoſimus auctor eſt.

121 Sedentis] leg. Sedentis. Significat diu turpiter vixiſſe Capreis.

122 Hic verſus] In vet. ex. hæc ſunt poſterioris manus.

ib. Lorica & fr. in XI. Æn.

123 Duæ ſunt) Lego. Duo ſunt, Æthiopes ſcilicet, Orientes & Occidentes. In occaſum, &c. Stat. X. Thebaid. Æthiopeſque alios. In vetuſtiſſ. tamen ex. hoc loco ſcriptum fuit, altoſque Elephantes. non alios.

124 A fulmine ictum] Aut hæc alterius ſunt interpretis, aut

aut legendum, frigore.

125 Insulæ angustæ] Inde & Satyr. I. breues Gyaræ. quod qui emendare conati sunt saltem Senecam legant in consolatione ad Marciam.

126 Ne maculam inferret secundum ius] Pertinent hæc ad legem Æliam, de qua & nos ante viginti annos plura.

128 Quod desides] Vet. ex. habuit, desipes, quod retinendum censeo, vt sint desipes, infruniti.

129 Apud cæteros] Fort. sicut.

ib. Cum Sylla] Hæc ego aliquando sumpta putaui ex opusculo Iulij cuiusdam Exuperantij de Mario, cuius exemplar habeo, sane non tanti vt a nostris maiore desiderio expeti debeat, quam aut Eugrafij integer in Terentium commentarius aut alterius, & forte an Probi nostri, sane non Vulcatij, in orationes aliquot Ciceronis fragmenta. quorum tamen bonam copiam bonis viris, si cui vsui esse possunt vltro offero. Sed postea comperi esse alterius æque tenuis ac ieiuni scriptoris: vt illa de Euryphyle & Telepho.

XI.

131 E Cælo descendit] Citaur hic locus a Macrobio comment. I. in Somnium Scip.

136 Patrimonium] Leg. parcimoniam. vtroque loco.

139 Qui cibus primus antiquorum fuit] Latinorum scilicet & Romanorum, vt & Plinius scripsit lib. XVIII. c. 7. & 8. Primus hominum fraga & glandes. quod cum vel Grammaticorum pueris notum sit, mirari satis non possum cur in illa Saturniæ ætatis descriptione, Satyr. XIII. etiam critici tam diu, farra, tulerint.

141 Ad cituras proficit] Emendo, cætras: scutum loreum, quo vtuntur Afri, inquit Seruius.

144 Vnus est missus qui ordinarius) An non potius, ordearius? quod ex sequentibus videtur. & Satyr. VIII. infundit iumentis hordea lassis. In veteribus etiam glossis hordearias quadrigas legimus dictas, quia victori agitatori hordeum

præmium dabatur. Hordearios gladiatores a cibo vocatos Plinius ſcribit lib. XVIII. c. 7. & Feſto hordearium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.

ib. Quoniam multi equi frangebantur] Hinc illa Boetij querella III. de conſolat. Prætura, magna olim poteſtas, nunc inane nomen & Senatorij cenſus grauis ſarcina. Eſt & de hac re Zoſimi locus II. Nouæ hiſt.

XII.

149 SPanas Veticas] Scribe ex vſu ſæculi, Spaniæ Bæticæ.

ib. Adde & baſcaudas) Vet. ex. habuit, maſcaudas.

147 Inter ſitarchiam, & ſecurem] Deleatur mendi nota.

ib. Quod dicunt artemonem] Act. XXVII. 40.

148 Molles focos] In vet. cod. ſunt hæc recentioris ſcripturæ. & paulo poſt, ſcribe, Mirum eſt nam vt amico f. habenti aliquis a. iam impenſius.

150 Veluti filia ptatoris] Repone, captatoris.

XIII.

παῖδες δὶς γέροντες In vet. ex. παῖδες οἱ γέροντες.

153 Quæ reſidem fœdes ſacrificiis luſtrari debet] An potius Quæ rei ideo fordis ſacrificijs luſtrari debet. Sed de agna loquitur Satyricus. De boue Feſtus, Naſo. Vet. gloſſæ Forda (ſic enim lego) θυσία ἐγκύμονος βοός.

ib. Monſtris] Videtur reſpexiſſe ad illud Cic. II. de diuinat. Si quod raro fit, id portentum putandum eſt, ſapientem eſſe portentum eſt. Sæpius enim mulam peperiſſe arbitror, quam ſapientem fuiſſe.

154 Melius eſt ægrotare] Eadem fere ſententia apud Syracidem Eccleſiaſtic. XXX. 14. vtraque ſenſus communis, vt & illa in Saty. VI. Homo ſum nata vt peccem.

XIIII.

162 DVo sabana] Recte. Male quidam sabaria inter instrumenta Ecclesiastica retulerunt, pro sabanis, quorum vsum in baptismo Victoris Vticensis historia indicat lib. 3.

164 Anaglyfa sigillis) Explicat illud, vasa aspera non læue argentum, quo celato & anaglyso opponitur. vnde & læues lances Scæuolæ nostro in L. penult. §. pater. D. de legat. III. & idem purum Saty. x. nisi quis ex Sex. Pompeio interpretari malit, quod in vsu spurco non fuerit.

ib. Non περίσματος] vet. ex. ῥίσματος· meminit Eutychius grammaticus, siue is Siccensis Proculus fuit, siue Eutyches alius, in Arte.

ib. Nam antiqui crucibus figebant] S. Augustin. Quæst. in vet. testam. Antea homines crucifigebantur, quod postea edicto prohibitum manet. hoc vero edictum Constantino tribuunt Ecclesiasticæ historiæ scriptores. Idem August. in Psal. 36. & serm. 131. A locis suppliciorum crux transiit in frontes Imperatorum.

165 Fortunæ apud] Et hæc manifesto sunt diuersorum interpretum.

ib. Legitur in Suetonio] Vet. ex. habuit Stonio. quod nos audacius emēdauimus, Suetonij ipsi⁹ auctoritate in Claudio.

166 Quis fidem veræ fel.] Malim, finem. quamquam & illud ferri posse non negem.

168 Σχῆμα ἀπορίας] Videtur potius ex Alexandro Rhetore σχῆμα ἐπιμονῆς.

262 Catheias Maurorum] lege, Ategias, vt apud ipsum Iuuenalē. I. Ategiæ sunt quæ & tentæ in Tactias Leonis Imp.

ib. Idest caria] An, coria.

ib. Tondere barbam] Vet. ex. habuit, condere.

173 Geticas] An potius, Creticas.

ib. Quamuis se non conscendit] Malim concidit.

174 Vicinis] An potius, causa ignis. Pertinet vero hic lo-

cus maxime ad ea quæ in libris nostris de officio Præfecti vigilum traduntur. & Sparteoli fortasse sunt, quos Dion & Xiphilin. in Aug. Græcis στενοπάρχους vocatos scribunt. nisi quis Viocuros interpretari malit, aut potius quos Paulus Tribunos, Sparteolorum scilicet, qui iam nomen suum huic nostro debituri sunt.

176 Hanc Canbis rex iussit] Lege Cambyses. Plin. lib. XXXVI.

X V.

Ib. MAgice consecrata] In vet. ex. maicae.

177 Quia in Ægypto militem tenuit] An potius, vitem? insigne centurionis. Nam ad præfecturam cohortis in Oasa missus traditur. an limitem? Hæc porro si ad Consulatum Appij Iunij Sabini referamus (nam Iunij nomen habuit opt. & vetustiss. exemplar. habuit & aliud secundæ notæ, nec temere mutandum censeo) pertinebunt ad annum v. c. DCCCXXXVII. quo is collega fuit Domitiani: cuius huic etiam satyrice perpetuum Consulatum silentio notari non abs re quis putauerit.

ib. Non Cyclopis sed tragœdiæ] Lego seu trag.

178 Nec hunc lapidem] Ser. in IIII. Æn.

ib. Focum communem immolarunt] Lego, non violarunt. Et Volusium Pythagoræum fuisse innuit.

179 Zeno stoicæ sectæ ab eor.] Hoc videtur voluisse, Zeno stoicæ sectæ auctor, qui quod honestum esset, id summum & solum bonum esse dicebat.

180 Rex Thæas] Lege, Thoas. & paulo post, cadauera deuorantes. Supra etiam dele illud, ciuitas.

ib. Oramaturæ] Malim, ὡραίας, maturæ. quod N. Fabro nostro visum est: Fabro, cuius amor merito mihi crescit in horas.

181 Quem animum esse dicunt] Ciceronis est ex libro de consolatione, cuius & illud: Ex diuinitate omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos Deorum cognatione te-

neri.

ib. Vel terra clauditur] Repone,

Vel terra clauditur] Sepelitur infans mortuus.

Et face dignus Arcana, &c.] Dignus ſacerdotio.

182 Samius philoſophus] Puto leg. Pythagoras Samius philoſophus propter cognationem inter ſe &c. auerſatus & fabam quod ſequitur de flore fabæ, alibi me legiſſe non memini: ne apud Porphyrium quidem, qui hanc hæreſim doctiſſimis & elegantiſſimis libris defendere conatus eſt.

XVI.

ib. ISta a pler.] Referuntur tamen ex ea quædam vt Iuuen. non a Priſciano modo ſed & a Ser. in I. & II. Æn.

ib. Vel ſi ſint pericula] Fortaſſis, vel ſi abſint.

183 Darupſis militibus] Fort. Pro ipſis.

ib. Ignauus de mulino] Malim, In alio Mutinenſis, rhetor aliquis de Mutina: vel mulino, id eſt, ignauus. Sed ne hæc quidem notare inſtitueram, & iumenta vocant, & Sol inclinat, vt Satyrici tandem noſtri & verbis & conſilio vtar. Itaque finem facio: tantum illud addam, quod ſequitur de caſtrenſi peculio eſſe ex interlineari gloſſa, quæ & ſignorum comitem, vexillarium interpretatur. Verum hæc, quod initio admonui, non vnius ingenij, vt ſcripturæ, ſic vitiorum & errorum mixturam paſſa ſunt, quæ dignoſcere ac recenſere, Critices opus eſt.



EMENDATIONES ET MONITA QVÆDAM IN EPIGRAMMATA.

Pag.1. IVNO VESTA] Non magis pertinuerunt ad hunc locum ista Ennij ex Marciano Capella, quam illa Q. Valerij Sorani ex B. Augustino.

Iuppiter omnipotens, regum rerumque Deumque,
Progenitor genitrixque Deum, Deus vnus & omnis.

Et vero, si rectum serio amamus, fateamur potius debuisse etiam in hac collectione omitti illa Lucilij, Ennij, Varronum, Sereni, Mæcenatis, Galli maiorum operum fragmenta, quæ nec Epigrammatis, nec poematij nomen satis ferunt, aliamque operam desiderant: Sed & Propertij, Tibulli, Nasonis pauca quædam quæ inter ipsorum scripta leguntur. Porro Amatoria & lasciua pridem a nobis alio relegata sunt, & inter Massiliensium hortos, sua quadam insula conclusa. Christiana. Franc. Iuretus vir pietate & eruditione singulari edenda suscepit, cui & nos olim quicquid eius generis habuimus, lubentes merito commisimus. Et tamen vtriusque notæ inter ista quoque irrepsisse quædam non negauerimus. Maluissemus etiam in alium locum reiecta plura non modo dubiæ vetustatis, sed & recentiora ac nostri fortassis sæculi, quæ ex aduersarijs licet per rerum ocia, sine delectu tamen prout quæque occurrerant, congestis facile inrepserunt eius potissimum incuria qui ea primum excerpenda & in mendum redigenda susceperat. Id dolemus imposuisse non semel Ioannis Obsopœi Brettani viri doctissimi, fideiac diligentiæ, cui tamen hęc editio multum debet, plus etiam debitura, si notas accuratiores tumultus ei Gallici non inuidissent. Illæ dum

expectantur, datum est hoc librariorum precibus, vt quæ inter cursim relegendum forte occurrerant, erratorum (quæ illi vocant) loco adijcerentur. Nam emendatorum rationem reddere, aut vnde quæque sumpta sunt, notare, temporis ratio passa non est: ac potius verendum nobis fuit, ne Eucolpius aliquis Eumolpi phrenesim intempestiue musinantibus obijceret.

Pag. 1. Tutanus Romæ] non est contemnenda varia lectio, siue illa cõiectura sit, Nonio pridem adiecta, tutatus Romam.

Pag. 2. Quamuis Liber erat] hoc hemistichium additum est ex vetustissimo exemplari, cui & pleraque alia huius collectionis debentur.

Ib. Quænam hæc forma] Dubiæ est vetustatis. Scida vnde habuimus, ex Italico exemplari sumptum testabatur.

3 Infantem Nymphæ] Videtur & hoc conuersum ex Græco quod est lib. 1. Antolog.

4. Aut digne coloribus ales] lege, aut ignicoloribus alis.

6. tu pote perficere] Amicus noster mallit, non pote.

Ibid. Aris vrbanis] fortassis scriptum fuit, Arius.

Ibid. Vrb. Prætor] lege, Vrbanus Prætor Dũnianius vouit.

Ibid. posui, qua] lege quia.

7. Scilicet & superis] vetus lapis hæc tantum habuit, HEIC SE SOLV .... VOTA LITANT, Cætera ab Ant. Nebrissensi supplera Ambrosius Moralis testatus est.

8. An vtrumque verum] al. An vtrumque eorum vtque aud. d.

Ioui ipse magno:

Ib. Fluminaque horrescunt] lege, Flumina quem horrescunt.

9. D. Laberij] Himini, vt quidem iam appellantur, licet Epigrammatis nomen non pati plerisqe videri possint, quia tamen singulis versib. sententiam concludunt, & epigrammatici aculei salisque multum habent, inter Epigrammata referri pluribus non displicuit.

10. Aliena nobis] Terentij.

11. res opimæ] al. secundæ.

16. desperare odium] Placet Iureti nostri coniectura, ingenio sane & argutia hominis digna, qui otium legit.

21. ipse qui se nesciat] apud Senec. epist. x. esse sequi non putat.

22. Floridi] Floridos vir doctiss. censet esse locos insignes excerptos, vt qui Apuleij hoc titulo extant.

27. Fundier] lege, Fundere &.

28. Hanc mensam vetitam] vet. ex. Possidij Calamensis habet scriptum, Hanc mensam indigne nouerit esse suam.

Ib. inuidetque forti,] fortassis rectius, sorti.

30. adsiduo] lego assidue.

31. Per mare iacta ratis] supple, visa est superasse procellas.

32. Rupta cum cedit] concedit.

Ib. Splendet ac tuto] attrito d. h. Anulus auro.

33. dubis] dubiis.

Ib. Viue,] videntur hæc esse diuersa Epigrammata. Porro illud, Ingentes dominos, proderit comparasse cum loco Ouid. ex lib. 3. Tristium Eleg. 4.

34. Bataue) melius, beate.

Ib. victa Cupidinibus) fortassis melius, fida Cupidinibus, Pernici nec enim, &c.

35. Myrtilus algas : Et rauco) fortassis melius ita legatur, Mitylus algas: Et glauco. Plinius 19. 51.

Ib. contexere præterea) fort. præstet.

36. Ante Maij medici) Doctissimus vir malit, Maij mendici. Fuisse Virgilium Magij siue Maij viatoris generum notissimum est. Mihi non displicet vulgata lectio, Ante manus medici.

37. Mota leuitate) nota. Videatur Tibuli Eleg. vlt. lib. 2.

39. Subdas, sustineo cruce) vet. Si sedeam cruce, sustine.

40. cedensque sequatur) fort. cessisse sequatur.

Eadem pagina dele versus illos, Inquit amicus ager, qui sunt Terentiani Mauri ex phalæcis Septimij Seueri.

42. Plus quam dimidium) fort. Postquam.

Ib. niuium) al. nimium d. r. Terra mihi.

Ib. Tempore non alio) lege, illo.

44. Et repetunt motum) forte votum. Ouid. Saxaque de uotum, &c.

46. Aut natura) lege, matura.

47. Antea) leg. Aurea Terpsichorae totam lyra p.

48. Hannon, Iberus) lege, Hanno & Hiberus: & dele P. Virgili Maronis nomen sequenti epigrammati præfixum male.

49. Martia progenies) Ex Græco Hadriani Imp. quod extat libro 2. Antolog. vno disticho minus, seu veteris illud, seu recentioris sit interpretis.

Ib. præferat) proferat.

Ib. inuoluitque Catonis) voluitque.

50. Nedum ipsum) al. Nedum ipsum dicit dum Cato sic moritur.

58. Qui solos) leg. cui solus. Proximum epigrāma est de Academia Ciceronis. Sequens de commentario Crassitii.

60. Hoc terræ fiat) fort. Hac terræ fiant.

62 Misit vtrisque) vtrique.

Ib. Et varia lyncas) fort. oblicas.

63. Si fascis Prætura) Iuretus legit. pictura.

65. An minus) forte ita leg. distingendusque fuit hic versus:

An minus hic, mater quam tibi Luppa, pater?

Ib. Nigrum nomen) Deleatur hoc distichon: est enim pars epigrammatis pag. 184.

72. Sit fas) relinqui debuit interuallum pentametri nota & huic & aliis quibusdam huius edit.

73. Deleantur asterisci ante illos Regilliani de Baiis versus.

74. Gaudia iuxta) scribe, iusta.

Ibid. Nam duodiaunigenas) repone, Nam duodeannigenas ostendunt hostia menses.

Ib. referent) lege. Tempora cornipedes, referunt elementa colores.

Ib. Namque his) lege; Iamque his: & in seq. versu. obeliscus.

75. solique quadriga) scribe Solique quadriga, Castoribus

ſimpli.r.d.& confer hoc epigramma cum Caſſiodori epiſt. 51. lib. 3. variar. & loco Africani Corripi de Circo lib.i. in laude Iuſtini.

Ib. Termi alienarum) Thermæ Gargilianæ Carthagini. Sunt vero & alia plura Africana ex illo vetere exemplari in hac farragine, vt illud de Ægyptio.

81. Conuiuæ miſeri) Hoc diſtichon Magni Felicis Ennodij inter eius ſcripta referendum eſt.

82. Corpore par querulis) Ingenioſe Franc. Iuretus, merulis.

Ib. DE ARZVG.] ſcribe, DE ARZVGITANO POETA. & hoc africanum eſt.

Ib. Silueſtris) emenda, Silueſtri.

87. Magne premis Libyam] Imitatio eſt ſcolaſtica verſuũ Lucani ſub finem lib.vi.belli ciuilis, videtur autem proximũ diſtichon eiuſdem eſſe epigrammatis. Sequens vero coniungendum cum illo, Membra pater.

Ib. victor in orbe) al.victus.

Ib. tanta iacere] al.tota

88. Fata per) Imitatio etiam eſt verſuum Lucani. Debuerunt vero præponi ſequentia quæ ad Pompeiorum tumulum pertinent. Cæterum in ſecundo verſu placet magis vt leg. religione ſacer.

89. Qui procul) lege, quam, Non deerunt vero qui cẽſeãt ſequens diſtichon alterius eſſe potius epigrammatis.

96. Lugent fortaſſis melius etiam apud Iſidorum lib. 9. Etym.

Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos
Beryllos quoque, Flacce, nec nitentes,
Nec percandida margarita quæro,
Nec quos Thynica lima perpoliuit
Anellos, nec Iapſios lapillos.

Ib. M. ANNÆI) repone L. ANNÆI.

100 Blaſanus] al. Blaſius.

Ibid. corpus habet tumulus] al. corporis hic tumulus

102. Finibus Italiæ) addendus fuit aſteriſcus, mendi nota.

Ibid. Siue ſtupor) repone, Seu ſtupor.

103 Nec Meleager) non fuit ſpatium relinquendum, cum ſint omnes verſus hexametri.

104 ſe magis ipſe meos) al. iſſe. In lemmate ſequenti deleãtur hæc. LEGIONIS QVINT. ET VNDEVIGES.

105 Militis Bataui ſcribe, Sorani militis Bataui, Hadriani Imperatoris.

Ib. Traiano potui) repone, Hadriano potui qui iudice v.p.

Ib. immiſſumque) lege, Emiſſumque arcu dum pendet in aere, telum Ac redit.

Ib. Abſcidit heu) al. Perſecuit tenerum.

107 potuiſſet] leg. potuiſſem.

Ib. Monumentum) Elegantiſſimum epigramma vir ætatis noſtræ doctiſſimus ſic reſtituit.

Monumentum abſolui ſumptu & impenſa mea,
Amica tellus vt det hoſpitium oſſibus:
Omnes quod optant, ſed felices impetrant;
Namque quid egregium quidue cupiendum eſt magis,
Quam libertatis vbi tu lucem acceperis
Feſſæ ſenectæ ſpiritum ibi deponere?
Quod innocentiæ argumentum eſt maximum.

Dignum profecto cui illud ex Seneca præfationis loco adſcribatur,

Hoſpes reſiſte & ſophiam Doſtani lege.

108. vox regum) Argute Iuretus noſter, legum potius vocem de quæſtore dictum coniicit. Sic enim & à Caſſiodoro appellatur lib. viii. var. epiſt. xiii. De eo etiam magiſtratu apud Rutilium legas,

Primæus meruit principis ore loqui.

Ib. Europamque Aſiamque ſequens melius, ſecans.

110. Difficilis) Epigramma Græcum eiuſdem obeliſci lateri occidentali inſcriptum apud Gilium in CP. reperies.

III. Cæsar tātus eras) Guilhelmus Malmesberiensis l. II. de gest. Angl. veterem nostram coniecturam de Henrico II. plane confirmauit: & Leonis nomen referendum ad Brunonem ante Spirensem, postea Rom. Episcop. qui anno V. pōtificatus obierat. Cæterum varia est scriptura huius epigrammatis, quod vt adiici pateremur, fecit vetus impostura de obelisco Ro.

III. exigua clauderis vrna) al. in modico clauderis antro.

Ib. rite statutas) al. patribus auctas.

Ib. Quas elapsa diu) al. lassata.

Ib. viribus artus) al. arcus: & quidem rectius.

Ib. Sed quæ timuit) repone, Sed quæ te timuit.

112. Et defuncta) lege, Et defecta tuo.

Ib. Hunc titulum mentis) repone, meritis.

118. O ego) Hieron. Volfii ex Græco apud Zonar. to. 3. Niceph. lib. 18. c. 41. Suid.

121. si quid humanitus) repone, si quidquam.

124. Sed magi) scribe, Sed mage.

Ib. molesque coronas) al. melius, molesque choræas. Lusibus ipsa suis generabat, sæpe & amores Castorea fratres sub imagine.

126. Nymphius æterno) Non videntur hæc coherere cū præcedente disticho quod & a Possidonio Calamense refertur. In vet. tamen codic. Condomen. ecclesiæ coniuncta fuerunt.

127. Parcarum crimina dispar) al. Parcarum & carmina.

128. Vixisses vtinam) Et hæc à præcedentibus disiungenda videntur, vt aliud epigramma efficiant.

130. Vixsere omnes inter meos) repone, Vixere omnes vna inter meos.

131. heu iuuenis tumulo qualis] quod postea subiungitur, iacet abditus isto, additum fuerat ad marginē supplendo huic versui.

132. cūcta prædicet) emenda, perdocet.

134. vt leui) scribe leni.

Ib. Te conata) Ter conata.

135, Quis est perpetuus) al. In queis purpureus perpetuusq; Heic certe vt meruit cuncta est data cura sepulchro, Texeruntque faui.

137. scribe in lemmate, PATRONI LIBERTIS. DOMINI SERVIS ET VERNIS.

142. repone D. M. ANNIÆ AGATHONICES.

145. Boristenes] videtur esse Hadriani Imp. In veteri tamen scida sine auctore est: ex qua etiam post versum tertium hic addendus fuit:

Et tumulos Hetruscos.

Ib. apros] lege, illi apros insequenti: & versu ab hoc quarto

Sparsit ab ore cauda.

150. quis ignes nouimus aerios) scribe, queis ignes mouimus ætherios.

151. C. Aurelii Romuli) addendum, de noctibus Atticis Auli Gellij.

152. hac tutos sola] al. solita.

Ib. & hospita litora) emenda, & in hospita litora.

154. promuscidis armis] scribe ex v. c. proboscidis. & post sextum versum interiice ex eodem codice hos duos.

Consulibus sceptrum, mensis decus arma tablistris, Discolor & tabulæ calculus inde datur.

Ib. De ambigenis. v. c. DOMINI EVANTII. el. EVGENII. de ambigenis animantibus.

155. & Tritonia ponit] al. ponat.

156. Calculo plebem) v. c. Cauculo, vt & apud B. Augustin. li. II. de ordine, & in Collatione cum Donatistis, & Sexti Rufi Breuiario. vetus gloss. Magister ludi, cauculo.

Ib. prætendit crura) protendit.

Ib. Et medium pēnis prosequisse] melius, pinnis persecuisse.

157. Solerti pendet] v. c. Solertis pendet. fort. Solerti spondet.

Ib. vulgus auribus) v. c. vulgis.

Ib. Stant tractuque. veteris codicis hoc loco defectus sic

fortaſſis ſuppleatur, non inepte.

Stat dictu tactuque potens,

158. Ceruus aper. Non ſine ratione putet aliquis eſſe Sidonij, cuius ſunt ad eundem Maiorianum iſta:

Hæc quondam Alcides at tu Tiryntius alter,
Sed princeps magni maxima cura Dei,
Quem draco ceruus aper paribus ſenſere ſagittis
Cum dens, cum virus, cum fuga nil valuit.

Ib. violata peremit, ſcribe, violenta.

159. Gilo. 176. Gello. vt & apud Caſſianum Scytham.

160. Comeas. fort. Coſme has.

173. Germinibus nonis. ſcribe, Germinibuſque

177. Bedæ. Immo Beda ipſe vt antiquioris ſcriptoris refert in libro de natura rerum. Itemque Amalanus Treuerenſis lib. de ord. Antiph. c. 72. & 73. Sequens Edilium Auſonio à plurib. adſcribitur.

178. ſua munera vati. melius, nati.

Ib. Primus Apartias. hos verſus vltra modum deprauatos video. Tres poſtremi primi eſſe deb.

Ib. Circius hinc dextro. ſcribe, Circius hinc dextra gelidus circuntonat Arcto. Thracian

Ib. Turbine mulgit. repone, mugit.

Ib. Dorida. Dorica.

Ib. Abſceſſum Solis. al. Solis ab occaſu flores Zephiri tuba ſeruat.

Ex Itala nomen. cui fixum eſt voce Fauoni.

Ib. lips attice lingua. al. Lips Attide lingua.

179. Argeſten Graij. al. Argeſten quem Graia ſuo vocat ore camœna.

Ib. Non nox. lege, Non nix.

181. Alemene. Inſcribatur lematis loco, HERCVLES.

187. Me mihi ſubripuit. deleatur totum nō vt in lepidi quidem, ſed vt recentioris poetæ.

184. Blanditur puero. Nec hoc velim præſtare vetus, vt nec alia quædam huius maſſæ.

187. Rure morans. Eſt ex Valerio Martiale lib. v. Epigr. Se-

quens vero in quibuſdam exemplaribus inſcribitur, Eucheriç poetriæ.

188. nunc iacinthus erat. repone, eat.

189. Venerat Eoum. B. Auguſtin. lib. II. de Ciuit. Dei, vt alio bello factum narrat.

191 gliſcit arbor. emenda, ardor. Sed quid vetat, ſaltem expunctorum loco & hoc adiecere?

INSERTI DE INVENTIONE LITERARVM.

Moyſes primus Hebræas exarauit litteras.
Abraham Syras & idem reperit Chaldaicas.
Iſis arte non minore protulit Ægyptias.
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata.
Gulfila prompſit Getarum quas videmus vltimas.

Sed & hoc, licet non adeo antiquum, pro ætate tamen vita dignum.

Formula viuendi præſto eſt tibi. pauca loquaris,
Plurima fac. ſit vtrique comes modus vtile pulcrum.
Sobrius a menſis, à lecto ſurge pudicus.
Obſequiis inſtes, ea pro te præmia poſcant.
Vt decet ac prodeſt, & amabis & oderis idem.
Stans caſum metuas, ſperes proſtratus, & illum
Quem colis in titulis, miſerum abiectumque tuere.

IN POEMATIA.

2. Ergo bis. emenda, Ego bis.

Ib. Satisfacere populo, ſcribe, Satisfacere cum populo & poſt paulo, Nunc me quo deiicis.

3. Luſimus, Hæc opuſcula potiſſimum vero Culex, Ceiris Ætna, ampliores notas, aut potius iuſtos commentarios deſiderant. Quod facile agnoſcent, qui ex veterum exemplarium comparatione perſpicient, quam parum illis cum vulgatis conueniat, & quantum ſibi

in istis Italorum quorundam ingenia permiserint. Itaque sepositis ad meliora ocia præcedentibus notabimus in Moreto.

58. quæ præuidet ostia. melius v. c. quæ peruidet, & paulo post, Quæ bis octonas.

59. Transuersat durata manu. melius, Transuersa duratque manu, liquidoque coacto.

63. erroribus agros. al. erronibus.

65. tanto Ioue digna vel auro. quid si legamus? tauro Ioue.

67. Defleram iuuenis tristi modo carmine fata. Debuit igitur præponi Elegia de morte Drusi, ex serie temporum, quam tamen in hac perpetuam collectione frustra exeris.

68. At tibi ventosi. scribe, Aut.

71. Hesperum. lege, Hesperon.

73. Iam t. d. n. huius adest. scribe, abest.

74. perceptaque mente fouebas. lege, præceptaque.

Ib. Quidque pudicitia tantum. fort. intantum.

75. Quamque licet. fort. Quaque.

76. iam iamque nutantia. scribe, natantia.

78. Quo primum vidi. scribe, quos, & paulo post, Materni celeber.

79. Consuluit. fort. Consul init.

80. Ast pedes. scribe, ac pedes & versu ab hoc octauo, Vix capit adiectas.

82. Nec sua præ templi. melius, pro templi.

83. Altera iam forti. melius, tam forti, & post paulo, Nec minores magni coniuge visa Iouis.

84. tempora victus. scribe, vinctus.

85. Adde quod est absens functus. v. c. fœtus, vt fortassis nō male, fletus, & sequente versu tui pro, tibi.

87. Ipse tibi emissus. malim, emensus neb. lib. Auerni, Sic liceat.

Ib. Qui fuit. scribe, Cui Tacitus II. annal. de eodem Druso, Arcus cum inscriptione rerum gestarum, & mortem ob Rempublicam obiisse. Quod postea a doctissimo Lipsio notatum reperimus, & gratias egimus sororibus Musis.

89. Languificusque leo. scribe, Languificosque

Ib.

Ib. iubare ſperat. emenda, iuba reſpirat.

92. Ipſa ſequi natura. hic verſus in vetuſtiſs. etiam exemplari paulo poſt repetitur.

95. meliuſque profecti. v. c. profectu. & paulo poſt. plagarumque ordiar aſtus.

96. cauſſæque malum. al. craſſæque modum. Vt fortaſſis legendum ſit, craſſæque vdum.

97. longior orſu. v. c. vſu. & infra, Lineaque extritis.

98. cum diſſimulantib. v. c. quam diſſ. rectius.

Ib. finxit in annis. v. c. in aruis.

Ib. Et quidam totos. v. c. notis.

99. multo ſunt ficta labore. v. c. facta.

101. Tum non eſt victi al. Tum non & victi cum conceſſ.

Ib. Vertraham. Mentio eſt in leg. Salic. c. 6. 2. & Burgondion. 87.

102. Cum ſequitur. v. c. Conſequitur: & pro adprenſat, fort. leg. adpreſſat.

104. ea tergo. fort. eat ergo.

108. Imponaſque piſces. emenda, pices. & paulo poſt, A vento, clarique faces ad Solis.

113. M. Annæi. In veterib. ſcidis titulus fuit, M. ANNÆI LVCANI Catalecton de laude Piſonis.

122. Ponticon. adde, Fragmentum.

Ib. caua Tempea cœtu. vet. ſcidæ, citu habent.

163. M. AVRELII. Nunquam putaſſem huius generis ſcriptores pueris in ſchola apud maiores noſtros legi ſolitos, niſi mihi Hincmarus Rhemēſis Archiepiſcopus indicaſſet, cuius hæc ſunt ex libro aduerſus Hincmarum Laudunenſem: Aliter, inquit, reſpondere non potui, niſi vt venatores feræ luſtra ſequentes agere, auditu & lectione puer ſcholarius in libro qui inſcribitur Kynegiticon Carthaginenſis Aurelij didici, &c. Greg. ſane Longus, Sileſius, qui primus Gratium, Nemeſianum, Calpurniumque edidit, teſtatur deſcriptos de vetuſto exemplari, quod Actius Sincerus Sannazarius in Italiam tranſtulerat ex Gallia: cui & illa plura debet.

165. Caſtaliuſque mihi. fort. Caſtaliique.

Ib. Obuia Calliope. Non infeliciter fortaſſis hæc ſuppleantur præpoſito illo verſu, qui ab hoc xiii. erat, & in locum ſuum relato, ſic,

Et quamuis curſus oſtendat tramite noto
Obuia Calliope, facile eſt &c.

166. pulcræque ingentia Glauces. fort. pulcræque incendia Glauces.

Non crimen Niſi.

167. Hæc nobis. fortaſſ. rectius legatur, Hæc vobis.

168. Pandit in occiduum. ſcribe vno verbo, inocciduum.

169. ſignet habilem. ſcribe, ſignetque.

172. inuiſerat æſtus. fort. immiſerit.

176. & diſſona flumina. fort. melius, flamina.

177. Nam ſi ſublimes. al. Iam.

187. Ter vitiis. fortaſſis leg. Ter vittis.

211. TEMPLVM. potius, AMPHITHEATRVM.

215. Huius ſcriptoris quem nunc primum edimus, meminerunt B. Hieronymus in chronico, Beda presbit. de metrica ratione, & Fulgentius placiades in libro continentiæ Virgilianæ, cui vni ſuperius Porphirij eiuſdem Epigramma in Quintum debetur. Quæ ſequuntur in panegyricum emendationes, ſunt ex alio vetuſto codice Franc. Iureti doctiſſ. & amiciſſ. viri.

Ib. Quæ quondam fueras. lege ex eodem cod.

Quæ quondam fueras pulcro decorata libello.
Carmen in Auguſti ferre Thalia manus,
Oſtro tota nitens &c.

Ib. meritoque renidens. Gratifici domini. in v.c. renidens Gratificum, dom.

Ib. Pallida. v. c. pallida nunc, atro chartæ ſuffuſa colore. & mox pro, carmina diſſocians, idem v. c. habet, diſſoluens. vt ſit quatriſyllabum per dieresim, quæ licentia non infrequens poetis.

Ib. Horrida. idem v. c. Horrida quod nimium ſit tua nunc facies.

217. Iuſtitia, æterna euires. bene v. c. æternæ vires.

Ib. Et ſummi ius. v. c. Et ſummi eius, Iuretus noſter putat leg. Et ſumma eius, vt Imperatorem vocet ſummam Romæ. fortaſſis tamen rectius, Et ſummi vis grata Dei.

Ib. dextra ſalutis. v. c. maritis.

218. tuli ſi carmine. emenda, tali.

219. fraglarem. flagrarem.

Ib. parili ſub tramite Muſæ. lege ex v. c. Muſa.

221. Parcere iam verſus. v. c. rectius, verſis. & paulo poſt, quæ digna referre.

Ib. Quam dat fonte ſuo clario. puto leg. Clarius, vt Apollinem ſignificet.

Ib. & Francis. v. c. Frangis.

223. ſub limine, v.c. limite.

Ib. Oſtentans artem vincire. diſtingue, vinci re.

Ib arciſſima. v. c. artiſſima. Campona a Pannoniæ inferioris vrbs eſt.

Ib. perculſa ruinas. lege ex eodem codice, & bella loqui, perculſa ruinis,

Queis deuicta iacet gens duro Marte caduca.

225. pictorſu v. c. Iureti, pictor ſub carmine fari, non diſplicet tamen illud alterius exemplaris, picto.

Ib. tempora iuſta. v. c. iuſti. & ſeq. verſu, clementia iuſſis.

Ib. ad gaudia mentes. mentis.

227. Summa faue, lege ex v. c. Summe.

Ib. curiis ſub. v. c. Iureti, curis ſub Martis iniqui.

Ib. belline labore An iuſti v. c. labori Auguſti.

Ib. Secla piis cepirite. idem v. c. rectius, Secla pij ſceptrite.

229. Sit magno. v. c. Sed.

Ib. poſt pia minacia. Sic v. c. vnde iſta primum deſcripſimus. Iuretus habet, ſigna, nos, pila, reponendum putamus, vt verſus xxxvii tantum literis conſtet. Nam g. expunxiſſe, inſolens non immerito videatur.

Ib. Hinc voueat titulo. v. c. populo.

Ib. vincentum. Idem codex verſum hunc ſic explet, Vincentum iuſtos audax mihi fida triumphos.

230. quis læta vo. emenda, quis læta ſuo, & infra. Rem-

que laremque ſuum.

231. lubrica. ſic v. c. puto tamen & hic & aliis quibuſdam huius panegyrici locis, rubrica, legendum. quod & color ipſe in antiq. exempl. arguit.

Ib. mundi gloria, lacunam fide v. c. ita exple, mundi tu gloria conſul.

Ib. Auguſtus, mundi, ſcribe, Auguſtus mundo.

Ib. concordiæ omen. v. c. concordia & omen.

233. Vinces vbique. v. c. Vincens. & primo verſu, placido ſub axe.

234. & æternus. dele particulam &.

235. Poſt quartum verſum huius paginæ adde hunc incuria omiſſum,

Iuſtitia in terras & gloria candida veri.

Ib. Medus, Araps. ſcribe ex v. c. Medus Arabs: mox omnis ouat laudare ſereni Oris luſtra tui.

Ib. Imperire tuum. emenda, Impertire.

Ib. det leges. ſcribe, det leges Roma volentes

Principe te in populos miti felicius æuo.

237. quæ forte latino. lege, fonte.

Ib. ſpectent nos teles. corrige ex v. c. ſpectent hoſtiles.

Ib. fors accipit. v. c. ſors.

Ib. Teque duce inuictas. v. c. Iureti, Inuictæ. aperto hiatu, qui nec huic nec aliis ſcriptorib. inſolens eſt.

239. Ambigit hæc. Repone ex v. c. Ambiet hæc claudens felicis numine Phœbi.

241. qui longuo cum labore. Diuino, nec fortaſſis infeliciter, loco conlaborum. κόλλαβοι & κόλαβοι ſunt epitonia organi. niſi quis malit, loco conlaboræ, nobis quidem notio nomine, ſed quo veteres vſos ſi quis dixerit, fortaſſis non ſine Analogia dixerit.

243. lubrica. Et his quoque locis rubricæ verbum lubentius repoſuerim.

246. nec vel vllam partem habet. deeſſe videtur magis, vel, plus.

Ib. & reciprocus. deeſſe hic etiam videntur hæc fit pentameter.

Ib. ſotadicis. malim, ſotadici.

247. tuimini. emenda tui mihi.

Ib. cum ſua venerabili, fortaſſis ſcripſerit Porphyrius, venerabilitate, ſui ſæculi verbo.

248. pro minimis. leg. videtur, ne pro minimis r. d. poſſint.

250. Situ. fortaſſis leg. Sic tu c. v. o. t. g. q. ex m. petiueras auribus non perire, & prouentu. &c.

241. Marcelli V. L. Emenda, Marcelli V. I. Ex magiſtro officior. Theodoſij A. carmen de medicina.

Ib. inuenta pararint. ſcribe, pararunt.

244. Auieni vt nuperi ſcriptoris meminit B. Hieronymus comment. in epiſt. ad Titum. Meminit & Seruius in Virgilium pluribus locis. Videtur autem Auienus idem operam poſuiſſe in omnis generis fabulis explanandis, quarum aliç ad corpora cœleſtia pertinent, vt Arati, cuius Phœnomena carmine heroico latine expreſſit: aliæ ad heroes, vt Virgilij & Liuij Andronici, quos Iambicis verſibus reddidit: tertium genus ad bruta animantia, vt Æſopi, cuius generis ſunt illæ paulo poſt ad Theodoſium, forte an Macrobium, qui & Auienum vt coætaneum atque amicum in ſuis Saturnalibus loquentem inducit. quamquam eæ fabulæ in quibuſdam exemplarib. Auiani, in alijs Aniani nomen præferunt, quo & citantur ab auctore libelli Prouerbiorum qui Bedæ adſcriptus eſt. Gennadius Auienus Solij Sidonij, plane alius, licet & ipſe Conſularis. Porro in Auieni opuſculis præſertim vero in Periplo & Periegeſi multa emendata ſunt ex veteris ſcripturæ veſtigiis, plura notis amplioribus reſeruata. Nunc hic craſſiora errata notaſſe, nobis quidem, plus ſatis pro tempore fuerit.

256. Intrant Atlanti. emenda, Intrat Atlantæi verſu ſequente, ſali pro ſalis.

258. furit Helleſp. ſcribe, ferit.

259. tum & illic. emenda, tumet illic. & infra, Culmina Piceni: coma largi.

Ib. Brutius hic humos. dumos.

260. curuis alis. corrige, curui ſalis.

269. rundigenæ. fort. erunt dignæ.

288. liberum temet. lege potius, liberum in temet locum. Mihi eſſe amoris ſang. & infra, Quin & parentis.

291. Noluſque cumbis. ſcribe, Non vſque cymbis & paulo poſt, Fecere morem, non abiete, vt vſus eſt, Curuant faſelos. infra, re probaſſe.

292. ob periculum. corrige, periclum, vt conſtet verſus.

293. cætero adſteni vicem, lege, ad ſtagni vicem.

297. Idem amnis aut fluctib. ſcribe, auri, & infra, flumen amplum euoluitur. item, qua diei occaſus eſt.

298. hoc demum ait. lege, Ecdemon.

299. propter ad lunæ inſulam. fort. properet.

300. quod amictu. ſcribe, quodam amictu veſtiat
Caligo ſemper nebula condat gurgitem,
Et craſſiorem nubilo præſtet diem.

305. Toni. fort. Tononi.

Ib. Quondam Pyrenæ latera. dele vocem Latera, quæ irrepſit ex nota in margine adſcripta, vt & Ruſcinonis nomen.

307. Et a priſca. ſcribe, Et aprica ſyluis. nominis porro auctor eſt.

308. non occaſu premi. repone, non eum occaſu premi. & infra, Meat amnis autem.

309. Arctans qua ſeſe. ſcribe, Artanſque ſe ſe.

311. vel ab ipſis mimis. al. animis. malim, inanimis.

352. Victoreſque ſuos natio victa premit. Videtur ex L. Seneca mutuatum, cuius hæc ſunt apud Auguſtinum de eadem Iudæorum gente verba. Interim vſque eo ſceleratiſſimę gentis conſuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta ſit. Victi victoribus leges dederunt.

355. Subiectas villæ. Confer cum Manilij verſib. de eadem re lib. v. Aſtron.

Ib. Victorinus enim. Non ille Rhetor vrbis laudatus Auguſtino lib. 8. Confeſſ. ſed Tholoſas vt ſequentia indicant, quæ ad hiſtoriam Ataulphi Galliam Narbonenſem occupantis, ex fœdere cum Honorio Imp. icto referenda ſunt. Si-

gnificat autem hunc Victorinum Britanniæ præfectum fuisse, & Comitem sacri palatij factum.

361. Interualla viæ. Fab. lib.4. Instit. Non aliter quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis, notata inscriptis lapidib. spatia.

Ib. per opuscula bina tumorem scribe, timorem. Sed nescio quomodo Rutilij nostri elegantia nobis etiam nonnulla expressit præter institutum, cuius nos Prisciani Periegesis admonet, in quam extant variæ lectiones ex veteribus libris, nec indocta scholia. Illud etiam de Rutilij Oedeporico admonere placet, ex ordine nauigationis & itineris videri quædam in eo confusa ac transposita.

397. Etenim cuncta non f.c. scribe, cuncta hæc.

398. Hæc magno Latio libra est. v. c. Hæc magna Latio. hiatus more non insolito veterib. vt iam monuimus: cuius tamen ignorantia effecit vt in quibusdam editionib. maior legatur.

Ib. Seu assis. al. Siue assis.

400. depromere musa. v.c. deprehendere.

Ib. Argenti tantundem opifex. v. c. Tantundem argenti opifex. Sane veteres m literam non semper elidebant, vt & Beda obseruauit in libello de metrica ratione. Exempla in hac vna collectione plura.

Ib. appendere mos est. v.c. perpendere.

Ib. similari crassius vnda. v. c. similare. nec hoc sine exemplis, breuem natura syllabam longam fieri vicinia proxima duarum consonantium litterarum.

402. Fulgentij Astronomica. Fulgentij nomen ex coniectura adscriptum est. Nam vetusta exemplaria Astrologiæ Isidori, cui fere hoc poema subiectum reperitur, nullius auctoris titulum præferunt. Nec vero insuperhabenda est coniectura doctissimi hominis, qui Varronis Atacini esse censuit.

404. quum deuiat ortos. emenda, deuia tortos.

Ib. Symphosij, qui & Symposius in quibusdam exemplarib. scribitur, meminit Sigebertus Gemmelacensis de Aldhel-

mo Scoto loquens, cuius quidem nos Ænigmata editione digna non putauimus: vt nec Bedæ nomine Eclogam de conflictu veris & hyemis, licet exemplaria ad manum eſſent. Sed nec horum varias lectiones hic adſcripſimus, monuiſſe contenti, eos verſus qui ad finem ſubijciuntur Symphoſio, præponendos fuiſſe potius præfationis loco eſſe, etiam alios plures inter Bedæ collectanea, qui ad hunc titulum pertinere videantur.

411. Galli Elegia. Non obtuſa adeo geſtamus pectora Galli,

Nec tam auerſus equos noſtro Sol iungit ab orbe,
vt ſimpliciores alioqui homines, Aſinij Galli poetæ non mediocris hæc eſſe credamus: cum præter leues παρῳδὰς, multa etiam occurrant, quæ nec temporum rationi, nec perſonarum moribus ac decoro, ſed nec linguæ quidem Romanæ elegantiæ & proprietati ſatis congruere videantur: vt non immerito Fabij illud in mentem veniat, Sicut affert lumen clauus purpuræ, loco inſectus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis veſtis. Datum eſt tamen amici hominis gratiæ, datum plurimis, vt iſta quoque inter veterum pœgnia legantur, Corippi ſaltem Africani Grammatici loco, cuius de laudib. Iuſtini minoris reliquias ex Belgica editione interim peti maluimus, ne vel iſta collectio vltra enchiridij modum excreſceret.

424. vincta decore. al. iuncta.

425. Non tamen effugiens. lege potius, Non tamen effugio tota l. v.

431. vel ſi laſſatos nunquam. lege, vnquam. & infra, dicere iura nefas.

433. Et fateor prima. emenda, primæ. & paulo poſt, At quia nos. &, Nil de tranſactis.

435. Pædagogus adit me: al. agit.

436. Reſponde. ſcribe, Reſpondi.

440. Egregia forma. al. Egregiæ formæ.

Ib. pulcro colore. emenda. pulcra.

442. Sic velut expoſito meritam. lege, expoſitam merito.

444. magis

444 magis nunc viribus. ſcribe, magnis. & infr. impendent. &, Tu mihi.

446. Sol labor & ribice. an potius, Euridices?

448. Seueri. Attilij ſiue Cæclij Seueri poetæ Chriſtiani ſub Valentiniano Auguſto meminit ex Sophronio Gregorius Gyraldus. Hic vero noſter vt videtur, antiquior, &, niſi valde fallimur Aquitanus: cuius carmen Eliæ Vineti Santonis, optimi & doctiſſimi ſenis beneficio debemus.

Ib. nunc lapſæ. v.c. lapſa.

452. terrenæ. an potius, Tyrrhenæ. Nam Lydij Tyrhedij Tyrrheni. An, Ter ternæ. vt apud Alcimum Ecdicium Auitum, illo verſu ad Fuſcinam ſororem:

Quas ſibi ter ternas mentitur fama ſorores.

vbi & veteres libri noſtri terrenas habent: ex quo audacius quidam diuinas fecerunt. Sed hæc tanti non ſunt, vt iam in eis diutius immorari libeat. Itaque hic deludimus.

Omiſſa quædam in Epigrammat.

Pag. 76. Virgilij. adde, in Tullium Cimbrum. de quo Seneca Epiſt. 84.

Ib. Corinthiorum. Apud Fab. lib. 8. c. 3. Et Hormetorum, fortaſſis pro, Rhetor metrorum. vel, Exoticorum.

Ib. Thucydides tyrannus Atticæ febris. valet mihi, qui in Attica peſte deſcribenda regnum oris exercuit. Nam & regnum loquendi Manilio, & Rex ſermonum Luciano, & regnare in foro Ciceroni: cuius & illa ſunt, Acutus, capitalis, creber, pene puſillus Thucydides.

Ib. Tau gallicum ſpinæ. Putaui aliquando legendum, Tau gallicum, min, ipſe ſil, al illiſit. Al Celtarum Auſonio, Germanicum allium Plauto, Sidonio. Sil & min Gallicum, Marcello libris de medicina; Plinio. Tau, Luciano.

Ib. De Sabino. Lemma debuit eſſe, INCERTI Parodia ex Phaſelo Q. Valerij Catuli in Ventidium Baſſum.

Ib. Neque hoc. melius, Et hoc.

Ib. Bidente dicit. fortaſſis melius, Bidente dicit attotonſ-

ſe forcipe, pro, attotondiſſe.

Ib. Stringere mulas. melius videtur, Strigare mula, ſiue vtrimque cœperat.

Ib. propter hoc no. malim, præter hoc. ſed & hæc præter inſtitutum.

87. Tranſiui. Leonardi Arretini in imaginem Bracij Montonij. hoc olim titulo edidit Fani Laurentius Abſtemius.

116. Diſcite ab exemplo. Hunc Chriſtinæ Pacauinæ tumulum reperio diſticho iſto auctiorem.

Nec culpa meruiſſe necem bona numina teſtor:
Sed iaceo fati ſorte perempta mei.

Diſcite &c. Antiquum vero præſtare. nelim.

121. Docta lyra. Et hic tumulus quem M. Annidius M. L. Ponticus ſibi & Sabi ſuæ poſuiſſe legitur, adiectum habuit ad finem in antiqua editione Abſtemij, hunc verſum, imperfecto tamen ſenſu & numero:

Hunc titulum, ſocios Manes, commune ſepulcrum.

159. Chaoniam. Hieronymi eſt Salinæ Cæci.

184. Blanditur puero. At hoc Hieronymi Vlpij Nouocomenſis. Itaque in recenſione poterunt deleri iſta aliaque eius notæ, & addi ſuo quæque loco ex omiſſis quæ digna & conuenientia videbuntur.

SIC VOS NON VOBIS.



PRÆFATIO IN EDICTVM THEODERICI.

P. PITHOEVS C.V. EDOARDO Molæo Senatori, S.



NTEREA dum tu a Rege miſſus Aquitaniæ rebus componendis vacas, ego vero rebus hîc tandem prolatis rure vix fruor, Editi ſunt a typographis noſtris Aurelij Caſſiodori Variarum libri XII. qui, vt ſcis, ad ius Romanum ſic pertinent vt Theodericiana & Oſtrogothica pleraque admixta habeant, quæ qui non ſatis diſcernunt, hybridas ſæpe nobis pro meris Romanis obtrudunt. Hæc tamen qualiacumque ſunt, quando iam non raro vt lippos oculos tractare cogimur, pridem etiam conſtitueram opera aliqua iuuare, non vt gentis & ſeculi vitia corrigerem, quî enim poſſem? ſed quo a noſtris hominibus cum minore ſaltem faſtidio legerentur. Verùm cum eo fere tempore quo editio poſtulabatur, ab re noſtra tantum mihi otij non eſſet, quod potui alienam operam meis exemplaribus iuui. Rebus reuerſis, cum & ipſe huc reuerſus a librario rogarer, vt Theoderici Regis edictum, cuius ille exemplaria apud me eſſe audierat, tanquam Oſtrogothici iuris caput reliquo corpori accedere ſinerem, facile me exorari paſſus ſum: immo etiam ne quid Orienti Occidens de eadem gente inuideret, legis Wiſigothorum libros XII. vt tandem aliquando ederentur, conceſſi. Edictum vero

prudentissimi principis in tuo nomine apparere volui, non tam quod te plane dignum, quam quod aliqua parte esset tuum, cuius beneficio alterum eius exemplar nactus sum: simul vt intelligeres te a me præsentem sic obseruari, sic coli, vt etiam Reip. causa absentis rationem habeam: tantique apud me esse futuramque amicitiam tuam, vt eius aliquod apud posteros testimonium extare cupiam. Bene vale. V. C. Lutetiæ Parisiorum. II. Kal. Ian. M. D. LXXVIIII.



PRÆFATIO IN OTTONEM EPISCOPVM FRISINGENSEM.

P. PITHOEVS IACOBO CVIACIO I. C. S.

QVOD me tam prolixe amas, V. C. summa quadam humanitate & gratia tua facis: quod ego te colo, veneror, obseruo, iure meritoque tuo facio, a quo tot tantisque beneficijs affectus prouocatusque, in tui admodum studiosus sim, iure ingratus discipulus videar. Itaque cum inter hos vere Gallicos tumultus communisque patriæ miserias vnum me illud valde angat, quod neque vbi sis, neque quo in statu res tuæ versentur scire possum, hos tandem conquisitores dimittere visum est, publicos quidem illos, & versicoloria veste amictos: adde etiam, si placet, ne quid Petronianorũ solemniũ desit, fumosam magis quã lucidã facẽ quassantes, non tamen a Prætore petitos, vt apud Comicum, sed vltro nescio qua nuper sorte oblatos. Nam cum in hoc infelici otio rebus non iam prolatis, sed potius dimissis, pene dixi depositis, grauiores illas cogitationes posteriorum temporum historijs sæpe obruere, saltem fallere tentarem, quarum hodie bona pars non vsque adeo obuia est, cœpi Typographo auctor esse, vt omnes omnino, qui quidem alicunde recuperari possent, Germanicæ historiæ supra nostram patrumque memoriam Latinos scriptores, duobus voluminibus concluderet, ex quibus

recentiorum fides repeti poſſet. Id cum ille lubens recepiſſet, conſilium ei meum atque etiam operam liberaliter pollicitus ſum. Iam quid in hac Friderici I. hiſtoria præſtitum ſit, quæ omnium ſane cognitione digniſſima eſt, candidius fortaſſe poſteritas iudicabit. Quid poſthac præſtiturus ſit, cum in tempore, tum maxime in ſtudioſorum hominum, qui hunc pro Repub. ſuſceptum ab eo laborem ſuis exemplaribus iuuare poſſunt, candore & liberalitate ſitum eſt. Tu vero hos interea conquiſitores recipies quidem vt tuos: Tibi enim debent, quod paulo diligentius deinceps a noſtris legentur, qui eis publice lumen primus quodammodo prætuliſti, dum Feuda ex ſuis auctoribus repetens, ita ornas & illuſtras, vt poſthac Fœda, aut, vt ipſorum potius verbo loquar, Faïda non ſint: Debebunt etiam, ſi quid eis ſtudio noſtro acceſſerit, cuius fructus omnis ex iure Quiritium tuus eſt: Mihi ſatis erit, ſi vel horum indicio intelligas me tui tuorumq; ſummorum beneficiorum memoriam, hoc præſertim ingratiſſimo Androclidarum ſeculo, & ſanctiſſime retinere, & religioſiſſime colere. Bene vale, V. C. Baſileæ, xv. Kal. Febr. M. D. LXVIIII.



PRÆFATIO IN PHÆDRI FABVLAS.

P. PITHOEVS FRANCISCO FRATRI.

REDDO tibi, Frater, pro nouellis constitutionibus Imperatoris, veteres fabellas Imperatorij liberti, & quantum quidem coniicio, Tiberij, atque adeo statim post Seianum damnatum: nam quis istos deinceps laudauit vnquam? Eius scriptoris qui meminerit ex veteribus nullum dum reperi præter Martialem & Auienum, quem etiam Virgilij fabulas iambis scripsisse tradunt. Thracem se fuisse ipse innuit & Græciæ vicinum vt nec ij libelli Senecæ fidem eleuent testantis Æsopos logos intentatum Romanis ingeniis opus. Senem admodum scripsisse præter seniles de ætate querellas, vel illa arguunt quod se D. Augustum ius dicentem audiisse, & Cilnij mæcenatis Bathyllum saltantem vidisse significat. Cuicui vero ille alapas & libertatem debuerit, tibi certe, Frater, iam vitam debet quam temporum iniuria pæne sepulto exemplaris a te reperti beneficio restituere conatus sum. Ita tu patronus Phædro, ego adsertor ac vindex, vel non idoneus, sine satisdatione tamen venio, & Augusti libertum vel potius libertinum, priuatus hac etiam parte testabilem publicique iuris facio: tu illi

adſis ac faueas modo, qui & poeticis voluptatibus aures a forenſi aſperitate reſpirare non ignoras, & hoc figmenti genus a veri profeſſoribus non eſſe alienum, vſque adeo vt a Socrate ipſo Æſopi λόγους verſibus redditos Cebes apud Platonem in os laudauerit. Haue, mi frater, & inter iſtam publicam luem ſalue ac vale. Tricaſſib. X. KL. Septembres, rebus prolatis, anno CIϽ. XCVI.

PRÆ-



PRÆFATIO IN CATONIS DISTICA.

ANTONIO ET VIDO ANT. OISELII I C. FF.

HÆc quæ plures immerito negligunt, ego tanti facio vt vix de manibus ponam, volui etiam nitidiora extare quam hactenus edita sunt: nec in eam rem piguit bonas horas impendere, vel tenerioris ætatis gratia, quam ab ipsis cunabulis purioribus cibis educi virorum maxime interest. Quid præstiterim non omnes fortasse intelligent, vsus ipse fructusque in posterum arguet. Qua bona spe & ex Græcis eiusdem generis enchiridion edere in animo est, vt hac etiam in parte commorientibus bonis literis & moribus, quantum in nobis est, operam feramus. Quid id est, tibi Antoni, tibi Vide, optimi & amicissimi viri filiolis in primis impensum cupio, quo præter domesticum paternæ virtutis exemplum & hic studiis vestris stimulus accedat. feliciter. Lutetiæ Parisiorum Kal. Ian. M. D. LXXVII.



P. PITHOEVS V.C.

ANT. OISELIO IC.

S.

MITTO ad te, mi frater, corpus ipsum thesauri vnius ex illis quondam meis (si quid meum vnquam dici iure potuit:) cui si accederent ornamenta illa quæ iam cum reliquis prædæ sunt, nisi tu succurris, non dubito quin posteritas aliquando intellectura esset nos etiam, vt modestissime dicam, ex Cuiacij studiosis partem fuisse. Sed quando hoc nobis sæculum inuidet, vt quod optaramus quidem semper & potuimus fortasse antea, nostris hominibus amplius prodesse possimus. habeant hoc illi saltem animi nostri testimonium ac monumentum lectius quam felicius; Quod amicissimi hominis fidei commissum volui, vt si quid mihi humanitus contigerit, quale quale est, erit, publicetur. Quanquam quid illus vetus vsurpem, quod hæc ætas non fert ab omni humanitate vsque adeo aliena vt iam hominem agere non permittat: sed habeant tamen vel ingrati, expectentque aut metuant, meliora si Deus ἀπὸ μηχανῆς, quod optare sane potius quam sperare est: sed tamē si adfuerit, quid enim nō potest volēs? Tu vero, mi frater, vtere, fruere, iure arbitrioue tuo: immo si taciti fidei commissi vim metuis, vltro defer, vt semis demum tibi saluus sit, siquidem & ex hac vnciola tantum demi potest. Ego iam opportunitate non tentæ mortis nihil felicius sta-

tuo, quam non inuitus, ſi Deus dederit, excipiam pr o virili portione Principi & patria innocentiam donaturus. Vale tu & viue, memor noſtri, mi frater, & ſi quid reliquum eſt ſpei, tua atque amicorum ope, conſilio, quantum poteſt, adiuua, ne vel iniuſſi de hac ſtatione deceſſiſſe videamur. IIII. Non. Sept. M. D LXXII.



AD IAC. AVG. THVANVM.

NImirum ſapis, ac magnis te faſcibus auctum
Ipſe parem præbes longe maioribus. Euge,
Macte iſta virtute: animis præuertitur ætas.
Nec te pœniteat partem ſubiiſſe laborum,
Ciuibus a ſummis ſibi quos Reſpublica poſcit,
Atque humeros patriæ iam ſuppoſuiſſe cadenti:
Hæc fuit Alcidæ in cœlum via peruia quondam:
Hac etiam diis æquatus fortiſsimus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Nil ſua, plena licet monſtrorum, iis obfuit ætas:
Sed nec noſtra tuos corrumpent ſecula mores.
Quin & materies ſummis virtutibus illa eſt,
Qua digna Auguſto tibi nomine gloria ſurgat.
Quamquam ea conditio morbi, ſerieſque malorum eſt,
Vt iam rara bonis ſpes ſit vel nulla, ſalutis
Nec medicas res ferre manus, nec vulnera poſſunt:
Solaque vix ſupereſt tantis Conſtantia damnis.
Quot tuus ille mihi deterſit nubila Iobus!
Quas edulcauit mordentes pectora curas!
Iobus Idumeæ nunc Gallica gloria palmæ:
Cuius ego ob carmen, præcinctum tempora lauro,
Inter maiorum effigies te cernere vatum.

Iure tuo quondam videor mihi: ſi tamen iſtas
Poſtuma curabunt meliores ſecula muſas,
Nec fera barbaries mox ſentibus Hippocrenem
Obruet, atque alio Phœbum migrare iubebit.
Nam quid ab æthereo prognoſtica ſigna requiras
Axe mali, quod nos comitatur paſſibus æquis?
Ecce tibi, dum prolatis breuia otia rebus
Viſere nos droëzena ſinunt, Pittheia quondam
Regna (ſit heic veterem fas per te inflectere verſum,)
Ecquid non miſerum Campanis vidimus oris?
Quid non triſte fame, ac morbis, bellique rapinis,
Quæque alia in miſeros eſt auſa licentia ciues
Militis, aut ſæui potius latronis & hoſtis?
Heu quantas nuper patriæ intulit aduena clades!
Aduena ciuili qui ſemper ſanguine creuit:
Aduena iam toties noſtro quoque ſanguine paſtus.
Nos tamen ijs fruſtra iuuet exoneraſſe querellis:
Noſtra hæc noſtra manus, quæ ferrum in viſcera matris
Strinxit, & externos ipſi & ſibi quæſijt hoſtes.
Ingemuere illi miſeræ, nos patria ſiccis
Funera Luminibus læti ſpectauimus, immo
Duximus, & noſtrum riſum extera præfica planxit.
Exclamare licet: Scelerata atque impia facta
Relligio peperit; quamquam quonam ore vocari
Relligio illa queat tantorum cauſſa malorum?
Sed ſceleri obtendunt altaria, legibus illo
Sipario illudunt: fiunt hoc iam omnia mimo,
Et ſibi quiſque deos auido certamine fingit.
Vah! quæ frons noſtros diuis imponere mores,

Et cælum Stygio splendens obducere cœno?
Quin potius si vera placent, en vera fatemur:
Nullum numen habet, perituraque Gallia, primum
Perdidit ipsa deos, vindictæque acta furore,
Omnia tuta timens, dubijs confisa, sibique
Facta sui merces, mansit sine vindice præda.
Ah patria infœlix, quæ te dementia cæpit?
Galle, quid insanis, furiosa mente, malignus
Ipse tibi rabido lacerans præcordia morsu?
I nunc, atque atauos repetens ab origine prima,
Sanguinis Iliaci germen Priamique pisinnos
Agnosce, atque alijs & stemma & digma relinque,
Teutonis, aut Hæsi magniue Tuisconis vmbram;
Nam (pudet effari, sed me cogentia verum
Dicere fata volunt) Germanos quis putet vnquam
Tam molles minimumque viros, nec mascula corda?
At, qui tam sero sapiant animosque resumant,
Quis neget esse Phrygas? Dum ne mage conngruat illud,
O vere Phrygiæ, Sardoo gramine pasti,
Queis comes est leti turpis de vulnere risus.
Scilicet hoc superis ius est, quos perdere tandem
Decrerint, horum mentes erroribus implent,
Nec rectum spectare sinunt: faciuntque, nocentes
Vt merito perijsse suo videantur abunde.
Adde quod imperijs sua sunt innata venena,
Queis æterna diu, tandem mortalia parent.
O quoties magni recolentia funera vidi,
Vidi, cuius amor merito tibi crescit in horas,
Pectore de mœsto voces dolor extudit istas.

Sat lacrimis nimiumque datum est; ego, vide, beatum
Ipsa te vel morte puto. nam quo tua nobis
Iam virtus, si fata obstant? sin, nescia rumpi
Consilijs flecti possunt melioribus, est quod
Gratuler, absentis desiderium acre relictum
Queis gratus præsens ingratis esse nequisti:
Virtutis tandem vt pudeat pigeatque repulsæ,
Quam tecum agnoscent communi sorte sepultam.
At nedum cælum ruit, & quantumlibet ægro
Spes superest dum spirat adhuc, animamque micante
Corde trahit: medicas sed & ipsa cadauera dextras
Sæpe experta, diu designatoris auari
Fraudarunt pannos, & vespillone remisso
Iniecêre moras Libitinæ quæstibus atræ:
Non nunquam in tabula lusit quoque naufragus vda.
Et nobis igitur liceat sperare, tibique
Auguste, hos animos addat Deus, vt neque fluctus
Nec venti rabiem, tempestatesue ruentes,
Aut passim moto metuas monstra obuia ponto:
Sed rectum teneas cursum: & si flectere cogit
Vis suprema, tamen superes, neque longius erres,
Vsque vel obliquo prospectans tramite portum.
Idem eadem præstet reliquis qui publica tractant.
Me quia priuatum leuior fortuna reliquit,
Ingenuis contenta animis & pectore honesto,
Interea dum vos potiori sorte valentes
Vix regitis nauem, & seruandæ incumbitis vni,
Dumque alius laxat funes, aliusque natantem
Sentinam exhaurit, magno hic molimine mitram

Oblaqueat, clauum ille tenet, me fundus habebit
Vectorem, de communi vestraque salute
Sollicitum, Diuis facientem vota precesque,
Quorum nec sero damnabor; cetera mentis
Securum vestra cura, dum detonet, aut dum
Tempestas fati peragat mandata furentis.

CHRISTOPHORI THVANI SENATVS PRINCIPIS TVMVLVS.

ORdinis vt vidit princeps nullo Ordine verti
Cuncta, suasque iterum Gallos spirare ruinas,
Et coniuratas in mutua funera partes:
Quin etiam cælum terris grauiora minari,
Quid moror vlterius meliorem cernere vitam,
Et me depositis iam iam subducere rebus?
Dixit, & amplexus caros cum coniuge natos
(Heu fatis, Auguste, aberas, id defuit vnum
Cætera perpetuo felici) plenus honorum
Annorumque vltro terras hominesque reliquit.
I *nunc, & vana fortunam voce lacessens,*
Si locus est lacrymis, ipsam te Gallia plora.

Iustitio insolito tibi Curia pulla parentans,
Ordinis ô princeps, quod pote, iusta facit.

Parce

Parce bonus, manes placidos nec postuma lædant:
Quæ desunt, tecum, heu, sustulit atra dies.

CHRISTOPHORO THVANO SVMMI NVPER ORDINIS SVPREMO PRÆSIDI CVRIA ORBA NON SINE LACRIMIS P.

P. PITHOEVS F.

AD LIBROS.

ET perij per vos, & vos perijstis, Amores;
Vna salus nobis, vna ruina fuit.
Si qua tamen vitæ spes est, hoc deprecor vnum:
Viuite apud gratos, gratus ego interеam.

IN DIEM NATALEM, QVI FVIT FESTVS OMNIVM SANCTORVM, *anni* 1539.

NOuembres mihi, quondam quæ natale, Kalendas
Inferijs manes queis pia cura luit.
Martini festo mutans vinalibus olim,
Quid nisi me lætum viuere, Papa iubes?
Te quoque, sancte pater, lætis Deus augeat annis,
Vtque hilares longos & velit esse dies.

REddit, Alexander, tibi Belgica iusta sepulcri,
I nferias tua cui fecerat ante manus.
Itala deflebit tellus, ridebit Ibera:
Quid faciat, necdum Gallia scire potest.
O sapias sero quamuis mea Gallia tandem,
Et patiare tuis te superesse malis.

IIII. Non. Decembr. 1592.

DE HENRICO IIII. REGE ET ALEXANDRO DVCE.

CVi palma vestrum deferatur bellica
Certauit Orbis, resque stetit anceps Diu:
Sed Mors secundum, Henrice, te litem dedit,
Fecitque primum & vltimum simul ducem.

IN LVTETIAM SCAZON.

PRiuata Rege, quem nec exteri laudent,
Tibi sed auaræ plus satis diu largo:
Spoliata ciue, mercibus, suburbanis,
Foris, theatris: fascibus magistratus
Et litterarum matribus scholis orba:
Eneruis ipsa, viribus freta externis,

Hoſpes latronum, membra vix trahens rapto,
Merito inimicis vndique vrbibus cincta,
Quid gloriaris ac tibi places, amens,
Felicitati miſeriam imputans longam?
Non iudicantem partibus Deum ſentis?

POete dolet, non quod moriar (quin iſta latronum
Gratia ſit; patriæ nec ſupereſſe velim.)
Seminecem ſpoliari, & ad æs mihi iuſta paciſci,
Heredemque hoſtem cernere, Pœte, dolet.

QVod procedentes conſperſit plurimus imber
De cælo, diuum ſacra homineſque rigans:
Quod reditum claro comitatus lumine Titan
Impleuit radiis gaudia noſtra ſuis.
Non fruſtra eſt, maculas ſacrorum hominumque recentes
Eluere, ac puros iuſsit adeſſe Deus.
Placato mox Rege, ſacris iam rite litatis,
Et Solem nobis reddidit & patriam.

V. Kal. April. 1594.

IN LIBRVM IAC. AVG. THVANI DE RE ACCIPITRARIA.

IAm per te Latio res accipitraria ceſsit:
Auxiſti Auguſtum nobilitate genus.

Et dubitem fato imposita & lustralibus vndis
Sancita Augusti nomina magna tibi?

IN OBITVM P. RONSARDI.

SVmme poetarum quos prisca & nostra tulerunt,
Quosque ferent Gallis postuma sæcla tuis:
Parce, nec ista tibi veluti data iusta putato,
Sed tanquam summis manibus inferias.



PETRI PITHOEI
I. C. VITA.

PITHOEORVM origo e Viromensi pago, qui situs ad mare, in ea parte Neustriæ, quam interiorem Normaniam vulgo vocant, indicio est in antiquis monumentis recensio nobilium qui anno Salutis M.CLXXXX. in Hierosolymitanam militiam vltro iere; in quis Guilelmus Pithoeus secundus Viromensium adscriptus, addito eius digmate, quod idem in Pithoeorum Trecensium scutis etiamnum manet. Post quem longo interuallo Æmilius Pithoeus patria & paternis opibus maiori natu fratri relictis, venit in Campaniam, vbi filium Andream genuit, e quo natus Petrus, qui & alterum Petrum reliquit, patrem nostri Pithoei, ad quem festinans, de patre pauca dicam. Natus is in Campaniæ vico, cui nomen Heruicum, non longe a Trecensi oppido, in quod migrauit Petrus, simul ab armis ad literas, quibus tum pretium atque honos regnante Francisco primo. In ijs excelluit hic Petrus, doctissimus totius prouinciæ, nec iuris tantum municipalis ac forensis peritissimus, de quo respondere ille quotidie & vrbi & prouinciæ, adscitusque in consilium primorum, sed ciuilis etiam iuris consultissimus, & veriorum eius disceptationum, atque omnis antiquitatis quæsitor accuratissimus, quod & filiorum relatione, & testimonio maximi Cuiacij scimus esse verum. Vxores duas duxit, e prima geminos tulit Ioannem & Nicolaum, qui annum agētes septuagesimum tertium etiamnum viuunt, insignes tam longæua ætate, (quod rarum in geminis, & habitum miraculo, præcipue septimo mense natis)

ſed inſigniores ſumma pietate, & maxima inter gemnos concordia. Ex altera plures liberos tulit, ſed inluſtres maxime Petrum ac Franciſcum, vtrumque natum bono literarum & poſterorum miraculo, ſed de Franciſco tantum eſt, viuit adhuc & precor viuat. De Petro, quem fata nuper ad feliciorem vitam traduxere, dicendum latius. Is natus Kal. Nouembris, anno M. D. XXXVIIII. ingenio a prima ætate acuto ſemper & prompto, at corpore diu infirmiore, donec adoleſcente ætate & procerior ſperato euaſit, & robuſtior. Primas literas in vrbe Tricaſſium didicit à ſollennibus gymnaſij Trecenſis doctoribus. Miſſus inde Lutetiam, vbi florentes tum literas coluit diligentiſſime, miratus vnice doctiſſimum illum Turnebum, cui pares paucos ſequens ætas tulit, illa neminem. Demũ reuocatus a patre, & ſtatim Auaricum Biturigũ miſſus, vt ius ciuile addiſceret, cum mandatis prudentiſſimi ſenis, ne gloſſas aut cõmentarios doctorum moraretur, ſed ipſa Iuriſconſultorum atq; Imperatorũ verba diligentiſſime expẽderet, equîs acurate perpenſis vera lux iuri Ciuili, ſicuti ex imperitiſſimorũ doctorum dubiis interpretationibus ac vacillantibus reſponſis, meræ tenebræ. Quæ mandata ſecutus filius ſumma fide, felicior patre quod in ætatem doctiorem incidit. Nam pater Haloandri editione vtebatur, quæ tum optima, eamque ad manuſcriptos pleroſque contulerat labore ſummo. Ætas filij Pandectarum Florentinorum emendatiſſimi codicis editionem nacta eſt, & poſt felicem multorum eruditorum operam, anteceſſorem audiuit maximum Cuiacium, cui haud ſcio an pares fuerint antiqui illi I. C. quorum veſtibula frequentauit Romanorum clientium turba, aut quorum oracula Imperatorum authoritate munita, poſt tanta interualla temporum etiamnum venerantur externi populi. Certe neque illi acriori iudicio ius tractauere, neque poſt eorum ætatem quiſquam ad huius viri doctrinam, acumen, iudicium acceſſit. Tantum doctorem nactus Pithoeus adhæſit vni, quem & ſecutus Auarico Valentiam, & diligentiſſimo ſtudio adſecutus, vt Cuiacius in arctiorem amicitiam ac familiaritatem iuuenem adſciſceret, & diſcere doctor à diſcipulo, ac quæ didiciſ-

ſet publicis monumentis profiteri non dedignaretur. Audiuit eum Pithoeus vſque ad annum M. D. LX. ſumma induſtria ius ciuile ſimul tractans & in omnem antiquitatem anquirens. Quod illi ſtudium durauit vſque ad exitum vitæ, vetuſtiſſimos optimorum ſcriptorum codices vndequaque quouis pretio comparans, dein anxio ac fideli labore conferens, non oſtentationi aut inani ac curioſæ adfectationi, quod pleriſque vſu venit, ſed literarum ac rei publicæ amore maximo, cognitoque non legi, non intelligi ſine hac diligentia optimos quoſque ſcriptorum veterum: Neque vt in iis, emendandis conquieſceret, quod ſibi opus hodie adſumunt nimium vani homines, ſed vt ex emendatis, rerum ipſarum cognitionem penitiſſimam hauriret, quam potiorem habuit ſemper verborum ſcientia, ſicut vtramque in omni vita parui a ſe factã indicauit, niſi ad ſcientiam accederet pietas morum, integritas vitæ, & in excolendis publicis priuatis officiis inculpata induſtria. His artibus munitus à ſtudio ad forum & rempublicam venit, delecta Pariſiorum vrbe quo ſedem fortunarum conferret, & ampliſſima Curia quam aſſidue ſectaretur; non inſano lucri cupidine, qui fere aliorum finis, neque vt ſolenni tempore decurſo gradum ſibi facerent ad emendum magiſtratum, quod ille deteſtatus ſemper: ſed vt iuris noſtri vſum in ampliſſima ſchola perdiſceret, quo cognito & adeſſe amicis, & prodeſſe omnibus conſilium expetentibus poſſet, ac præcipue Reipublicæ, ſi quando vſus eueniret. Itaque delatam ad ſe amici cauſam egit in ſanctiſſimi ordinis conſiſtorio, atque obtinuit; ſed vnicam. Vidit enim & ex prima cauſa peruidit vir acutiſſimus, alia omnia ſequenda eſſe ſibi ſi forum tenere vellet; fingendos alios mores; alium ſermonem; non verum ſemper conſtanti iudicio tuendum, ſed aut probabile verſatili ingenio quærendum, aut falſum ſolerti colore prætexendum; dicendum ſæpe contra quam ſentiret, & in iuſtiſſima cauſſa tuenda, tamen niſi ad imperitiſſimorum ſæpius litigantium arbitrium, & ad forenſis turbæ guſtum orationem componeret, denique niſi omnia oſtentui potius quam vero pa-

raret, frustra se futurum, ac pro laude merita reportaturum indignos imperiti vulgi sibilos. Itaque abstinuit deinceps a dicendis caussis, adsiduus tamen foro, notandisque quæ illustriora decreta diligentissimus, simul rogantibus defensiones scribens, & consulentibus de scripto respondens, sed nunquam nisi accuratissime perpensis quæ scriberet. Quod idem in ijs quæ publice edidit non pauca seruauit anxie, vt paucissima de suo eaque certissima scriberet, neque vnquam nisi adscriptis veterum auctoritatibus. Atq; hoc scribendi studium nunquam seiunxit a forensi, certus prodesse saltem hac parte Reipublicæ. Itaque plura veterum auctorum, siue Theologorum, siue Iurisconsultorum siue Historicorum, siue Poëtarum etiam ac Philologorum ex eius bibliotheca videre lucem, quam ex vlla huius sæculi, eaque selecta omnia, & summi eius iudicij atque ingenij, præcipue vero summi atque infucati candoris indicia certissima, quæ recensere singillatim non est instituti mei. Sed præcipue illustris opera eius in historia posteriorum sæculorum a Iustiniani & paulo antiquiore æuo ad patrum nostrorum memoriam; quæ tenebrosissima, & pæne sepulta incuria scriptorum, quum literæ omnes apud monachos imperitos rei publicæ, & hac fini historicos, vt natales ac nuptias Regum narrarent. Eorum temporum historiam, qua ad regnorum ac prouinciarum statum, qua ad ecclesiæ administrationem, ex optimis quibusque & fidelissimis antiquitatis monumentis sedulo sibi comparauerat, quorum partem maximam communicauit etiam omnibus, datis in lucem quæ selectissima de duabus gentibus Regum nostrorũ, item Caroli magni ac successorum legibus, quæque de Comitum Campanorum serie, sed præcipue restitutis veterum Theologorum scriptis, quæ innumera vel primus vel meliora dedit in vulgus; daturus etiam doctissimum atq; vtilissimum opus, diligẽtissimam Synodorum omnium editionem, quam summo studio, impensa, labore collegerat, ni præuenissent acerba fata. Quæ ego vna serie præcerpere volui, vt semel dictis quæ ad studia & literas pertinent, de ceteris eius actionibus dicam liberius. Vixit ergo ab anno M.D.LX. Lutetiæ vsque ad ciuilium

ad ciuilium bellorum primas faces, quorum importunitatem fugiens, secessit ad literarum otium, grauissimis interea periculis obnoxius, vt sæpe inter metum imminentis mortis, solamen tamen e libris peteret, & in maximis discriminibus scriberet optima quęque & doctissima. Quibus tandem post longos furores sedatis, rediit ad forum post annum M.D.LXXII. & monentibus amicis cogitandum de subole, duxit ex honestissima familia Catharinam Paludellam coniugem, cum qua deinceps vixit inoffensa concordia: mansitque inde in foro, adscitus in consilium a maximis quibusque & sapientissimis, delectusque a multis etiam ignotis controuersiarum suarum arbiter. Quo in vtroque vir magnus excelluit, vt scires natum discernendo verum a falso, & agnosceres in priuata toga perpetuum magistratum. Nec priuatis solum controuersijs electus arbiter, sed etiam publicis, adscitus in consilium toto vitę tempore de rebus maioribus, quia vera virtute tantum autoritatis quęsiuerat apud maximos quosque & probissimos tam in Senatu quam in aula, vt nec de republica ante sententiam suam dicerent, quam Pithoeum eius auctorem habuissent. Itaque vicit luce sua tenebras infelicissimi sæculi, quo nullus honos nisi emptus pecunia; vocatusq; vltro & coactus etiam ad suscipiendos honores: primo adscitus inter substitutos Regiorum cognitorum, quo in honore ita placuit & magistratibus & priuatis omnibus, vt inuitus retineretur vltro in eo munere, etiam postquam id vt cetera addictum pretio: & paulo post quærenti Regi Henrico III. qui cognitoris sui vicem delegatæ in Aquitaniam Cameræ adesset, commēdatus ab omnibus bonis Pithoeus, lectusq; statim, habuerit vbi summæ doctrinæ, ingenij, prudentiæ, probitatis, fidei, documentum in oculis omnium daret. Indicauit virum sapientissimum magistratus amplissimus & Aquitaniæ prouinciæ, & vniuersæ Galliæ, quo deposito, repetijt adsueta fori ac literarum munia, donec fatale miserrimæ Franciæ malum, coniuratio sacrum nomen mentita, faces subdidit nondum restituto ex pristinis ruinis regno, prodiditque oculis nostris omnium quotquot vnquam legimus, audiuimus facinorum, exempla

tristissima. Ludibrio habita numinis diuini maiestas, sacramentorum sanctitudo, Principum iurata fœdera: summa illa & sanctissime culta Regia auctoritas lacerata plebis infimæ sordidis contumelijs, ecclesiasticorum vesanis decretis, nobilium insanis armis, magistratuum ipsorum furiosis edictis ac sententijs, sæuitum passim in omnis ordinis sexus, dignitatis, homines, & tandem summissum atrox ferrum in ipsum Principem. Deprehenderunt hi fluctus Pithoeum intra Parisiorum muros, quorum ille furorem immanissimum detestatus, mansit tamen in vrbe cum vxore ac liberis, & (quæ post carissima pignora proximum locum adfectus tenuit,) bibliotheca; non vt probaret præsentia sua nefandam furentis populi rebellionem profusam in scelera omnia, sed vt magistratuum esse iudicabat abire ab vrbe, quam retinere in officio non possent, nec auctores fieri scelerum quæ aut inhibere aut punire debebant, ita ratus licere priuatis manere apud patrios focos, maxime quibus ætas grandior, familia infirmior: sed præcipue sibi, quem sentiebat nulla vi cogendum ad scelus, & cum spe fore vt ope consilio suo adiuuaret in tempore labentem miseram ciuitatem, quum præsentium malorum tædium, metus ex imminentibus, & summus consultor tempus sanctis monitis locum daret. Mansit ergo in vrbe, tum demum longi illius temporis fructum maximum capiens, quo in priuata toga carus omnibus & ab omnibus suspectus vixerat. Vidit enim plerosque magistratuum aut furori sceleratæ plebis obnoxios, si in officio esse vellent, aut coactos ad scelus metu præsentis mali, securus ipse interea, quia nullum locum tenebat in Republica, & conscientia vitæ ac sanctitudinis inter furentes tutus, solatia vera e libris sumens, quos maximo in otio diligentius tum conquisiuit, perlegit, exscripsit: & interea maiori illi curæ semper intentus, vt omnes miserrimæ plebis motus studiose obseruaret, quam facilem mutari norat, & ad officium pœnitentia reduci vnice expetebat. Itaque post dirum illud ac funestum miseræ ciuitatis quinquennium, vrgentibus iam fatis, & conspirante bonorum omnium consilio, maxima vero Pithoei opera

peruicere partes meliores, vocatusque in vrbem Princeps & ignouit præteritis, & paucissimorum capitum fortuito exitio, quorundam sceleratiorum voluntario exilio firmata quiete, restituit omnia iura pœnitenti ciuitati. Aberant tum ab vrbe Senatus Parisiensis potissimi, & qui restiterant nouo auctoramento confirmari debebant: quod nec absentibus Regijs cognitoribus fieri poterat, & causa erat cur abstinerent tum ab ea cura, qui paulo ante functi hoc magistratu. Potius visum vt deligerentur tantisper huic muneri, ex ijs qui in vrbe manserant præcipui fide in principem, integritate vitæ ac rerum vsu & peritia. Itaque itum ad Pithoeum veteremque eius amicum & studiorum omnium communione coniunctissimum Antonium Oiselum, quorum hæc vtriusque laus, quod tam facile tantæ turbæ consiluerunt: sed hæc Pithoei propria, quod constantissimo iudicio peruidit quam periculosum esset nominibus multis, in absentium senatorum reditum differri restitutionem senatus, & iuris dicendi sollennia. Qui vbi rediere, redijt ad pristinam vitam priuatus, si infulas quæreres; reuera semper de salute publica anxius. Itaque originem & causam malorum tantorum quærens, & ex religionis discidio verissime eam ac summo iudicio arcessens, collegit sedulo quæ huic malo remedia ex antiquis & authenticis monumentis, eaque publicauit, quæ vtinam aduertissent quis tum cura fluctuantis nostræ ratis. Secuta sunt tempora bonis omnibus tristissima, Pithoeo vero inter ceteros vel maxime, quem publicis luctibus adflictum tempori tulere fata, si ipsum spectes, cuius oculis substracta tot malorum dira spectacula. Nam ille grassante in vrbe Parisiensi letali morbo, quamuis constituisset non abire, victus tamen precibus suorum, secessit in Campaniam: ibique Trecensem vrbem antiquam patriam primo, mox adfines, & prædia sua visitauit. Vrgebant ad mortem fata, quamuis & corpore robustum, & satis firma valetudine, vt accedere ad annum quinquagesimum septimum ætatis vix crederes. Præsensit ante, solitusque in tota illa peregrinatione edicere amicis, venisse vt in patria finiret vitam, itaque euenit: nam attentatus ter-

tiana in prædio suo, vt valetudini consuleret, deportari voluit in oppidum Nouigentium, vbi ingrauescente morbo, idem ille diuinus nescio quis instinctus, quo monente, vitæ finem instare antequam decumberet præsenserat, tum vero diem ipsum mortis ægroto suggessit, Kalendarum scilicet Nouembrium diem, quem & natalem ei fuisse antea diximus: quod commune illi cum maximis veterum Platone, Attalo, Mario, Pompeio, Gregorio magno notauit amicorum curiosa sedulitas. Testamẽtum scribere adortus, viribus deficientibus perscribere non potuit, monuitque aliud ante scriptum sibi, cui stari vellet. Altera cura bibliothecæ fuit, quam ne dissiparetur, quia filias tantum relinquebat, alienari vetuit, nisi integram. Postrema humanarum curarum de Republica fuit. desiit enim in questus lacerati misere regni, & pessime habiti a ministris indignis optimo Principe. Dissipata obitus fama, luxit vrbs Tricassina, publici funeris honoribus optimi ciuis memoriam prosecuta; luxit Prouincia vniuersa, luxere Parisiis ordines omnes, & quicquid vbique Doctorum. Denique nullus non luxit, cui vel facie notus fuerat viuus vel nomine. Impleuit annum quinquagesimum septimum, quem nec pater excesserat. Ex vxore filios quatuor habuit, acerbo fato raptos omnes, quorum casus moderatius tulit quam credi promptum, præcipue qui & suos, & cognatos & amicos omnes tanto adfectu diligeret. Filias reliquit superstites duas, Ludouicam & Mariam: & quod in parte maxima felicitatis posuit, optimam coniugem. Res priuata domi satis ampla partim a parte relicta, partim prudentia maxima cõseruata, potius quã auare aucta. Et in hoc felix, quod in ea constituenda corruptissimi sæculi morem detestatus, partem pecuniarum in vsuris collocantis, fortunas omnes in prædiis vrbanis ac rusticis habuit, e quis reditus si minor, at certe innocentior, &, quod sero compertum, longe certior. De vita atque actionibus viri maximi dixisse hæc sufficiet. Laudes eius texendas qui instituet, virtutes omnes singillatim recenseat; sed ea omnia melius habebit ex ipsius scripto posthuma ætas, quod ante annos octo quam moreretur scrip-

ſerat candidiſſime ac veriſſime: notus optime ipſe ſibi ipſi, & noſci aliis non timens. Quod ille verum de ſe teſtimonium teſtamenti vicem reliquit ſuis, manſurum poſteris exemplar vitæ integerrimæ, ſanctiſſimæ, prudentiſſimæ, quam ſequantur quis cura honeſti & recti, pauci adſequantur.

Ioſias Mercerus ſcripſit
M. D. LXXXXVII.

In nomine Domini, Amen.



Oribus valde corruptis ac prauis, ſeculo infeliciſsimo, quantum in me fuit, fidem ſeruaui.

Amicos ex animo amaui & colui. Inimicos benefactis vincere, aut contemnere, quam vlciſci malui.

Coniugem vt meipſum habui. Liberis parum indulſi. Famulis vt hominibus vſus ſum.

Vitia ſic odi, etiam in meis, vt virtutes in externis vel hoſtibus veneratus ſim.

Priuatæ rei ſeruandæ potius quam augendæ operam dedi.

Quod mihi fieri nolui, alteri vix vnquam feci, aut fieri paſſus ſum.

Iniuſtam aut difficilem gratiam vt venalem ſpreui.

Sordes & auaritiam in omnibus, præcipue vero in Religionis ac Iuſtitiæ ſacerdotibus & miniſtris exſecratus ſum.

Puer, iuuenis, vir, ſenectuti multum detuli.

Patriam vnice dilexi.

Opus potius quam honores, aut magiſtratum amaui: ac prodeſſe quam præeſſe malui.

Priuatus vltro publico ſtudui: Ei nihil prætuli, atque in commune conſulere, potius tutiuſque ſemper exiſtimaui.

Statum publicum laborantem prudenter ſanari, emendarique optaui: Peruerti, immutari, nouari, aut perturbari penitus nunquam cupiui.

Pacem vel iniuſtam, quod bona omnium bonorum venia dixerim, ciuilibus diſcordijs belloque potiorem putaui.

Pietatis & religionis ſacroſancta nomina, ambitioni atque auaritiæ, ſceleribuſque prætexi & obtendi grauius tuli.

Melioris Antiquitatis non indiligens quæſitor, admirator & cultor, nouitates facile inſuperhabui.

Quæſtiones vanas diſputationeſque ſubtiliores de ijs quæ ad Deum pertinent, vt noxias odi ac fugi.

Simplicitatem prudentia aliqua conditam & ſeptam, aſtutia & calliditate tutiorem feliciorémque ſæpius expertus ſum.

Recte de rebus iudicandi ſtudium, eloquentiæ artibus prætuli.

Procul ambitu atque auaritia, inuidiaque, inter amicos plures ac bonos potenteſque, fortuna non plane infima, ſollicitius aliquanto vixi, quam priuatum fortaſsis decuit: de publicis tamen & amicorum rebus magis quam de proprijs cogitans.

Nullum duxi gratiorem diem, quàm quo publico, aut amicis adeſſe aut prodeſſe datum eſt.

Mala præſentia quam metum impendentium fortius tuli: Extremaque facilius quam dubia.

Recta, ſincera, æquabili atque conſtanti inter omnes Iuſtitiæ adminiſtratione, etiam ſceleratiſsimis atque audaciſsimis os occludi, manus obligari, vidi, expertus ſum.

De patrimonio ac bonis meis, quantulacunque illa post mortem meam erunt, legibus potius quam mihi iudicium permisi, permittoque.

Vnum opto & spero, vt quem in me animum carissimæ ac probissimæ coniugis integrum viuus expertus sum, eundem in communibus liberis educandis, tuendis, curandisque gerat.

Sit hæc apud posteros testatio mentis meæ, quam ab illis sic candide accipi velim, vt simpliciter & ingenue ex animi mei sententia a me prolata est.

Veni Domine, & miserere.

Petrus Pithoeus scripsit Kal. Nouembris, Natali quondam meo die, Lutetiæ Paris. anno Christi
D. N. CIↃ. IↃ. LXXXVII.

Pro titulo, Tumulo inscribi cupio.

PETRI. PITHOEI. P F. I C. BENE DE. SVA. BENE. DE POSTERA ÆTATE. MERITI. CORPVS. MAIORVM. SEPVLCRO CONDITVM. RESVRRECTIONEM. ET IMMORTALITATEM HIC EXPECTAT.

R. I. P.

DEPOSITVM EST.

KATHARINA. PALLVDELLA. CONIVX A-MANTISS. CONIVGI. AMANTISS. ET. LODOICA. AC. MARIA. FILIÆ. KARISS. PATRI OBSERVANDISS.

PIthoeus hic iaceo, mecum & karißima coniux,
Sic compar vita, compare morte fruor.
Improbe quid rides? casti sacra nescis amoris:
Nil non, vel cineres, hac comite, esse iuuat.

Ex alia parte.

Sint inscripta licet titulo duo nomina, duplex
Vtque oculis teneat corpora sarcophagus:
Vnum & idem, ac totum tamen est: nam mutua præstant,
Dimidiumque alij, dimidiumque sibi.

PETRO.

PETRO. PITHOEO. P.F. TRICASS. SAVODIÆ. DOMINO. NOBILITATE. ACTIBVSQVE. AD. EXEMPLVM PRÆCIPVO. ADVOCATO. IVRISC. VNDECVMQ. DOCTISS. EA. ÆQVITATE. ARBITRO. VT. INTER. OMNES. QVI. AD. EVM. ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSENT. PARENTEM. SE. MAGIS. HIS. QVAM. IVDICEM. PRÆBVERIT. PETITV. BONORVM TESTIMONIO. SENATVS IVDICIO. REGVM. PER. PROVINCIAM AQVITANIC. ET. ITERVM LVTETIÆ. PARISIOR. DIFFICILLIMIS. TEMPORIBVS. PERFVNCTO PROCVRATORIS. GENERALIS OFFICIO. LICET. EGREGIA. EIVS. IN REM. PVBLICAM. MERITA. ET. IPSIVS. SCRIPTA VETERVMVE. AVCTORVM. MONVMENTA. AB. ILLO IN. LVCEM. PRIMVM. DATA. AVT RESTITVTA ATQVE. DOCTORVM OMNIVM. PERVVLGATA. DE. EODEM. TESTIMONIA. AD MEMORIAM SEMPITERNAM. SVFFICIANT. ATTAMEN. FIDELISSIMÆ. DEVOTIONIS GRATIA. ET. PRO. SINGVLARI. CIRCA EVM. AMORE.

FRATRI. PIISSIMO. ATQVE
INCOMPARABILI. FRANCISCVS. PITHOEVS. BONA
PIAQ. MENTE.
M. P.
VIXIT. ANNOS. LVII.
OBIIT. NATALI. SVO. MAGNORVM. VIRORVM. FATO.
KAL. NOVEMB. CIↃ IↃ XCVI.
R. P. I.

GRadum, viator, siste pauca dum legis.
PETRVS PITHOEVS hic quiescit: hoc satis
Ad indicandam dignitatem marmoris:
Nam quantus ille vir fuit qui nesciet,
Lucere solem nesciet meridie:
Et quæ referri de viro fas est bono,
Ea de PITHOEO, literarum lumine,
Fas est referri serio, & verissime:
Nec cuncta postquam dicta erunt, erunt satis.
At tu, viator, si placere Manibus,
Ab eisque magnam vis inire gratiam:
Laudato parce, vel breui silentio
Cineri precare terram, & ossibus leuem:
Non plura poscit: qui fuit viuo pudor
Durat sepulto. Laude contenta est sua,
Querulasque virtus nil moratur præficas.
Est morte fœlix ciuis, & vir optimus,
Patria cadente qui satur vitæ cadit.

N. Rap. P.

Hic Pithoee, iaces, quondam memorabile nomen
Parisioque foro, Pierioque choro,
Ossa licet teneant, qui te genuere, Tricasses,
Longa tibi in libris vita futura tuis.

In diem eius obitus, ſcilicet Kal. Nouembr. qui dies eiuſdem Natalis fuerat.

Sperare miſeris quid licet mortalibus?
Huic qui ſub iſto conquieſcit marmore,
Bis quinque luſtris addito ſeptennio,
Emortualis ipſe Natalis fuit:
Idemque ademit qui dedit lucem dies.

Io. Paſſeratius mœrens amico
& populari ſuo B. M. P.

Dictichon chronicon.

SI DIVas LVgere pLaCet, LVgete CaMœnæ:
PIthoeVs, Veſter PIthIVs, oCCVbVIt.

POLYANDRION.

Virtute & ſtudiis celebres hoc ſydere tactos
Quo ſyderatur Gallia,
Nominibus ſignare ſuis & flere volebam,
Clades vt eſſet notior:
Sed ſenſi innumeros numeris numerare puſillis,
Longi laboris tædium.
Mors quoque Pithoei damni grauitate videtur
Aequare mortes plurium.

Vnius ergo placet Pithoei plangere nomen,
Quo continentur cætera.
Nam cognata sibi virtus est omnis, amicæ
Pares sibique litteræ.
Sic ego nominibus compendia nomine feci,
Nullo tamen dispendio.
Vt simul huic similes laudari nomine tanto
Innominati gaudeant.
Pithoeos dederat geminos natura beatrix,
Pollucis instar, instar atque Castoris:
Vt quia naufragio scriptorum vita peribat,
Periclitantes adiuuarent litteras.
Has iuuit PETRVS *Pollucis nomine pollens,*
Scriptis salutem conferendo naufragis.
Nunc moritur Pollux, qui lux erat, vnde periclum
Libri timebant destituti lampade:
Sed primo moriente vident, oriente secundo
Fulgere FRANCVM *Castorem, & succurrere.*
Præstat enim studiis lucem quam præstitit alter,
Vtrique multum debituris lumini.
Lumina luminibus mirum est accrescere tantis,
Et tot tenebris inuoluto tempore.

FR. IVR. D.
L. M. P.

Septem olim tibi quinquiesque denas
Natales Genio tuo Pithoee

Fauſto ſidere ſingulas peractas
Kalendas numerauimus Nouembres,
Atque vnas numerare præter iſtas,
Nobis (ſi licet eſſe tam beatis)
Licebat prope, ſed beatitatem
Iſtam nunc animæ beatiores
Tranſtulere: tuus fuit tuorum hic
Natalis ſimul vltimus dierum,
Natalem reparans tibi perennem.

Nicol. Rigalt. P.
R. I. P.



EX LIBRO CXVI.

HISTOR. V. C. IAC. AVG. THVANI.

CIƆ IƆ XCVI. AMICO [FLORENTE CHRISTIANO] arta mecum necessitudine coniuncto, qui inscripta mihi ipsius quædam ad æternitatem victura monumenta testantur, alterum vberibus lacrimis deflendum cogor adiungere Petrum Pithoeum Augustobonæ Tricassium natum, familia nobili ex inferiore Neustria oriundũ, virum nostra ætate maximum, siue probitatem morum & veram nec fucatam pietatem, siue ingenium excellens, exactamque & omnium rerum, quas perspectas habuit, habuit autẽ plusquã alius quisquã multis retro sæculis, reconditã cognitionem, & tum in suis, tum in alienis cernendis acre & ab omni liuore purum iudicium spectes. cum enim sic vitam instituisset, vt commoda publica vbique proprijs negotijs præuerteret, toto laudatissimæ eius vitæ decurso spatio in literarum studijs sic versatus est, vt assidue exquirendo & scrutando bibliothecas antiquorum scripta vel a mendis vel ab interitu vindicaret, vel alios, quos in ea re aliquid posse iudicabat, exhortando, impellendo atque iuuando nullo tempore non aliquid moueret, ac promoueret sub ipsũ vitæ exitũ B. Hilarij fragmẽtis historicis & Phædri famosi illius sub Tiberio liberti fabulis publicatis. Et vt alia in illũ merito a Nicolao Fabro indiuiduo vitæ & studiorum Pithoei comite cumulata elogia non sileam, nemo melius vnum quempiam auctorem nouit, quam ipse omneis antiquos vtriusque linguæ scripto-

tes, quos ad vnum legerat, ad vetera contulerat exemplaria & concoxerat. nemo priuata & domestica negotia exactius tenuit, quam ipse Gallicam externamque historiam, origines populorum, descriptiones temporum, successiones familiarum, bella, fœdera, conuentiones vel exterorum inter se vel nobiscum gesta, leges, mores, consuetudines prouinciarum singularumue vrbium: quarum omnium rerum a teneris annis indefesso labore sibi perfectam notitiam tum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archiuis regijs, senatus, Rationalium, vrbium, monasteriorum comparauerat, instrumentorumque ipsorum atque actorum bonam partem propria manu descripserat. In iure autem ciuili Romanorum ad illud fastigium peruenerat, vt de eo celeberrimoque eius præceptore Iacobo Cuiacio dici iure potuerit, hunc discipulo præcipuisse ne primus Iurisconsultus esset; illum præceptori, ne solus. Verum hæc omnia, quæ in quouis homine singula magnum virum & cum cura dicendum efficiant, in PITHOEO coaceruata eundem ad summum laudis culmen euehebant, quantula portio sunt illius sapientiæ quam ingenij iudicijque felicitate ex rerum cognitione, assidua lectione atq; vsu comparata, velut ex antiquorum omnium inuentis, qui sapientiæ commendatione floruerunt, conflatam sibi quæsiuerat? quantum a ciuili prudentia absunt, qua præditus ille non solum de priuatis rebus & fori maxima cum facilitate & æquitate respondere ac statuere, sed etiam de ijs quæ ad summam rempublicam spectant, sapienter deliberare, consiliorum exitus prospicere, dubijs ac periculosis euentis proinde occurrere nouerat? nam quamuis ab omni ambitione vitæque fulgore, nisi quem victus emitteret, alienissimus vixerit, & honores ac magistratus vel vltro delatos semper respuerit, tamen patriæ iuuandæ desiderio, quo vltra modum flagrabat, eos, quos sua sors clauo admouerat, assidue excitabat, aut commonefaciebat, suggerebatque quæ vel ab antiquis paribus in negotijs probata fuerant, vel ipse vt erat peracri ac solidissimo iudicio, facienda existimabat. nec illi temere quidquam magni momenti aggrediebantur, de quo non ante-

Pithoeum consuluissent, ita ut priuatus publicum negotium & absque clamyde ac prætexta perpetuum magistratum gessisse videatur, innocentia atque indeflexo per omnes vitæ partes probitatis tenore id præterea consecutus, vt non solum togatorum doctissimus sed & prudentissimus iurisconsultus ciuis optimus ac plane vir bonus audiret. præter innumera veterum scripta e tenebris, dum inter nos degeret, primum eruta, aut meliora publico data moriens reliquit conciliorum Gallicorum diligenter conquisitorum ac digestorum collectionem Francisci fratris viri doctissimi, fidei, vt ederet commissam. quod vt faciat, assiduis precibus cottidie efflagitatur, & vero facturum eum propediem speramus. Vixit annos LVII. ad æternam beatitudinem euolauit Nouigenti ad Sequanam, quo se grassante Augustobonę Tricassium per illum autumnum populari morbo contulerat, Kal. IXbribus natali suo. quo eodem die parens meus ante XIIII. annos obijt, quem Pithoeus & viuum coluit, & mortuum in me porro colere non desijt, ita vt incomparabilis amici morte, qui cum partiri curas, & non solum de studijs, sed etiam de rep. consilia communicare consueueram, cœptæ historiæ pensum protinus e manibus excusserim, abiecissemque prorsus, nisi tanti viri & de me ac patria tam bene meriti memoriæ hoc debere existimassem, vt quod illo auctore inchoaueram ad publicam vtilitatem, cui nostram in ea parte industriam prodesse olim posse iudicabat, quamuis tanto adiutore destitutus, alijs vndecumque, quæ ab illo solo ab initio speraueram, conquisitis subsidijs ad exitum tandem perducerem.

EX LIB.



EX LIB. IV. ELOGIORVM SCÆVOLÆ SAMMARTHANI.

PETRVS PITHOEVS.

IN vrbe Tricassium nati sunt patre nobili & erudito Pithoei duo fratres omnibus disciplinis ornatissimi, nec immerito geminis Tyndaridis a compluribus huius æui scriptoribus adæquati. Quod enim illi suo sidere nautis in mari sulcando, id isti literarum studiosis in antiquitate peruestiganda diuino doctrinæ suæ lumine præclarissime præstitere. Nec id ipsum porro præstare desinit Franciscus natu minor, quem hodieque videmus inter insignes Parisiensis fori iurisconsultos merita multiplicis eruditionis fama celeberrime perfruentem. Te vero, Petre doctissime, quem iniqua nobis nequedum satis matura mors eripuit, lugemus omnes Musarum amantes viri: & eo lugemus acerbius, quo pauciores tui similes reliqueris in hæc vltima rei literariæ tempora reseruatos. Quantum vero in his studijs emineres vnus & excelleres docuere suis certatim elogijs, cum alij fere omnes huius ætatis eruditi, tum illa potissimum duo Galliæ nostræ sidera Turnebus & Cuiacius præceptores quondam tui: quorum cum vterque suis in libris frequentem & honorificam de te mentionem fecerit, hic insuper te iuuenem senex, discipulum magister, in dirimendis cum æmulo controuersijs arbitrum sibi optare minime dubitauit. Quanquam

aliena tibi commendatione quid opus eſt, cum & tuis ipſe ſcriptis, quibus Hiſtorici, Critici, Iuriſconſulti, Philoſophi laudē es meritus, & plurimis veterū monumētis, quæ ſupreſſa in tenebris latebant, per te primū ex citatis ac publicatis nomen abunde illuſtraueris tuum, & memoriæ mandaueris hominum ſempiternæ? Sed neque tibi dum hic ageres dulciſſimus ille defuit, qui viuos & ſentientes magis afficit præſentis gloriæ fructus, dum incredibili clientium concurſu diuina Themidis oracula quotidie depromis, ea doctrinæ pariter & ſanctitatis admiratione, vt Henricus III. miſſis in Aquitaniam aliquot Patribus qui ius dicerent, his te ſimul & Oiſelum tuum doctiſſimum quoque virum legationis comites addiderit, qui ſua & reipublicæ grauiſſima negotia ſuſciperetis in illo ſenatu pro ſingulari veſtra diligentia & fide, procuranda. Quid loquar de incomparabili morum ſuauitate, facilitate, candore, modeſtia & indefeſſo illo quo mortales omnes anteibas de bonis omnibus bene merendi ſtudio? Itaque dum tui memoriam boni omnes viciſſim colunt, alijque lugubribus tibi parentāt nænijs, alij vitā tuā & honeſtiſſimas actiones pedeſtri facundia deſcribunt, accipe has etiam inferias & ſuprema veteris amici munera, quæ & nos tibi offerimus, ne ſoli tanto e numero ſimus in eum ingrati, quo nemo vixit omnibus gratior, nemo in omnes benignior. Fato functus eſt Petrus Pithoeus Nongenti ad Sequanam ex febre, ſeptem & quinquaginta natus annos Kalend. Nouembr. die ſuo natali, biennio poſtquam eius magna ex parte conſilio & opera deluſis Ibericæ factionis artibus Lutetia regni caput in legitimi Regis poteſtatem peruenit.



INDEX RERVM ET MATERIARVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

C

Dame

D

F

I

K

L

T

V.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.



ENRICI IV. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno, alijſue locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem à die impreſſionis perfectæ prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, ac ratione conetur librum qui inſcribitur, *Petri Pithoei I C. Opera omnia*, Præter Sebaſtianum Cramoiſy: aut illos quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Lutetiæ Pariſiorum 12. Ianuarij 1609.

POTIER.